COLLATIONES BRUGENSES.

D.R.

Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

—

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7

TOMUS VI



BRUGIS FLANDRORUM

Typis Ad. Maertens-Matthys

MCMI

25284

v.6
1901

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIII

EPISTOLA ENCYCLICA

DE JESU CHRISTO REDEMPTORE.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis pacem et communionem cum apostolica sede habentibus

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Tametsi futura prospicientibus, vacuo a sollicitudine animo esse non licet, immo vero non paucæ sunt nec leves extimescendæ formidines, cum tot tamque inveteratæ malorum caussæ et privatim et publice insideant: tamen spei ac solatii aliquid videntur hæc extrema sæculi divino munere peperisse. Nemo enim existimet nihil habere ad communem salutem momenti renovatam cogitationem bonorum animi, fideique et pietatis christianæ excitata studia: quas quidem virtutes revirescere apud complures aut corroborari hoc tempore, satis expressa signa testantur. En quippe in medio illecebrarum sæculi ac tot circumjectis pietati offensionibus, tamen uno nutu Pontificis undique commeare Romam ad limina sanctorum Apostolorum multitudo frequens: cives pariter ac peregrini dare palam religioni operam: oblataque Ecclesiæ indulgentia confisi, parandæ æternæ salutis artes studiosius exquirere. Quem præterea ista non moveat, quæ omnium obsersatur oculis, erga humani generis Salvatorem solito magis incensa pietas? Optimis rei christianæ temporibus facile dignus judicabitur iste ardor animi tot hominum millium una voluntate sententiaque ab ortu ad solis occasum

consalutantium nomen laudesque prædicantium Jesu Christi. Atque utinam istas avitæ religionis velut erumpentes flammas magnum incendium consequatur : exemplumque excellens multorum reliquos permoveat universos. Quid enim tam huic ætati necessarium, quam redintegrari late in civitatibus indolem christianam, virtutesque veteres ? Illud calamitosum, alios et quidem nimis multos obsurdescere, nec ea, quæ ab ejusmodi pietatis renovatione monentur, audire. Qui tamen si *scirent donum Dei*, si reputarent nihil fieri posse miserius quam descivisse à liberatore orbis terrarum, moresque et instituta christiana deseruisse, utique exsuscitarent et ipsi sese, certissimumque interitum effugere converso itinere properarent. — Jamvero tueri in terris atque amplificare imperium Filii Dei, divinorumque beneficiorum communicatione ut homines salvi sint contendere, munus est Ecclesiæ ita magnum atque ita suum, ut hoc in opere maxime omnis ejus auctoritas ac potestas consistat. Id Nos in administratione Pontificatus maximi, perdifficili illa quidem ac plena curarum, videmur ad hunc diem pro viribus studuisse : vobis autem, venerabiles Fratres, usitatum certe est, immo quotidianum, præcipuas cogitationes vigiliasque in eodem negotio Nobiscum consumere. Verum utrique debemus pro conditione temporum etiam majora conari, nominatimque per sacri opportunitatem Anni disseminare latius notitiam atque amorem Jesu Christi, docendo, suadendo, hortando, si forte exaudiri vox nostra queat, non tam eis, dicimus, qui effata christiana accipere pronis auribus consuevere, quam ceteris omnibus longe miserrimis, christianum retinentibus nomen, vitam sine fide, sine amore Christi agitantibus. Horum Nos maxime miseret: hos nominatim velimus, et quid agant et quorsum evasuri sint, ni resipuerint, attendere.

Jesum Christum nullo unquam tempore nullaque ratione novisse, summa infelicitas est, vacat tamen pervicacia atque ingrati animi vitio : repudiare aut oblivisci jam cognitum, id vero scelus est adeo tetrum atque insanum, ut in hominem cadere vix posse videatur. Principium enim atque origo ille est omnium bonorum : humanumque genus, quemadmodum sine Christi beneficio liberari nequiverat, ita nec conservari sine ejus virtute potest. *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos*

salvos fieri (1). Quæ vita mortalium sit, unde exsulet Jesus, *Dei virtus et Dei sapientia*, qui mores, quæ extrema rerum non satis docent exemplo suo expertes christiani luminis gentes? Quarum qui parumper meminerit vel adumbratam apud Paulum (2) cæcitatem mentis, depravationem naturæ, portenta superstitionum ac libidinum, is profecto defixum misericordia simul atque horrore annimum sentiat. — Comperta vulgo sunt, quæ memoramus hoc loco, non tamen meditata, nec cogitata vulgo. Neque enim tam multos abalienaret superbia, aut socordia languefaceret, si divinorum beneficiorum late memoria coleretur, sæpiusque repeteret animus, unde hominem Christus eripuit, et quo provexit. Exheres atque exsul tot jam ætates in interitum gens humana quotidie rapiebatur, formidolosis illis aliisque implicata malis, quæ primorum parentum pepererat delictum, nec ea erant ulla humana ope sanabilia, quo tempore Christus Dominus, demissus e cælo liberator, apparuit. Eum quidem victorem domitoremque *serpentis* futurum, Deus ipse in primo mundi ortu spoponderat: inde in adventum ejus intueri acri cum expectatione desiderii sæcula consequentia. In eo spem omnem repositam, sacrorum fata vatum perdiu ac luculente cecinerant: quin etiam lecti cujusdam populi varia fortuna, res gestæ, instituta, leges, ceremoniæ, sacrificia, distincte ac dilucide præsignificaverant, salutem hominum generi perfectam absolutamque in eo fore, qui sacerdos tradebatur futurus, idemque hostia piacularis, restitutor humanæ libertatis, princeps pacis, doctor universarum gentium, regni conditor in æternitate temporum permansuri. Quibus et titulis et imaginibus et vaticiniis specie variis, re concinentibus, ille designabatur unus, qui propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, pro salute nostra sese aliquando devoveret. Sane cum divini venisset maturitas consilii, unigenitus Filius Dei, factus homo, violato Patris numini cumulatissime pro hominibus uberrimeque satisfecit de sanguine suo, tantoque redemptum pretio vindicavit sibi genus humanum. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis:... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati* (3). Ita

(1) Act. IV, 12.
(2) Ad Rom. 1.
(3) I Pet. 1, 18-19.

omnes in universum homines potestati jam imperioque suo subjectos, quod cunctorum ipse se conditor est et conservator, vere proprieque redimendo, rursus fecit juris sui. *Non estis vestri: empti enim estis pretio magno* (1). Hinc a Deo instaurata in Christo omnia. *Sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo* (2). Cum delesset Jesus chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, affigens illud cruci, continuo quievere cælestes iræ; conturbato errantique hominum generi antiquæ servitutis liberata nexa, Dei reconciliata voluntas, reddita gratia, reclusus æternæ beatitudinis aditus, ejusque potiundæ et jus restitutum et instrumenta præbita. Tum velut excitatus e veterno quodam diuturno ac mortifero dispexit homo lumen veritatis concupitum per tot sæcula quæsitumque frustra: in primisque agnovit, ad bona se multo altiora multoque magnificentiora natum quam hæc sint, quæ sensibus percipiuntur, fragilia et fluxa, quibus cogitationes curasque suas antea finierat: atque hanc omnino esse humanæ constitutionem vitæ, hanc legem supremam, huc tamquam ad finem omnia referenda, ut a Deo profecti, ad Deum aliquando revertamur. Ex hoc initio et fundamento recreata revixit conscientia dignitatis humanæ: sensum fraternæ omnium necessitudinis excepere pectora: tum officia et jura, id quod erat consequens, partim ad perfectionem adducta, partim ex integro constituta, simulque tales excitatæ passim virtutes, quales ne suspicari quidem ulla veterum philosophia potuisset. Quamobrem consilia, actio vitæ, mores, in alium abiere cursum: cumque Redemptoris late fluxisset cognitio, atque in intimas civitatum venas virtus ejus, expultrix ignorantiæ ac vitiorum veterum, permanasset, tum ea est conversio rerum consecuta, quæ, christiana gentium humanitate parta, faciem orbis terrarum funditus commutavit.

Istarum in recordatione rerum quædam inest, venerabiles Fratres, infinita jucunditas, pariterque magna vis admonitionis, scilicet ut habeamus toto animo, referendamque curemus, ut potest, divino Servatori gratiam.

---

(1) I Cor. VI, 19-20.
(2) Eph. I, 9-10.

Remoti ob vetustatem sumus ab originibus primordiisque restitutæ salutis: quid tamen istuc referat, quando redemptionis perpetua virtus est, perenniaque et immortalia manent beneficia? Qui naturam peccato perditam reparavit semel, servat idem servabitque in perpetuum; *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (1)... *In Christo omnes vivificabuntur* (2)... *Et regni ejus non erit finis* (3). Itaque ex æterno Dei consilio, omnis est in Christo Jesu cum singulorum, tum universorum posita salus: eum qui deserunt, hoc ipso exitium sibi privatim cæco furore conciscunt, eodemque tempore committunt, quantum est in se, ut quam malorum calamitatumque molem pro pietate sua Redemptor depulerat, ad eam ipsam convictus humanus magna jactatus tempestate relabatur.

Rapiuntur enim errore vago optata ab meta longius, quicumque in itinera se devia conjecerint. Similiter si lux veri pura et sincera respuatur, offundi caliginem mentibus, miseraque opinionum pravitate passim infatuari animos necesse est. Spes autem sanitatis quota potest esse reliqua iis, qui principium et fontem vitæ deserant? Atqui via, veritas et vita Christus est unice. *Ego sum via, et veritas, et vita* (4): ita ut, eo posthabito, tuta illa ad omnem salutem necessaria principia tollantur.

Num disserere est opus, quod ipsa res monet assidue, quodque vel in maxima mortalium bonorum affluentia in se quisque penitus sentit, nihil esse, præter Deum, in quo voluntas humana absolute possit atque omni ex parte quiescere? Omnino finis homini, Deus: atque omnis hæc, quæ in terris degitur, ætas similitudinem peregrinationis cujusdam atque imaginem verissime gerit. Jamvero *via* nobis Christus est, quia ex hoc mortali cursu, tam laborioso præsertim tamque ancipiti, ad summum et extremum bonorum, Deum, nulla ratione pervenire, nisi Christo auctore et duce, possumus. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (5). Quo modo nisi per

(1) I Tim. II, 6.
(2) I Cor. XV, 22.
(3) Luc. I, 33.
(4) Jo. XIV, 6.
(5) Jo. XIV, 6.

cum? Nempe in primis et maxime, nisi per gratiam ejus: quæ tamen *vacua* in homine foret, neglectis præceptis ejus et legibus. Quod enim fieri, parta per Jesum Christum salute, oportebat, legem ipse suam reliquit custodem et procuratricem generis humani, qua nimirum gubernante, a vitæ pravitate conversi, ad Deum homines suum securi contenderent. *Euntes docete omnes gentes:... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (1)... *Mandata mea servate* (2). Ex quo intelligi debet, illud esse in professione christiana præcipuum planeque necessarium, præbere se ad Jesu Christi præcepta docilem eique, ut domino ac regi summo, obnoxiam ac devotam penitus gerere voluntatem. Magna res, et quæ multum sæpe laborem vehementemque contentionem et constantiam desiderat. Quamvis enim Redemptoris beneficio humana sit reparata natura, superstes tamen in unoquoque nostrum velut quædam ægrotatio est, infirmitas ac vitiositas. Appetitus varii huc atque illuc hominem rapiunt, rerumque externarum illecebræ facile impellunt animum ut, quod lubeat, non quod a Christo imperatum sit, sequatur. Atqui tamen contra nitendum, atque omnibus viribus repugnandum est cupiditatibus *in obsequium Chrtsti:* quæ, nisi parent rationi, dominantur, totumque hominem Christo ereptum, sibi faciunt servientem. *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem, non efficiunt ut non serviant..., serviunt enim cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi* (3). Atque in ejusmodi certamine sic quisque affectus esse debet, ut molestias etiam et incommoda sibi suscipienda, Christi caussa, putet. Difficile, quæ tanto opere alliciunt atque oblectant, repellere: durum atque asperum ea, quæ putantur bona corporis et fortunæ, præ Christi domini voluntate imperioque contemnere: sed omnino christianum hominem oportet patientem et fortem esse in perferendo, si vult hoc, quod datum est vitæ, christiane traducere. Oblitine sumus cujus corporis et cujus capitis simus membra? Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, qui nobis ut nosmetipsos abnegaremus præscripsit. Ex ea vero affectione animi, quam diximus, humanæ naturæ

(1) Matt. XXVIII, 19-20.
(2) Jo. XIV, 15.
(3) S. Aug. De vera rel., 37.

dignitas pendet ipsa. Quod enim vel sapientia antiquorum sæpe vidit, imperare sibi efficereque ut pars animi inferior obediat superiori, nequaquam est fractæ voluntatis demissio, sed potius quædam generosa virtus rationi mirifice congruens, in primisque homine digna. — Ceterum, multa ferre et perpeti, humana conditio est. Vitam sibi dolore vacuam atque omni expletam beatitate extruere non plus homo potest, quam divini conditoris sui delere consilia, qui culpæ veteris consectaria voluit manere perpetua. Consentaneum est ergo, non expectare in terris finem doloris, sed firmare animum ad ferendum dolorem, quo scilicet ad spem certam maximorum bonorum erudimur. Neque enim opibus aut vitæ delicatiori, neque honoribus aut potentiæ, sed patientiæ et lacrimis, studio justitiæ et mundo cordi sempiternam in cælo beatitudinem Christus assignavit.

Hinc facile apparet quid sperari denique ex eorum errore superbiaque debeat, qui, spreto Redemptoris principatu, in summo rerum omnium fastigio hominem locant, atque imperare humanam naturam omni ratione atque in omnes partes statuunt oportere: quamquam id regnum non modo assequi, sed nec definire, quale sit, queunt. Jesu Christi regnum a divina caritate vim et formam sumit: diligere sancte atque ordine, ejus est fundamentem et summa. Ex quo illa necessario fluunt, officia inviolate servare: nihil alteri de jure detrahere: humana cælestibus inferiora ducere: amorem Dei rebus omnibus anteponere. Sed isthæc dominatio hominis, aut aperte Christum rejicientis aut non curantis agnoscere, tota nititur in amore sui, caritatis expers, devotionum nescia. Imperet quidem homo, per Jesum Christum licet: sed eo, quo solo potest, pacto, ut primum omnium serviat Deo, ejusque ab lege normam religiose petat disciplinamque vivendi.

Legem vero Christi dicimus non solum præcepta morum naturalia, aut ea quæ accepere antiqui divinitus, quæ utique Jesus Christus omnia perfecit et ad summum adduxit declarando, interpretando, sanciendo: verum etiam doctrinam ejus reliquam, et omnes nominatim ab eo res institutas. Quarum profecto rerum caput est Ecclesia: immo ullæne res numerantur Christo auctore institutæ, quas non illa cumulate complectatur et contineat? Porro Ecclesiæ ministe-

rio, præclarissime ab se fundatæ, perennare munus assignatum sibi a Patre voluit: cumque ex una parte præsidia salutis humanæ in eam omnia contulisset, ex altera gravissime sanxit, ei ut homines perinde subessent ac sibimetipsi, eamdemque studiose et in omni vita sequerentur ducem: *qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit* (1). Quocirca omnino petenda ab Ecclesia lex Christi est: ideoque via homini Christus, via item Ecclesia: ille per se et natura sua; hæc, mandato munere et communicatione potestatis. Ob eam rem quicumque ad salutem contendere seorsum ab Ecclesia velint, falluntur errore viæ, frustraque contendunt.

Quæ autem privatorum hominum, eadem fere est caussa imperiorum: hæc enim ipsa in exitus perniciosos incurrere necesse est, si digrediantur de *via*. Humanæ procreator idemque redemptor naturæ, Filius Dei, rex et dominus est orbis terrarum, potestatemque summam in homines obtinet cum singulos, tum jure sociatos. *Dedit ei potestatem, et honorem, et regnum: et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient* (2). *Ego autem constitutus sum rex ab eo.... Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (3). Debet ergo in convictu humano et societate lex valere Christi, ita ut non privatæ tantum ea sit, sed et publicæ dux et magistra vitæ. Quoniamque id ita est provisum et constitutum divinitus, nec repugnare quisquam impune potest, idcirco male consulitur rei publicæ ubicumque instituta christiana non eo, quo debent, habeantur loco. Amoto Jesu, destituitur sibi humana ratio, maximo orbata præsidio et lumine: tum ipsa facile obscuratur notio caussæ, quæ caussa, Deo auctore, genuit communem societatem, quæque in hoc consistit maxime ut, civili conjunctione adjutrice, consequantur cives naturale bonum, sed prorsus summo illi, quod supra naturam est, perfectissimoque et perpetuo bono convenienter. Occupatis rerum confusione mentibus, ingrediuntur itinere devio tam qui parent, quam qui imperant: abest enim quod tuto sequantur, et in quo consistant.

Quo pacto miserum et calamitosum aberrare de via,

(1) Luc. X, 16.
(2) Daniel. VII, 14.
(3) Ps. II.

simillime deserere veritatem. Prima autem et absoluta et essentialis *veritas* Christus est, utpote Verbum Dei, consubstantiale et coæternum Patri, unum ipse et Pater. *Ego sum via, et veritas.* Itaque, si verum quæritur, parcat primum omnium Jesu Christo, in ejusque magisterio secura conquiescat humana ratio, propterea quod Christi voce loquitur ipsa veritas. — Innumerabilia genera sunt, in quibus humani facultas ingenii, velut in uberrimo campo et quidem suo, investigando contemplandoque, libere excurrat, idque non solum concedente, sed plane postulante natura. Illud nefas et contra naturam, contineri mentem nolle finibus suis, abjectaque modestia debita, Christi docentis aspernari auctoritatem. Doctrina ea, unde nostra omnium pendet salus, fere de Deo est rebusque divinissimis: neque sapientia heminis cujusquam peperit eam, sed Filius Dei ipso ab Patre suo totam hausit atque accepit: *Verba quæ dedisti mihi, dedi eis* (1). Idcirco plura necessario complectitur, non quæ rationi dissentiant, id enim fieri nullo pacto potest, sed quorum altitudinem cogitatione assequi non magis possumus, quam comprehendere, qualis est in se, Deum. At enim si tam multæ res existunt occultæ et a natura ipsa involutæ, quas nulla queat humana explicare sollertia, de quibus tamen nemo sanus dubitare ausit, erit quidem libertate perverse utentium non ea perferre quæ supra universam naturam longe sunt posita, quod percipere qualia sint non licet. Nolle dogmata huc plane recidit, christianam religionem nullam esse velle. Porro flectenda mens demisse et obnoxie *in obsequium Christi*, usque adeo, ut ejus numine imperioque velut captiva teneatur: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (2). Tale prorsus obsequium est, quod Christus sibi tributum vult; et jure vult, Deus est enim, propterea que sicut voluntatis in homine, ita et intelligentiæ unus habet summum imperium. Serviens autem intelligentia Christo domino, nequaquam facit homo serviliter, sed maxime convenienter tum rationi, tum nativæ excellentiæ suæ. Nam voluntate in imperium concedit non hominis cujuspiam, sed auctoris sui ac principis omnium Dei, cui subjectus est lege

(1) Jo. XVII, 8.
(2) II Cor. X, 5.

naturæ: nec astringi se humani opinatione magistri patitur, sed æterna atque immutabili veritate. Ita et mentis naturale bonum, et libertatem simul consequitur. Veritas enim, quæ a Christi magisterio proficiscitur, in conspicuo ponit, unaquæque res qualis in se sit et quanti: qua imbutus cognitione, si perceptæ veritati paruerit homo, non se rebus, sed sibi res, nec rationem libidini, sed libidinem rationi subjiciet: peccatique et errorum pessima servitute depulsa, in libertatem præstantissimam vindicabitur: *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (1). — Apparet igitur, quorum mens imperium Christi recusat, eos pervicaci voluntate contra Deum contendere. Elapsi autem e potestate divina, non propterea solutiores futuri sunt: incident in potestatem aliquam humanam: eligent quippe, ut fit, unum aliquem, quem audiant, cui obtemperent, quem sequantur magistrum. Ad hæc, mentem suam, a rerum divinarum communicatione seclusam, in angustiorem scientiæ gyrum compellunt, et ad ea ipsa, quæ ratione cognoscuntur, venient minus instructi ad proficiendum. Sunt enim in natura rerum non pauca, quibus vel percipiendis, vel explicandis plurimum affert divina doctrina luminis. Nec raro, pœnas de superbia sumpturus, sinit illos Deus non vera cernere, ut in quo peccant, in eo plectantur. Utraque de caussa permultos sæpe videre licet magnis ingeniis exquisitaque eruditione præditos, tamen in ipsa exploratione naturæ tum absurda consectantes, ut nemo deterius erraverit.

Certum igitur sit, intelligentiam in vita christiana auctoritati divinæ totam et penitus esse tradendam. Quod si in eo quod ratio cedit auctoritati, elatior ille animus, qui tantam habet in nobis vim, comprimitur et dolet aliquid, inde magis emergit, magnam esse in christiano oportere non voluntatis dumtaxat, sed etiam mentis tolerantiam. Atque id velimus meminisse, qui cogitatione sibi fingunt ac plane mallent quamdam in christiana professione et sentiendi disciplinam et agendi, cujus essent præcepta molliora, quæque humanæ multo indulgentior naturæ, nullam in nobis tolerantiam requireret, aut mediocrem. Non satis vim intelligunt fidei institutorumque christianorum: non vident, undique

(1) Jo. VIII, 32.

nobis occurrere *Crucem*, exemplum vitæ vexillumque perpetuum iis omnibus futurum, qui re ac factis, non tantum nomine, sequi Christum velint.

Vitam esse, solius est Dei. Ceteræ naturæ omnes participes vitæ sunt, vita non sunt. Ex omni autem æternitate ac suapte natura *vita* Christus est, quo modo est veritas, quia Deus de Deo. Ab ipso, ut ab ultimo augustissimoque principio, vita omnis in mundum influxit perpetuoque influet: quidquid est, per ipsum est, quidquid vivit, per ipsum vivit, quia *omnia* per Verbum *facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est.* — Id quidem in vita naturæ: sed multo meliorem vitam multoque potiorem satis jam tetigimus supra, Christi ipsius beneficio partam, nempe *vitam gratiæ,* cujus beatissimus est exitus *vita gloriæ*, ad quam cogitationes atque actiones referendæ omnes. In hoc est omnis vis doctrinæ legumque christianarum ut *peccatis mortui, justitiæ vivamus* (1), id est virtuti et sanctitati, in quo moralis vita animorum cum explorata spe beatitudinis sempiternæ consistit. Sed vere et proprie et ad salutem apte nulla re alia, nisi fide christiana, alitur justitia. *Justus ex fide vivit* (2). *Sine fide impossibile est placere Deo* (3). Itaque sator et parens et altor fidei Jesus Christus, ipse est qui vitam in nobis moralem conservat ac sustentat: idque potissimum Ecclesiæ ministerio: huic enim, benigno providentissimoque consilio, administranda instrumenta tradidit, quæ hanc, de qua loquimur, vitam gignerent, generatam tuerentur, extinctam renovarent. Vis igitur procreatrix eademque conservatrix virtutum *salutarium* eliditur, si disciplina morum a fide divina dijungitur: ac sane despoliant hominem dignitate maxima, vitaque dejectum supernaturali ad naturalem perniciosissime revolvunt, qui mores dirigi ad honestatem uno rationis magisterio volunt. Non quod præcepta naturæ dispicere ac servare recta ratione homo plura non queat: sed omnia quamvis dispiceret et sine ulla offensione in omni vita servaret, quod nisi opitulante Redemptoris gratia non potest, tamen frustra quisquam, expers fidei, de salute sempiterna

(1) I Pet. II, 24.
(2) Galat. III, 11.
(3) Hebr. XI, 6.

confideret. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes; et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet* (1). *Qui non crediderit, condemnabitur* (2). Ad extremum quanti sit in se ipsa, et quos pariat fructus ista divinæ fidei contemptrix honestas, nimis multa habemus documenta ante oculos. Quid est quod in tanto studio stabiliendæ augendæque prosperitatis publicæ, laborant tamen ac pæne ægrotant civitates tam multis in rebus tamque gravibus quotidie magis? Utique civilem societatem satis aiunt fretam esse per se ipsam: posse sine præsidio institutorum christianorum commode se habere, atque eo, quo spectat, uno labore suo pervenire. Hinc quæ administrantur publice, ea more profano administrari malunt: ita ut in disciplina civili vitaque publica populorum vestigia religionis avitæ pauciora quotidie videas. At non cernunt satis quid agant. Nam submoto numine recta et prava sancientis Dei, excidere auctoritate principe leges necesse est, justitiamque collabi, quæ duo firmissima sunt conjunctionis civilis maximeque necessaria vincula. Similique modo, sublata semel spe atque expectatione bonorum immortalium, pronum est mortalia sitienter appetere: de quibus trahere ad se, quanto plus poterit, conabitur quisque pro viribus. Hinc æmulari, invidere, odisse; tum consilia teterrima: de gradu dejectam velle omnem potestatem, meditari passim dementes ruinas. Non pacatæ res foris, non securitas domi: deformata sceleribus vita communis.

In tanto cupiditatum certamine, tantoque discrimine, aut extrema metuenda pernicies, aut idoneum quærendum mature remedium. Coercere maleficos, vocare ad mansuetudinem mores populares atque omni ratione deterrere a delictis providentia legum, rectum idemque necessarium: nequaquam tamen in isto omnia. Altius sanatio petenda populorum: advocanda vis humana major, quæ attingat animos, renovatosque ad conscientiam officii, efficiat meliores: ipsa illa nimirum vis, quæ multo majoribus fessum malis vindicavit semel ab interitu orbem terrarum. Fac reviviscere et valere, amotis impedimentis, christianos in civitate spiritus;

(1) Jo. XV, 6.
(2) Marc. XVI, 16.

recreabitur civitas. Conticescere proclive erit inferiorum ordinum cum superioribus contentionem, ac sancta utrinque jura consistere verecundiâ mutuâ. Si Christum audiant, manebunt in officio fortunati æque ac miseri : alteri justitiam et caritatem sentient sibi esse servandam, si salvi esse volunt, alteri temperantiam et modum. Optime constiterit domestica societas, custode salutari metu jubentis, vetantis Dei : eademque ratione plurimum illa in populis valebunt, quæ ab ipsa natura præcipiuntur, vereri potestatem legitimam et obtemperare legibus jus esse ; nihil seditiose facere, nec per coitiones moliri quicquam. Ita, ubi christiana lex omnibus præsit et eam nulla res impediat, ibi sponte fit ut conservetur ordo divino providentia constitutus, unde efflorescit cum incolumitate prosperitas. Clamat ergo communis salus, referre se necesse esse, unde numquam digredi oportuerat, ad eum qui via et veritas et vita est, nec singulos dumtaxat, sed societatem humanam universe. In hanc velut in possessionem suam, restitui Christum dominum oportet, efficiendumque ut profectam ab eo vitam hauriant atque imbibant omnia membra et partes reipublicæ, jussa ac vetita legum, instituta popularia, domicilia doctrinæ, jus conjugiorum convictusque domestici, tecta locupletium, officinæ opificum. Nec fugiat quemquam, ex hoc pendere magnopere ipsam, quæ tam vehementer expetitur, gentium humanitatem, quippe quæ alitur et augetur non tam iis rebus, quæ sunt corporis, commoditatibus et copiis, quam iis, quæ sunt animi, laudabilibus moribus et cultu virtutum.

Alieni a Jesu Christo plerique sunt ignoratione magis, quam voluntate improba : qui enim hominem, qui mundum studeant dedita opera cognoscere, quam plurimi numerantur ; qui Filium Dei, perpauci. Primum igitur sit, ignorationem scientia depellere, ne repudietur aut spernatur ignotus. Quotquot ubique sunt, christianos obtestamur dare velint operam, quoad quisque potest, Redemptorem suum ut noscant, qualis est : in quem ut quis intuebitur mente sincera judicioque integro, ita perspicue cernet nec ejus lege fieri quicquam posse salubrius, nec doctrina divinius. In quo mirum quantum allatura adjumenti est auctoritas atque opera vestra, venerabiles Fratres, tum Cleri totius studium et sedulitas. Insculpere populorum in animis germanam

notionem ac prope imaginem Jesu Christi, ejusque caritatem, beneficia, instituta illustrare litteris, sermone, in scholis puerilibus, in gymnasiis, in concione, ubicumque se det occasio, partes officii vestri præcipuas putatote. De iis, quæ appellantur *jura hominis*, satis audiit multitudo: audiat aliquando de juribus Dei. Idoneum tempus esse, vel ipsa indicant excitata jam, ut diximus, multorum recta studia, atque ista nominatim in Redemptorem tot significationibus testata pietas, quam quidem sæculo insequenti, si Deo placet, in auspicium melioris ævi tradituri sumus. Verum, cum res agatur quam non aliunde sperare nisi a gratia divina licet, communi studio summisque precibus flectere ad misericordiam insistamus omnipotentem Deum, ut interire ne patiatur, quos ipsemet profuso sanguine liberavit: respiciat hanc propitius ætatem, quæ multum quidem deliquit, sed multa vicissim ad patiendum aspera in expiationem exantlavit: omniumque gentium generumque homines benigne complexus, meminerit suum illud: *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (1).

Auspicem divinorum munerum, benevolentiæque Nostræ paternæ testem vobis, venerabiles Fratres, Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die 1 Novembris An. MDCCCC, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

LEO PP. XIII.

(1) Jo. XII, 32.

Animadversiones

quædam de justa mercede seu justo salario opificum; de salario, ut ajunt, familiali, etc., ab Episcopo Brugensi conscriptæ.

Quoniam recentiori tempore de hisce rebus plerumque leviter actum est a plurimis solida scientia destitutis, atque etiam a quibusdam theologis non adeo accurate ac distincte disputatum, haud inutile neque ingratum Clero faciemus, si breviter quædam principia proposuerimus, quibus rectum de ejusmodi re judicium efformetur; utemur autem eo, in quo magis solet res agitari, sermone vernaculo, eum in finem, ut et nonnullis forte laïcis sapientioribus prosimus.

1er PRINCIPE. La justice stricte *(justum naturale)* exige un salaire (1) égal à la valeur du travail fourni.

L'objet propre et immédiat, ou, comme d'autres disent, la cause du contrat de louage d'ouvrage ou de travail, sa fin immédiate et intrinsèque consiste, pour le patron, dans le droit à la prestation de travail de l'ouvrier, à l'avantage que ce travail lui apporte; de la part de l'ouvrier, dans le droit au juste salaire à payer par le patron comme équivalent de la valeur de son travail.

La mesure propre, directe et universelle du juste salaire est la valeur du travail fourni.

Quel que soit l'état de fortune de l'un et de l'autre contractant, quelque grands que soient le capital de l'un et les besoins de l'autre, la justice exige que le salaire soit l'équivalent de la valeur du travail; ce salaire augmentera, à mesure que l'ouvrier travaille plus et mieux; il diminuera, à mesure que la qualité et la

---

(1) Le salaire ne doit pas nécessairement se concevoir comme payé en argent. « Le salaire est la somme d'objets utiles attribués à l'ouvrier en remunération de son travail ». Périn, *De la richesse dans les sociétés chrétiennes*, t. II, l. IV, c. 5.

durée ou la quantité du travail seront moindres. Supposez un patron, grand capitaliste et riche à millions, il ne doit pas plus en justice à un même ouvrier, pour la même somme de travail, qu'un patron qui se soutient à peine. Supposez un petit patron, qui parmi ses quelques ouvriers en trouve un, dont il envie l'aisance, fruit de son travail, il ne peut en toute justice lui payer moins que la valeur de son travail, sous pretexte que le salaire moindre suffit à ses besoins. Supposez donc un ouvrier si habile et si laborieux que la valeur de son travail surpasse évidemment la somme intégrale de ses besoins, cela n'empêche que le salaire égal à la valeur de son travail doive lui être payé intégralement.

La mesure propre, directe et universelle du juste salaire n'est pas la somme des besoins de l'ouvrier.

Suit-il de là que l'ouvrier a droit à une part dans le bénéfice ? Non : car le patron doit non seulement fournir le capital, mais encore subir les risques ; il a de plus le travail d'intelligence, qui mérite son salaire ou plutôt ses honoraires, il a, dis-je, la direction du travail, la recherche des débouchés, etc. Mais il en suit que, par la force des choses, le salaire montera à raison des bénéfices plus grands faits communément par les patrons, puisque la valeur du travail augmentera. Que si, cette valeur augmentant, les salaires ne montent pas, il y a évidemment injustice de la part des patrons.

Ce premier principe, que nous venons d'exposer, contient la doctrine, incontestablement vraie, de tous les théologiens, tant des Scolastiques anciens ou plus récents, que des moralistes modernes. C'est de plus le seul principe qu'ils font valoir en cette matière, et il suffit en effet pour définir les droits et devoirs réciproques de justice privée entre parties contractantes, comme le démontrera la suite de cette note. Il n'y a donc pas, nous le verrons, à proprement parler de lacune dans l'enseignement des théologiens, comme d'aucuns le prétendent : il reste toujours vrai que le salaire est juste,

quand il est l'équivalent de la valeur du travail, et que sa mesure propre et directe n'est pas la somme des besoins de l'ouvrier. Mais ce qu'il faut accorder, c'est que ces théologiens ont supposé l'état normal de la société chrétienne et qu'ils n'ont pas connu les grandes industries modernes, ou plutôt les industries, dirigées par des patrons et des capitalistes sans religion, avec leurs multiples abus et leurs injustices.

Si donc nous considérons les choses de plus haut et d'une vue plus large, au point de vue social, comme le fait Léon XIII, dans son encyclique *Rerum Novarum* sur la condition des ouvriers, d'après le but même de cette remarquable encyclique ; l'on peut se demander quel est le rapport de la valeur du travail et en conséquence du juste salaire aux besoins de l'ouvrier, d'autant plus que la classe la plus nombreuse et non la moins intéressante de la société ne trouve sa vie et sa subsistance, à laquelle elle a droit, que dans le travail de ses mains.

A la question ainsi posée, nous répondons :

2e PRINCIPE. L'homme a de par la nature le devoir de conserver sa vie, il a donc régulièrement le moyen et la faculté naturelle de pourvoir à sa subsistance par son travail, soit par production et culture du sol, soit par transformation des produits de la terre ou d'autres services. Ce moyen nous révèle une valeur minimum, que le travail aura régulièrement dans l'échange. Par conséquent, si l'homme loue son travail, la justice naturelle exige que généralement ce travail lui vaille également pour le moins sa subsistance.

Nous entendons ici un travail moyen complet, journée convenable, habileté et diligence ordinaires de l'ouvrier, avec droit au repos nécessaire, au chômage du dimanche et des jours de fête, etc.

Nous entendons aussi subsistance complète, convenable pour un ouvrier bien rangé. Nous verrons tantôt jusqu'où il faut étendre cette subsistance complète.

Il est donc hors de doute que, dans l'état normal de la société, le travail doit valoir au moins la subsistance de l'ouvrier, et qu'en conséquence le patron lui doit en toute justice un salaire équivalent à cette subsistance. Notez-bien que nous disons : *en conséquence*, car ce n'est pas une obligation naturelle, directe de justice pour le patron de pourvoir à la subsistance de l'ouvrier, l'obligation de pourvoir à sa subsistance incombe à ce dernier ; le patron a l'obligation directe de justice de payer l'équivalent du travail, comme nous le disions dans le 1er principe. Si donc le patron ne paie pas l'équivalent du travail, qui dans ces conditions suffit à la subsistance de l'ouvrier ; si l'ouvrier, contraint par la nécessité, ou de peur d'un mal plus grave, consent à recevoir un salaire moindre, il y a évidemment injustice de la part du patron.

Nous avons dit : *dans l'état normal de la société.* Si en effet il se présente dans la société des circonstances telles, qu'il soit impossible à la classe la plus nombreuse de pourvoir à sa subsistance par son travail, qui est pour elle le seul moyen de gagner sa vie, il est évident que l'état de cette société est anormal et vicieux, et qu'il est du devoir des autorités publiques d'en rechercher les causes et de porter remède au mal. Si cet état dépendait en réalité d'autre chose que de l'injustice des patrons, ceux-ci pourraient, comme il arrive lors d'une crise passagère d'une industrie, se contenter en toute justice de payer l'équivalent de la valeur du travail, malgré que ce salaire ne suffise pas momentanément à la subsistance de l'ouvrier. C'est encore la doctrine des théologiens, conforme au 1er principe exposé plus haut, et parfaitement vraie. Les cas particuliers où, d'après ces mêmes théologiens, la justice permet de payer un salaire moindre que le juste salaire courant minimum, sont encore toujours des applications du même principe.

Supposons donc un état anormal, qui n'est pas dû à l'injustice du patron, un état de crise, comment faut-il

y remédier? Peut-on, *a priori* se rejeter uniquement sur le patron et lui dire : Vous devez la subsistance à votre ouvrier? Il peut vous répondre : D'une manière directe, non ; mais je lui dois l'équivalent de la valeur de son travail. Si cette valeur et mon travail ne m'apportent plus de bénéfice net, mais suffisent seulement à payer mes frais et le salaire de l'ouvrier, il y a lieu de cesser le travail, puisqu'alors mon travail est sans aucune rémunération. Je comprends néanmoins, s'il y a espoir de jours meilleurs, qu'il vaudra mieux, que je peux même être obligé par charité, non par justice, de continuer à fournir du travail aux ouviers ; mais alors il m'est permis en toute justice, le travail des ouvriers, comme le mien, n'étant plus rémunérateur, de baisser les salaires, d'après estimation équitable de mon travail et de celui des ouvriers, même au point que ces salaires ne représentent plus la subsistance des ouvriers, car ma subsistance, dans mon état, doit également entrer en ligne de compte.

Mais retournons à l'état normal de la société et de l'industrie, et définissons exactement ce que comporte la subsistance complète de l'ouvrier, à laquelle dans ce même état normal doit suffire le salaire de son travail complet, défini plus haut.

3e Principe. De même que le patron peut compter comme sa subsistance, la subsistance d'un patron, père de famille, de même l'ouvrier peut compter comme sa subsistance, sa subsistance complète, *comme un ouvrier, père de famille.*

L'on commencera peut-être par nous objecter qu'il n'y a pas parité entre le patron, qui généralement a d'autres ressources pour vivre que son industrie, et l'ouvrier qui n'a que son travail pour pourvoir à sa subsistance. Nous répondons qu'en effet il n'y a pas parité, quant aux obligations éventuelles de charité ; mais il y a parité quant aux obligations de justice et aux droits, qui suivent du contrat : la justice stricte

exige égalité ou équivalence dans l'objet propre du contrat de la part de l'ouvrier comme de la part du patron, et peu importe que celui-ci ait d'autres ressources ou qu'il n'ait non plus que son industrie pour vivre.

Veuillez bien remarquer les mots : sa subsistance *comme un ouvrier*, *père de famille*, c'est-à-dire ce qu'il faut à un ouvrier pour vivre convenablement à sa condition et ce qu'il se doit à lui-même et à sa famille, s'il se marie ; en le supposant honnête et frugal, en supposant une mère de famille également de bonne conduite, bonne ménagère ordinaire, et qui apporte aussi son appoint suivant sa condition ; car cet appoint est possible, sans que la femme sorte de ses attributions, et il n'est pas du tout quantité négligeable (1). Mais il reste

(1) Il ne s'agit pas pour la mère de famille d'un salaire à rapporter de l'usine ou de l'atelier, il ne s'agit pas même d'un salaire à rapporter d'un travail extérieur mieux adapté à sa condition que celui de l'usine, mais il s'agit surtout du travail fait à la maison même, sans nuire aux soins du ménage et à l'économie qui réduisent si considérablement les dépenses.

« Nous avouons ne pas comprendre, *dit le P. Martin*, pourquoi certains s'obstinent à ne pas vouloir compter sur le moindre travail de la part de la mère et des enfants pour augmenter le budget du ménage. Y a-t-il donc incompatibilité absolue entre le rôle maternel et un travail quelconque? S'il en était ainsi, grand serait le nombre des femmes qui vivraient en contradiction avec leur devoir, car il n'est guère de familles ouvrières où la mère se dispense de tout labeur salarié. Nous réprouvons de la manière la plus formelle le travail qui ravit la femme mariée à ses enfants et à son foyer, pour l'enfermer dans l'usine ou dans l'atelier pendant de longues heures du jour et de la nuit. Mais qui osera prétendre que les travaux de la campagne sont démoralisateurs et destructeurs de la famille, quand la mère y prend une part en harmonie avec ses forces et sa situation? Pareille thèse, fausse et dangereuse à notre avis, ne peut être soutenue que par des citadins n'ayant jamais vécu hors de leur ville..... Il est à peine nécessaire d'indiquer les mille travaux de basse-cour, de jardinage, de couture, qu'une mère peut accepter sans se séparer de ses enfants. Ce sont pourtant là autant de ressources qui s'ajoutent au salaire du mari.

Dans l'industrie elle-même, combien de choses peuvent se faire au foyer domestique! Le tisserand, la dentellière, la brodeuse, l'ouvrière en soierie travaillent à la maison. L'esprit de famille ne perd rien à ces habitudes, et pour ne citer que ceux là, les *Canuts* et les *Canuses* de Lyon se sont toujours fait remarquer par leurs bons sentiments et leur moralité.

Les enfants nombreux sont une charge, sans doute ; mais quand ils ont

vrai que le salaire doit fournir à l'ouvrier, comme chef de la famille, le principal et gros apport d'entretien du ménage.

Ce salaire, qui doit valoir à l'ouvrier, comme à un ouvrier, père de famille, sa subsistance, reste le même, que l'ouvrier soit réellement père de famille, ou qu'il soit célibataire, comme l'insinue la formule que nous employons : *comme à un ouvrier, père de famille.* Car l'ouvrier en tout cas a le droit, la libre faculté de se marier et c'est sa condition de vie ordinaire; aussi longtemps qu'il est célibataire, s'il gagne un salaire supérieur à la somme de ses besoins, il peut épargner en vue de s'établir et de se marier, il peut songer aussi à parer aux jours mauvais et à la vieillesse; et d'autre part, s'il n'a pas actuellement la charge de père de famille, il n'a pas non plus les soins ni l'appoint d'une épouse et femme de ménage.

Il ne faut pas mesurer la subsistance de l'ouvrier aux nécessités du moment, mais tenir compte de sa carrière tout entière, et de sa condition de vie ordinaire.

Il ne faut pas non plus varier suivant le nombre d'enfants, car si à un moment donné la charge du père de famille devient trop lourde, d'une part sa prévoyance aura dû prévenir la crise et d'autre part les enfants en grandissant apporteront plus tard leur appoint au ménage.

Il est vrai que l'ouvrier n'est pas à l'abri des maladies, des malheurs, et que, en dehors même de ces épreuves, il peut traverser des moments bien pénibles, mais alors c'est le rôle de la charité chrétienne d'intervenir efficacement, et elle ne fera pas défaut. Le patron

---

passé l'âge de treize ans, ils commencent à gagner, et leur gain, si modique soit-il, contribue au bien-être général. Le moment où ils peuvent faire des travaux plus largement rétribués est, dans le ménage, le temps de la prospérité et de l'épargne pour l'établissement des enfants, et pour les jours de chômage, de maladie ou de repos forcé quand viendra la vieillesse. »

fortuné doit se souvenir tout le premier de cette obligation de charité, mais on ne peut lui en faire, pas plus qu'à tout autre, une obligation de justice. On ne pourrait donc pas le taxer d'injustice, parce qu'il n'élève pas le taux du salaire, pourvu que ce taux représente la subsistance d'un ouvrier, père de famille, dans les conditions communes, ordinaires.

Le lecteur aura déjà remarqué que notre formule diffère, non seulement pour la forme, mais aussi pour le fond, de la terminologie souvent employée de *salaire familial*. Notre formule est en même temps et plus exacte et plus claire, et elle s'adapte d'une manière générale à toutes les situations, sans qu'il soit nécessaire de faire des distinctions. Le salaire familial est-ce le salaire suffisant pour la subsistance de la famille, relativement aux nécessités du moment, et que l'on pourrait appeler salaire familial variable ou *relatif*? Ce terme, qui n'était pas heureux, a disparu avec l'opinion même qu'il représente, et qui est abandonnée à bon droit. Est-ce le salaire familial *absolu* ou moyen compté pour un nombre moyen d'enfants, ou est-ce, comme certains disent dans des sens divers, le salaire familial *collectif?* Tout ce que les *bons* arguments produits démontrent, c'est notre thèse. Et quel salaire payer, si toute la famille est au service du patron? Le salaire dit familial suffit-il? Nous disons que non: il faut le juste salaire à chacun, suivant son travail, ses services fournis. Qu'on veuille bien remarquer que ce n'est pas là une hypothèse gratuite, c'est souvent une réalité. Ainsi à la campagne, le grand fermier a parfois à proximité de sa ferme des maisons ouvrières habitées par ses domestiques et leurs familles, afin de ne pas manquer d'ouvriers et d'en avoir de fidèles. Ces familles sont tout entières à son service, le mari tout d'abord, la femme suivant sa condition, et tous les enfants, à mesure qu'ils grandissent. Rien n'empêche qu'un industriel fasse de même.

Nous ne disons donc pas: le patron doit à l'ouvrier le

salaire familial. Cette proposition prête à beaucoup de malentendus, de confusions et d'inexactitudes. Nous disons plutôt: le patron doit à l'ouvrier le juste salaire, l'équivalent du travail fourni; c'est l'ouvrier qui avec le salaire doit pourvoir à sa subsistance; cette subsistance doit s'entendre de la subsistance d'un honnête ouvrier, père de famille. D'où il suit que, dans l'état normal de la société, et en dehors d'une crise passagère de l'industrie, il faut que le salaire soit suffisant pour que l'ouvrier puisse remplir l'obligation propre de chef de famille. Donc, dans ces conditions normales, le patron est injuste, s'il donne moins.

Il est facile de voir que notre doctrine est bien conforme à celle de l'Encyclique *Rerum Novarum*, et de son interprétation par le Card. Zigliara, communiquée par ordre du St Père au Cardinal Archevêque de Malines.

Ce qui même dans cette interprétation semble contraire à la thèse du salaire familial absolu (Dub. II.) s'adapte sans violence à notre exposé.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Februarii 1901.

—

I

Explica Eccl^ci V, 4: *Ne dixeris: Peccavi, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.* 5 *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum.* 6 *Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* 7 *Misericordia enim et ira ab illo citò proximant, et in peccatores respicit ira illius.*

II

Explica Judæ v. 22: *Et hos quidem arguite judicatos:* 23 *illos vero salvate, de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore: odientes et eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.*

III

Quæritur quodnam sit in cultu sanctorum *objectum formale cui* h. e. ratio propter quam cultus defertur, et utrum ille cultus sit *absolutus* an *relativus*.

IV

Da notionem *Indulgentiæ*.

V

Da definitionem virtutis moralis supernaturalis eamque explica.

VI

Exposita relatione quæ viget virtutes infusas inter et acquisitas, ostende virtutum acquisitarum utilitatem in ordine præsenti supernaturali.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Novembris 1900 propositas.

—

I

Q. Quo sensu *omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, et non potest peccare*, uti legitur 1 Jo. III, 9; V, 18?

R. Hisce locis gravissimè abusus est olim Calvinus, cum inde deduceret hominem semel justificatum jam non posse ita peccare ut à justitia et salute excidat.

Huic autem doctrinæ adversatur vel ipse S. Joannes scribens II, 1 « *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis* ». Præterea, uti notat Estius. « Hic sensus olim in Joviniano damnatus est, et apertissimis scripturis repugnat, quæ docent à gratia Dei posse hominem excidere, et in damnabilia peccata incidere. Item, perseverantiam fidei et charitatis, esse specialia Dei dona, non omnibus fidelibus et justis communia. Quò pertinent innumerabiles exhortationes ad perseverandum in fide et sancta conversatione. » Addamus et definitionem Concilii Tridentini sess. VI, can. 23: « Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere; atque ideo eum, qui labitur, et peccat, nunquam verè fuisse justificatum,... anathema sit. »

Haud pauci catholici Interpretes cum S. Augustino *(De Gratia Christi, cap. XXI)* censent omnem hominem ex Deo natum S. Joanni non peccare neque posse peccare in *sensu formali* seu quatenus ex Deo natus est, nimirum quantum est ex parte ac spectatà vi nativitatis et gratiæ divinæ: hæc enim, si sinatur operari, nec ei resistat liberum arbitrium, potens est et efficax, ut

excludat omne peccatum. Potest igitur filius Dei adoptivus peccare potentiâ naturæ, sed non potest potentiâ habitus gratiæ, inquit Thomas Anglicus, perindè ac si diceretur: bonus scriptor non potest male scribere, intelligendo bonum scriptorem formaliter qua talem.

Sed hoc sensu formali filius Dei neque venialiter peccare potest. Jam vero S. Joannes in hisce locis loquitur tantùm de peccatis mortalibus. Tradit enim signum quo dignoscuntur in hoc sæculo filii Dei et filii diaboli: quod nempe isti peccant, illi non peccant. *In hoc*, ait III, 10, *manifesti sunt filii Dei et filii diaboli.* Atqui non venialia peccata, sed mortalia, discernunt filios diaboli à filiis Dei. Namque etiam de justis testatur S. Joannes 1, 8: « *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* ». Pariter S. Jacobus III, 2. « *In multis offendimus omnes* ». Cf. Concil. Trid. Sess. VI, can. 23: « Si quis hominem semel justificatum dixerit... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit. »

Melius igitur alii cum S. Hieronymo *(Lib. II contra Jovinianum)* tenent hominem ex Deo natum non peccare neque peccare posse *graviter* et quidem in *sensu composito*, *quamdiu* scilicet ex Deo natus ac Dei filius manet, quia eo instanti quo peccat graviter, nativitas illa et filiatio divina evanescit; quasi diceret Apostolus: Stare simul hæc duo non possunt: graviter peccare et esse filium Dei. Similes sunt locutiones: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt* Rom. VIII, 8; *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial?* II Cor. VI, 14, 15; *Nemo potest duobus dominis servire... Non potestis Deo servire, et mammonæ* Matth. VI, 24. Quare autem *omnis qui natus est ex Deo, peccatum non faciat, et non possit peccare*, declarat ipse Apostolus, nimirum: *Quoniam semen ipsius* (Dei) *in eo manet*,

quoniam ex Deo natus est (III, 9), seu quia nativitatem illam ac filiationem Dei in se habet manentem, cum qua peccatum grave non consistit. Porrò dicitur manere in illo semen Dei seu nativitas ac filiatio divina, non quòd in eo permaneat usque in finem (nam hîc non est sermo de perseverantia), sed « quia permanenter inest atque inhæret, velut quiescens, residens et inhabitans. Quod non fit sine qualitate aliqua permanente: ut hinc rectè statuatur gratia permanenter inhærens animæ, quam vocamus gratiam habitualem » Estius.

Ex eo autem quod S. Joannes III, 10 asserit filios diaboli et filios Dei manifestos esse per hoc quod isti non peccant, illi vero peccant, « non est consequens, ait idem Estius, in hoc sæculo manifestum nobis esse, qui sunt filii Dei, qui filii diaboli; qui justi, et qui injusti. Sentit enim Joannes ea quæ dicta sunt, *peccare* et *non peccare*..., certissimas esse notas et signa hujus discriminis, non tamen semper nobis evidentia; sed, quantum signa cognoscere possumus, tantum etiam judicare nos posse de hominibus per illa discernendis ».

G. V. D. P.

II

Q. *Præmissa notione* satisfactionis, *explica quomodo potuerit Christus toti Trinitati, adeoque et sibi ipsi quatenus Deus erat, exhibere satisfactionem.*

R. I. Satisfacere est « facere æquale seu sufficiens debito (1) ».

Unde satisfactio, generalissime accepta, est cujuslibet debiti seu præcepti adimpletio. (2)

Satisfactio, stricto sensu, designat compensationem

(1) Cajet. in III, q. XLVIII, a. 2.

(2) Cf. De Lugo, *De Justitia et Jure*, Disp. VIII, Sect. 2, n. 17, et Ill^{mi} ac Rev^{mi} Waffelaert, *De Justitia*, T. II, n. 223.

pro honore læso, et tunc definiri potest: opus quo quis compensat læsionem honoris a se vel ab alio illatam.

Compensatio est *adæquata* quando obsequium tantæ est æstimabilitatis quantæ fuit gravitatis læsio honoris per offensam; secus inadæquata. Unde « satisfactio dici potest dupliciter sufficiens. Uno modo perfecte, quia est condigna per quamdam adæquationem ad recompensationem culpæ commissæ.... Alio modo potest dici satisfactio sufficiens imperfecte, scilicet secundum acceptationem ejus, qui est ea contentus, quamvis non sit condigna. » (1)

Ut autem determinetur quando satisfactio sit adæquata seu condigna vel non, considerandum est quod æstimabilitas operis satisfactorii provenit ex dignitate personæ honorantis: honor enim consistit in protestatione seu testimonio de excellentia bonitatis alicujus (2): quo igitur dignior est testificans, eo æstimabilius est testimonium de alicujus excellentia, seu honor. E contrario læsio honoris æstimatur ex dignitate personæ offensæ quatenus tanto est offensa gravior quanto dignior est ille in quem delinquitur. Unde ut satisfactio sit condigna requiritur omnino ut persona satisfaciens conveniat cum persona offensa in eodem ordine, puta in eadem specie vel eodem genere saltem supremo. Ideo ut pro peccato quod divinæ majestatis est offensa præstetur condigna satisfactio necesse est ut satisfaciens divina gaudeat dignitate seu sit persona divina (3).

II. Præsentis quæstionis scopus non est ut perpendamus omnia requisita ad hoc ut Christus condignam pro peccato potuerit exhibere satisfactionem, nec ut demonstremus Christum de facto satisfecisse, sed tantum intendimus difficultatem solvere quæ oritur ex hoc

---

(1) S. Thom. III, q. I, a. 2, ad. 2.

(2) Cf. *Coll. Brug.*, T. V, p. 469.

(3) Cf. S. Thom. III, q. I, a. 2, ad 2; Jungmann, *De Verbo Incarnato*, n. 290; Billot, *De Verbo Incarnato*, Ed. 3a, Thes. II, § 2.

quod si Christus Deo satisfecerit, debuerit et sibimetipsi, quatenus et Deus erat, satisfacere.

1. In hoc revera jacet difficultas: etenim si notiones *honoris*, *reverentiæ*, *satisfactionis*, introspicimus, patet in ipsis contineri rationem *alteritatis,* (1) quatenus nempe non idem sit simul honorans et honoratus, reverens et ille cui reverentia exhibetur, satisfaciens et ille cui præstatur satisfactio. Et sane: quamvis aliquis possit seipsum cognoscere, amare, laudare, tamen nemo sibimetipsi proprie tribuit honorem: quia honor consistit proprie in testimonio de excellentia alterius. Deinde quoad reverentiam, hæc consistit in sui ipsius submissione ad agnitam alicujus excellentiam: nemo autem sibimetipsi se subjicere potest. Tandem nemo suum honorem lædit: sicut ergo honoris læsio ab altero proficiscitur, ita ab altero hæc læsio est reparanda, quatenus nempe alter actum honorificum præstet illi cui debitus honor fuit negatus.

2. Ut hæc nota *alteritatis* melius intelligatur duo sunt consideranda:

a/ In omni agente duo sunt distinguenda principia actionis: principium *quod* agit, h. e. suppositum seu, in intellectualibus naturis, persona, et principium *quo* agit suppositum, h. e. natura: natura enim est primum principium internum propriæ actionis cujuslibet agentis. Proinde actus honorandi, reverendi, satisfaciendi, elicitur a supposito tamquam a principio *quod* agit, et a natura tamquam a principio *quo* agit illud suppositum. Jamvero in omnibus entibus, quæ et quatenus naturali rationis lumine cognoscuntur, *uniuscujusque suppositi est etiam una natura et vice-versa:* unde ratio alteritatis quæ, secundum supra exposita, requiritur inter honorantem et honoratum, non invenitur, apud illa entia, nisi in alteritate *suppositi* seu *personæ:* ita ut altera sit *persona* honorans, altera *persona* honorata. (Et ex hoc

(1) Cf. Ill^{mi} ac Rev^{mi} Waffelaert, *de Justitia*, t. I, n. 6 et sqq.

præcise nobis exsurgit difficultas quando agitur de Christi satisfactione).

b/ Natura etiam est principium quo seu principium ratione cujus competunt alicui jura et officia, et pro diversitate specifica vel numerica naturarum diversificantur jura et officia (1): unde si ad aliquam naturam consequitur *jus* exigendi reverentiam, ad alteram naturam consequetur *officium* hanc reverentiam præstandi: iterum quia in entibus, quæ et quatenus naturali rationis lumine cognoscuntur, uniuscujusque naturæ unum est suppositum et vice-versa, apud illa entia, ratio alteritatis quæ intercedere debet inter habentem jus ad aliquid exigendum et habentem officium hoc præstandi, non invenitur nisi in alteritate suppositi seu personæ: consequenter, in ordine naturali, altera est persona satisfaciens et altera persona cui exhibetur satisfactio.

3. In Christo alteritas personæ *non formaliter* invenitur, sed *virtualiter* adest: *non formaliter:* quia in Christo unica tantum est persona; *virtualiter:* quia propter supernaturalem unionem duarum naturarum in Christo, Ipse potest duarum personarum vices gerere: nempe Christus secundum quod est homo elicere potest actum satisfactorium qui ad semetipsum secundum quod est Deus dirigitur et a semetipso etiam secundum quod est Deus acceptari potest.

Hæc paucis explicemus: quum in Christo sint duæ naturæ integræ et inconfusæ, sunt in Ipso duo principia adæquate distincta *quibus* agere potest Christus, duo etiam principia adæquate distincta ad quæ consequuntur jura et officia: ideoque integra remanet in Christo distinctio jurium et officiorum quæ ad alterutram naturam consequi possunt.

His positis: per naturam humanam, utpote completam et adæquate distinctam a natura divina, potest Christus elicere actus honorandi semetipsum ob divi-

(1) Cf. *Collat. Brug.* T. V, p. 79.

nam excellentiam quæ sibi inest ratione divinæ naturæ et in qua excellentia minime communicat humana natura.

Præterea ratione humanæ naturæ competit Christo *snbjectio* ad Deum et consequenter ad semetipsum secundum quod Deus est (1): proinde per naturam humanam elicere potest Christus actus submissionis et reverentiæ erga semetipsum ob supremum omnium rerum dominium quod sibi inest ratione divinæ naturæ, in quo dominio minime communicat humana natura.

4. Tandem ad veram satisfactionem requiritur ut satisfaciens qua talis minime sit in honore læsus per injuriam pro qua satisfacit: jamvero « Christus qua homo minime communicat in jure quod læditur per peccatum qua peccatum est. Peccatum enim formaliter consideratum est offensa Dei et contra legem Dei; violatio autem juris creaturæ non habet peccati rationem nisi in quantum est contra ordinem finis ultimi, et lege æterna prohibetur » (2). Si igitur Christus secundum quod est homo non communicat in jure quod læditur per peccatum, et si actus honoris, reverentiæ erga semetipsum qua Deum elicere potest, ut supra ostendimus, nihil jam obstat quominus veram satisfactionem pro peccato præstet sibimetipsi quatenus ipse Deus est.

J. V. D. M.

III

Q. *An, quandonam et quænam* absolutio *est impertienda in concedenda vel exequenda dispensatione matrimoniali?*

R. I. **Notio prævia.**

Triplex distinguitur absolutio in concedendis vel

(1) Cf. Collat. Brug, T. V, p. 78 et seq.
(2) Billot, *De Verbo Incarnato*, Ed. 3ª, Thes. XXXI.

exequendis dispensationibus pro opportunitate impertienda:

1°/ Absolutio *ad effectum,* quæ, uti nomen indicat, non aufert ipsum objectum absolutionis, puta censuram, *simpliciter et absolute*, sed *secundum quid* dumtaxat; nimirum unice efficit ut censura non obstet consecutioni dispensationis, relinquens censuram quoad reliqua; unde excommunicatus sic absolutus valide quidem potest dispensari, ast manet, non secus ac antea, excommunicationi obnoxius.

Vocatur etiam absolutio *generalis*, quia non restringitur ad censuram vel sententiam aliquam specialem, sed sese extendit, salvis exceptionibus infra indicandis, ad omnes indeterminate; passim etiam dicitur absolutio *ad cautelam*, cum ideo concedatur ne propter existentiam ignotæ alicujus censuræ invalidetur dispensatio elargienda (1).

2°/ Absolutio *juridica*, quæ est vel a culpa seu reatu vel a censura et a culpa, sive pro foro externo sive pro foro interno tantum. Absolutio autem juridica

a/ *a reatu seu culpa* non quidem aufert ipsam maculam peccati seu peccatum in quantum est offensa Dei, sed efficit, si *in foro externo* datur, ut illud delictum jam ulterius non sit *coram Ecclesia* ratio quod in reum agat eumque puniat; si datur *in foro interno tantum*, efficit ut si Ecclesia, propter delictum in foro externo manens inabsolutum, sæviat in reum, hic coram Deo et conscientia non debeat solvere pœnas inflictas, nisi in quantum aliunde id exigat ordo publicus servandus.

(1) Omnis absolutio *ad effectum* est ad cautelam, sed, stricte loquendo, absolutio quæ datur ad cautelam non est semper *mere et unice* ad effectum. Ita absolutio a censuris quæ datur a confessario in Sacramento Pœnitentiæ est absolutio ad cautelam et qua talis efficit ut pœnitens, occulte forsan censura innodatus, licite recipiat absolutionem sacramentalem a peccatis; sed simul ulterius reipsa aufert *absolute et simpliciter* censuras a quibus absolvendi facultatem habet confessarius, puta censuras nemini reservatas. Cf. etiam infrà dicenda.

b/ Absolutio *a censuris et a reatu*, *insuper* e medio tollit, simpliciter et non ad effectum tantum, censuras et pœnas ab Ecclesia in delictum jam latas, quas forsan incurrit absolvendus, easque aufert coram foro externo (adeoque coram utroque foro) vel coram foro interno tantum, juxta quod datur pro foro externo vel interno dumtaxat.

Vocatur etiam absolutio *specialis*, quatenus ejus effectus limitatur ad solas censuras et sententias in facultate expressas. Cf. Planchard, *Dispenses matrim.*, n. 485.

3°/ Absolutio *sacramentalis* est illa quæ delet ipsam maculam peccati in quantum est offensa Dei; adeoque in solo foro sacramentali conceditur, dum absolutio juridica dari potest extra actum sacramentalis confessionis imo, per se (1), absenti et per litteras.

II. **Respondetur.**

A/ Absolutio **ad effectum** a censuris et pœnis

1°/ *In Rescriptis Romanis* a/ *pro foro externo* ab ipso Pontifice conceditur *in forma gratiosa*, idque obtinet in omnibus rescriptis Romanis pro foro externo Datariæ, Cancellariæ vel S. Pœnitentiariæ, non autem in rescriptis S. Officii pro matrimoniis mixtis. Cf. Planchard, l. c., n. 273.

Ratio cur prævie ad dispensationem detur hujusmodi absolutio est, ut jam notavimus, ut caveatur ne frustra fulminetur dispensatio in oratores si contingeret illos esse excommunicationi obnoxios. In L. VI namque Decretalium, tit. III, *De Rescriptis*, cap. 1, legitur: « Ipso jure rescriptum vel processus per ipsum habitus non valeat, si ab excommunicato (super alio quam excommunicationis vel appellationis articulo) fuerit impetratum ».

(1) Dicitur *per se*, quia olim non pauci requirebant præsentiam nuptu-rientium, ex eo quod in tenore rescripti addebatur « in forma Ecclesiæ consueta »; quæ verba jam omittuntur. Cf. *Nouv. Rev. theol.*, XIX, p. 620-621; XX, p. 35-36; Feye, *De Imped. matrim.*, n. 744 et 756.

Notetur tamen hanc *ad effectum* absolutionem non prodesse hæreticis nec illis quos memorat regula 66 Cancellariæ (1), ratione habita moderationis introductæ per Constitut. *Apostolicæ Sedis*.

Formula consueta Datariæ et Cancellariæ sic habet: Nos igitur... eorum (exponentium) quemlibet a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, si quibus quomodolibet innodati existunt, *ad effectum præsentium tantum consequendum harum* serie absolventes et absolutos fore censentes... » (2). Porro, cum detur absolutio ab ipso Papa in forma gratiosa, jam non est repetenda a fulminante. Cf. Feye, op. cit., n. 756, in nota; Planchard, op. cit, n. 307, in nota.

b/ *pro foro interno*, non datur absolutio ab ipso Pontifice sed relinquitur impertienda ab ipso confessario, cui integra dispensationis executio demandatur. Nimirum hanc dispensationem confessarius exequatur oportet in actu sacramentalis Pœnitentiæ, prævie ad fulminationem audita confessione, et impertita, ubi fas est, absolutione sacramentali a peccatis; porro antequam sacramentaliter absolvat a peccatis, consuetam præmittit absolutionem a censuris, quæ, relate ad dispensationis beneficium sicut relate ad absolutionem sacramentalem a peccatis, vices gerit absolutionis *ad effectum* a quibusvis censuris; ubi vero a peccatis absolvi nequit dispensandus et aliunde dispensatio urget, sola utatur formula absolutionis a censuris vel aliam adhibeat consimilem ad absolvendum ad effectum. Cf. *Librum Manualem*,

---

(1) Regulæ Cancellariæ enumerantur apud Pyrrhum Conradum, *Praxis Dispensat. Apostol.*, ad calcem; Ferraris, *Prompta Bibliotheca*, *Ve Beneficium*, art. IX, n. 10; in specie regula 66^a exhibetur a Feye, op. cit., n. 735, Putzer, *Comment. in Facult. Apost.*, n. 47; Planchard, op. cit., n. 175-176.

(2) In rescriptis S. Pœnitentiariæ habetur: « S. Pœnitentiaria.... suprascriptos oratores a quibusvis sententiis et pœnis ecclesiasticis, tum a jure tum ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati sint *ad effectum infrascriptæ gratiæ* dumtaxat consequendæ, hujus rescripti tenore absolutos fore censens.. ».

ed. 1ª, p. 158-159, collatis dicendis infra, sub B/, 1°, b/.

2°/ *In dispensationibus Episcopalibus*, laudabiliter aget Ordinarius, saltem ubi ex indulto dispensat, præmittendo absolutionem ad effectum « etiam ubi nullam prævidet censuram ab oratoribus fuisse contractam »; ejus tamen omissio non redderet dispensationem invalidam nisi casu, sane infrequenti, quo dispensandus reipsa excommunicatione extiterit innodatus. Resp. S. Pœnit. 2 Julii 1891, apud *Nouv. Rev. théol.*, XXIII, p. 309 et seq; collatis Putzer, *Comment. in facult. Apost.*, n. 47; Feye, op. cit., n. 736 (p. 801); Planchard, op. cit., n. 316 ad 4ᵐ.

Quoad *formulam* non est distinctio facienda inter forum externum et internum, cum Ordinarius, in diœcesi Brugensi, semper dispenset et absolvat *in forma gratiosa*, et, etiam pro foro conscientiæ, *extra actum sacramentalis confessionis*, juxta expressam licentiam S. Pœnitentiariæ (1): in utraque igitur hypothesi absolvit Episcopus ad normam Pontificis in rescriptis pro foro externo, sub 1°, a/.

3°/ Idem valet, quoad *usum* absolutionis *ad effectum*, pro dispensationibus quas impertitur *simplex sacerdos*, vi facultatis per Pagellam factæ vel ab Episcopo habitualiter subdelegatæ, uti contingit, in diœcesi Brugensi, penes *parochos* in ordine ad dispensandum cum moribundis concubinariis vel cum illicite affinibus in casu urgenti.

Quod autem spectat *formulam*, ubi dispensat *pro foro conscientiæ*, non potest id facere nisi in actu sacramentalis confessionis, adeoque *ad effectum* absolvet juxta modum et formulam de qua sub 1°/, b/; ubi vero

(1) « Vobis... Episcopo N..., infrascriptas communicamus facultates... quibus.. pro foro conscientiæ, per Vos, sive per vestrum Vicarium in spiritualibus generalem,... *etiam extra sacramentalem confessionem*... uti valeatis ». Cf. Putzer, op. cit., n. 251.

dispensandum habet *pro foro externo*, puta cum moribundo, in impedimentis publicis, distincta utetur formula, juxta dicta sub 1°/ a/. Cf. Joder, *Formulaire matrim.*, p. 142.

B/ Absolutio **juridica** regulariter est elargienda quando in supplica, ratione causæ allegatæ, sive ratione impedimenti dispensandi, delictum declaratur ab oratoribus perpetratum. Erit autem absolutio a censuris simul et a reatu, vel a reatu tantum, prout per delictum imputatum præsumitur contracta censura necne.

Ita inseritur in rescripto facultas absolvendi a sola culpa, nempe « a præmissis », « ab hujusmodi excessibus », etc., quando v. gr. causa allegata est nimia familiaritas absque copula, contractus initus civilis absque unione, et ita porro; item v. gr. quando impedimentum est votum castitatis (1). Contrà inseritur facultas absolvendi a reatu et simul a censuris, sententiis et pœnis, quotiescumque declaratur incestus (2), (seu copula vel concubinatus inter affines, consanguineos), vel adulterium (3) in impedimento criminis, vel attentatio matrimonii coram ministro hæretico (4), et ita deinceps.

(1). *Collat. Brug.*, III, p. 585; Planchard, op. cit, n. 529, collato n. 465.

(2) Tenor, ubi allegatur *incestus*, hæc vel similia habet: « prævia absolutione... a censuris et pœnis ecclesiasticis, si quas ob præmissa incurrerint, et ab incestus reatibus » Præter facultatem absolvendi ab incestus reatu additur facultas absolvendi a censuris et pœnis, quia etsi, inde a Constit. *Apost. Sedis*, jure communi, incestus jam non subsit excommunicationi, præsumitur tamen a jure particulari in illum latas esse pœnas ecclesiasticas. Cf. Feye, op. cit., n. 744; Gasparri, *De Matrim.*, n. 369.

(3) Propter adulterium pariter præsumitur orator incurrisse forsan anathema quod Tridentinum, Sess. 24, can. 2, dicit contra illum qui dixerit « licere christianis plures simul habere uxores et hoc nulla lege esse prohibitum ». Cf. *Collat. Brug.*, V, p. 606, in nota.

(4) Matrimonium contrahentes coram ministro hæretico qua tali, præsumuntur, ob in illo actu implicite contentam hæresi adhæsionem, excommunicationi subesse, speciali modo in Constit. *Apostolicæ Sedis* latæ « in hæreticos eorumque credentes ». Cf. *Collat. Brug.*, V, p. 304-305; Planchard, op. cit., n. 273.

Quo posito principio, in specie

1°/ In *Rescriptis Apostolicis*, sive fori externi sive fori interni, absolutio juridica, ubi juxta modò dicta ea est opus, non datur in forma gratiosa sed in forma commissoria, facta scilicet a Pontifice (1) facultate executori eam oratoribus, pro opportunitate elargiendi.

Quod autem spectat a/ executionem rescripti *pro foro externo*, concedi potest absolutio ab executore *per se vel per alium:* equidem in ordine ad absolvendum non est nisi merus executor, adeoque de se non potest ad hoc alium committere, sed expressa occurrit subdelegandi facultas, tum in rescriptis Datariæ et Cancellariæ (2), tum in rescriptis S. Pœnitentiariæ (3).

Formula uti licet qualibet, saltem juxta hodiernum tenorem in quo jam non urgetur ut detur « in forma Ecclesiæ consueta », et dari potest absenti et scripto, uti de facto in usu est in diœcesi Brugensi, in qua Officialis per se et scripto absolvit. Cf. p. 33, in nota.

Vi tenoris restringitur facultas absolvendi *ad hanc tantum vicem*, adeo ut si post absolutionem reincideret orator in eamdem censuram, jam non posset ab ea rursus absolvi vi facultatis in rescripto concessæ. Cf. Planchard, op. cit., n. 485.

Tandem in rescriptis pro foro externo absolvendi dicuntur oratores « *pro utroque foro* », quod, juxta responsum S. Pœnitentiariæ 27 Aprilis 1886, ita est intelligendum « ut requiratur *una* tantum absolutio in foro externo impertienda, quæ valeat etiam pro foro interno », nequaquam vero ita « ut requiratur *duplex*

(1) Facultas absolvendi datur *ab ipso Pontifice*, quia causa ad Papam delata integra ad ejus forum trahitur per appositionem, uti dicitur, manus Pontificiæ, ligata, quoad absolutionem juridicam (non quoad sacramentalem) etiam de se non reservatam, potestate inferioris ; ideo etiam impertienda est nomine Pontificis, memorata delegatione Apostolica. Cf. Feye, op. cit., n. 744, 756; Pompen, *Tractat. de dispensat.*, n. 80.

(2) « Per Te vel per alium ».

(3) « Prævia sive per se sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam ab eo (executore) ad hoc specialiter hac vice tantum deputandam ».

absolutio, una scilicet in foro externo, alia in foro interno ». Feye, *De Imped. matrim.*, n. 779.

Quoad b/ executionem rescripti *pro foro interno:* hujusmodi executio, uti notavimus, semper est peragenda in foro sacramentali, et pro absolutione juridica sufficit formula absolutionis a censuris præviæ ad absolutionem sacramentalem a peccatis, quæ absolutio a censuris simul est *ad effectum* pro censuris indeterminate omnibus, et absoluta relate ad censuras ad quas specialem obtinuit facultatem in ipso rescripto; quæ formula Ritualis recte adhibetur, juxta Pompen, op. cit, n. 103, etiam quando absolutio sacramentalis est omittenda et aliunde urget necessitas dispensandi; quo tamen casu aliæ formulæ proponuntur usurpandæ magis speciales apud Planchard, op. cit., n. 486 et n. 527-537.

2°/ In *dispensationibus Episcopalibus* cum Episcopi debeant, saltem ubi dispensant ex indulto, sequi stylum Curiæ, opus est ut et ipsi absolutionem juridicam dispensationi præmittant, quotiescumque, juxta disciplinam expositam, a Curia Romana impertienda injungitur. Rursus autem, pro *modo et formula* servandis, attende Ordinarium Brugensem, etiam pro foro conscientiæ dispensare et absolvere in forma gratiosa idque extra sacramentalem confessionem. Cf. Feye, op. cit., n. 756; Planchard, op. cit., n. 525.

3°/ In dispensationibus quas *simplex sacerdos* concedit in casibus sub A/, ad 3m enumeratis, eidem disciplinæ sese conformet oportet, attenta, quoad *modum et formulam,* distinctione facta sub B/, 1°, ad a/ et b/, prouti dispensat pro foro externo vel pro foro conscientiæ in actu sacramentalis confessionis.

C/ Absolutioni **Sacramentali** a peccatis, uti ex dictis jam liquet satis, locus non est in exequendis vel concedendis dispensationibus, nisi pro solis dispensationibus *a confessario* pro foro interno directe concessis, vel vi rescripti Apostolici pro eodem foro executioni mandatis.

Absolutio tamen sacramentalis non est ad valorem, sed sola peccatorum accusatio, et in casu quo absolvi nequit pœnitens et aliunde differri non potest dispensatio, sufficit absolutio prævia a censuris, juxta dicta sub B/, ad 1m, sub b/. Cf. Feye, op. cit., n. 751; Planchard, op. cit., nn. 482-484, collato n. 516; Theol. Mechl., *De Matrim.*, ed. 1894, p. 395.

A. D. S.

IV

Q. *An, quandonam et quænam* pœnitentia *est imponenda a concedente vel exequente dispensationem matrimonialem?*

R. Attenta jurisprudentia hodiedum in concedendis dispensationibus vigenti (1), *duplex* distinguitur pœnitentia: *una* quæ sequitur absolutionem sacramentalem a peccatis et ipsa sacramentalis vocatur ac injungitur in pœnam et vindictam peccati in quantum est offensa Dei; *altera* quæ consequitur absolutionem juridicam atque irrogatur in pœnam delicti, in quantum reatum inducit coram Ecclesia.

A/ Prior pœnitentia **Sacramentalis** est imponenda quotiescumque, juxta dicta sub responso ad IIIm Qu., dispensandi sunt sacramentaliter absolvendi; et pro dijudicanda hujusmodi pœnitentiæ qualitate et quantitate applicandæ sunt regulæ propositæ in Tractatu de Pœnitentia.

(1) Olim in rescriptis Datariæ et Cancellariæ *in forma pauperum*, altera, præter pœnitentiam absolutioni a censuris subjunctam, irrogabatur pœnitentia non sacramentalis in reparationem scandali eaque severiori efferebatur formula, deinceps tamen moderata, uti videre est apud Planchard, *Dispenses Matrimoniales*, n. 213, collato *Nouv. Rev. théol.*, XIX, p. 614-615 et seq. Ita tenor rescripti, quod prostat apud Reiffenstuel, in *Appendice* ad l. IV. Decret., n. 405, ita habet: « ... deinde, si veniam a te petierint humiliter, eam illis pœnitentiam publicam imponas, quæ alios deterreat a similibus committendis, utque idem Laurentius operam suam conferat Fabricæ, aut in aliud servitium alicujus Ecclesiæ vel loci pii, tribus saltem mensibus, aliaque injungas quæ de jure fuerint injungenda ».

B/ Alteri pœnitentiæ **juridicæ** est locus quotiescumque absolutio juridica est elargienda, juxta principia late exposita sub responso ad III^m Qu. Cæterum passim, in rescriptis Apostolicis, mandato absolvendi a censuris et a reatu vel a reatu tantum, expressis verbis subjungitur præceptum imponendi pœnitentiam; imo in indultis S. Pœnitentiaræ dispensandi in impedimentis ex delicto clausula inseritur de pœnitentia injungenda.

Quoad *qualitatem* pœnitentiæ et *quantitatem:*

vel 1°/ *determinatur* in ipso rescripto aut in indulto, et tunc sufficit et oportet ut illa injungenda assumatur:

vel 2°/ *non determinatur*, quemadmodum fieri solet, et tunc relinquitur prudenti arbitrio executoris, qui « in præfinienda pœnitentiæ qualitate, gravitate, duratione etc., neque severitatis neque humanitatis limites excedat, rationemque habeat conditionis, ætatis, infirmitatis, officii, sexus etc. eorum quibus pœna irroganda injungitur ». S. Pœnitentiaria, 8 Apr. 1890, apud Feye, *De Imped. Matrim.*, n. 783.

Cæterum pro praxi nulla datur difficultas pro confessariis et parochis nisi casu quo exequendum habent rescriptum Romanum pro foro interno, vel casu quo ipsis directe est dispensandum, vi Pagellæ, vel vi subdelegationis habitualiter parochis concessæ pro moribundis concubinariis et illicite affinibus in necessitate urgenti (1).

Porro, in occurentia, adjumento esse possunt regulæ quas probati Auctores proponere solent (2), et potissi-

(1) Aliàs namque Ordinarius est qui pœnitentiam determinat, saltem in diœcesi Brugensi, sive quatenus exequitur rescripta Romana pro foro externo, sive quatenus directe dispensat ex delegata vel-ordinaria potestate: ipse, inquam, sicut per seipsum dispensat et absolvit, determinat et injungit pænitentiam, quam sufficit ut perochus vel confessarius oratoribus communicet.

(2) Cf. Feye, op. cit., n. 752; Planchard, op. cit., n. 492, collato *Nouv. Rev. théol.*, XXIV, p. 540; Van de Burgt, *Tractat. de dispensat. matrim.*, n. 79; Putzer, *Comment. in Facult. Apost.*, n. 82; Pompen, *Tractat., de dispensat.*, n. 84. 89; Théphany, *Traité des Dispenses matrim.*, nn. 262, 263, 303; Gasparri, *De matrim.*, I, n. 376; Theol. Mechl., *De Matrim.*, p. 396.

mum praxis quam respectivi Ordinarii sequuntur. Ita, in diœcesi Brugensi, ubi injungenda inseritur pœnitentia *salutaris*, Officialis passim præscribit recitationem quotidianam, per octiduum, quinquies Pater et Ave; pro pœnitentia *gravi* injungitur ut oratores, per tres hebdomadas, recitent quotidie ter Pater et Ave et semel actus fidei, spei, charitatis et contritionis; pro pœnitentia *gravi et diuturna* imponitur ut per triginta dies recitent quinquies Pater et Ave, et semel actus fidei, spei, charitatis et contritionis; ubi additur clausula confessionis sacramentalis semel singulis mensibus instituendæ per tempus dispensantis arbitrio statuendum, præscribitur ut per duos menses confessio semel in mense peragatur.

Nota. 1°/ Pœnitentia juridica non debet esse *publica*, nisi hoc expresse requiratur, uti olim in usu erat pro altera pœnitentia, de qua p. 39, in nota.

2°/ Multum disputatur utrum et quandonam pœnitentia sit injungenda *sub pœna nullitatis* (1), sed etiam ubi non requiritur ad valorem, non potest ad dispensationem procedi nisi prævie injuncta pœnitentia. Unde est « quod si in rescriptis pro foro externo ea clausula occurrat, in multis diœcesibus, ante fulminationem consueverit delegatus procurare acceptationis certitudinem ». Theol. Mechl., op. cit., p. 392. Attamen, in casu difficili, ubi prævidetur non esse acceptandam pœnitentiam, posset recurri ad S. Sedem ut mitiget vel auferat pœnitentiam, si id judicet opportunum; confessarius autem potest pœnitentiam a se injunctam

---

(1) Juxta Feye, op. cit., nn. 743, 746, 752, cui accedit Zitelli, *De Dispensat. matrim.*, p. 81, requiritur *ad valorem* in omnibus rescriptis Romanis, præterquam in rescriptis Datariæ, in forma ordinaria; contrà Planchard (apud *Nouv. Rev. théol.*, XIX, p. 625) sub pœna nullitatis solam requirit pœnitentiam juridicam *pro foro interno*; ipsique favent Reiffenstuel, l. c., n. 341; Gasparri, op. cit., n. 369 et n. 376; De Becker, *De Matrim.*, p. 327-328; Putzer, op. cit., n. 75, sub 2. Cf. ulterius Planchard, *Dispenses matrim.*, nn. 490, 218 et 257.

postea, in actu confessionis sacramentalis, immutare. Cf. Putzer, op. cit., nn. 75 et 82; Planchard, op. cit., nn. 316 et 494; *Nouv. Rev. théol.*, XXIV, p. 540 seq.

A. D. S.

V

Q. *Quinam, in foro ecclesiastico, censentur filii* legitimi, *quinam* illegitimi?

R. I. **Legitimi** (quos alii vocant *legitimos et simul naturales*), coram foro ecclesiastico et quoad effectus canonicos (1), censentur liberi qui nati sunt ex matre, quæ, *tempore conceptionis*, matrimonio erat juncta legitimo aut bona fide coram facie Ecclesiæ invalide inito, vel quæ, saltem *ante prolis nativitatem*, matrimonium iniit validum aut putativum.

Excipiuntur illi qui evidenter probantur ex alio viro procreati quam ex marito matris, necnon illi qui nati sunt ex parentibus quorum alteruter, consummato matrimonio, votum emisit solemne castitatis vel ordines sacros suscepit.

Explicatur.

1°/ Quod ad legitimitatem prolis sufficiat matrimonium *putativum*, liquet ex l. IV Decret., tit. XVII, *Qui filii sint legitimi*, cap. 2 (2); oportet autem ut nuptiæ publice

(1) *Legitimitas*, quoad effectus *canonicos*, quos hic solos intendimus, ab omni efficacia in foro civili directa vel indirecta abstrahentes, efficit ut quis, secus ac illegitimus, habilis existat ad ordines suscipiendos et ad obtinenda beneficia ecclesiastica, et careat illa macula paterni peccati, quæ adhæret illegitimis, non quidem tanquam nota delicti sed tanquam nota defectus. Cf. Reiffenstuel, in tit. XVII, n. 29.

(2) « Cum inter virum et mulierem divortii (quoad vinculum) sententia canonice sit prolata, (seu nullitas matrimonii sit declarata), filii eorum non debent exinde sustinere jacturam, cum parentes eorum publice sine contradictione Ecclesiæ inter se contraxisse noscantur. Ideoque sancimus ut filii eorum, quos ante divortium habuerunt, et qui concepti fuerant ante latam sententiam, non minus habeantur legitimi ».

et non clandestinè vel contradicente Ecclesia fuerint initæ, uti ex adducto decreto deducitur et aperte statuitur in eodem l. IV Decr., tit. III, *De clandestina Desponsatione*, cap. 3io (1).

Porro sufficit bona fides penes alterutram partem; nec refert utrum bona fides oriatur ex ignorantia sive facti sive juris, modò non sit affectata; quod utrumque ex ejusdem ultimi decreti tenore eruitur, collata interpretatione juris canonici peritorum (2).

2°/ Dicitur: « nati ex matre quæ, *tempore conceptionis* vel *saltem ante nativitatem*, matrimonium iniit validum vel putativum ». Equidem per se legitimitas natalium nititur in *conceptu* legitimo, et ideo sponte sua legitima censetur proles, stante matrimonio, *concepta* (3); sed legitimitas etiam extra hanc hypothesim reperiri potest, quia, uti ratiocinatur Smalzgr., l. c., n. 10, quod aliquis legitime natus dicatur, non est effectus legis naturalis

---

(1) « Si quis vero hujusmodi *clandestina vel interdicta* conjugia inire præsumpserit, in gradu prohibito, *etiam ignoranter*, soboles de tali conjunctione suscepta, prorsus illegitima censetur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium: cum illi taliter contrahendo non expertes scientiæ sed affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo proles illegitima censeatur, si *ambo* parentes impedimentum *scientes* legitimum, præter omne interdictum etiam in conspectu Ecclesiæ contrahere præsumpserint ».

Unde requiritur ut proclamationes fuerint factæ et servata fuerit forma Tridentina saltem in illis locis in quibus viget decretum *Tametsi*. Cf. Smalzgrueber, in tit. XVII, n. 42-43; De Becker *De matrim.*, p. 371-372, cum nota.

(2) « Nullatenus enim *in tenore* restringitur bona fides ad ignorantiam facti, sed ab ea soli excluduntur affectatores ignorantiæ; et vi decreti non est illegitima nuntianda proles nisi *ambo* parentes noverint impedimentum seu malæ existant fidei. Attende tamen non sufficere bonam fidem tempore matrimonii contracti, sed debet « bona fides, saltem ex parte unius, etiam tempore conceptionis adhuc adesse ». Reiffenst., l. c., n. 5.

(3) Conceptio *regulariter* supponitur facta tempore existentis matrimonii, quotiescumque fœtus editur post diem 180m a matrimonio contracto, et ante diem 300m inde a dissolutione conjugii, puta per mortem mariti. Cf. Smalzgr , l. c., n. 40-41; Reiffenst., l. c., n. 19-23; Gasparri, *De matrim.*, II, n. 1069; De Becker, op. cit., p. 371.

sed juris positivi, et ad hoc sufficit ut lex alicujus nativitatem approbet eique jura legitime natorum attribuat.

Porro prævaluit sententia juxta quam legitima habenda sit proles, quam mater concepit quidem tempore quo soluta erat, sed quam non peperit antequam matrimonio fuerit copulata. Præsumitur nempe, in casu, soboles concepta ex unione matris cum viro cui hæc deinceps nupsit et, per fictionem juris, censetur legitima copula ex qua concepit, propter matrimonium nativitatem præveniens.

Utique, re in se inspecta et attenta juris dispositione, dubium manet circa hujusmodi prolium legitimitatem, cum, juxta dictum Bened. XIV, in Constit. *Redditæ Nobis*, n. 3, in Parvo Bullario, III, « inveniantur textus textibus contrarii et doctores doctoribus, tribunalia tribunalibus adversentur ». Atvero in dubio favendum est proli, et controversia est in ejus favorem et commodum solvenda, eamque in hunc sensum indubitanter solvunt Reiffenst. in tit. XVII, n. 17 et seq.; Smalzgr., ibidem, n. 9 et 10; Böckhn, ibidem, n. 10, apud quos confer textus juris quibus nituntur et auctores quos adducunt. Favent etiam Gasparri, *De matrim.*, II, n. 1071; De Becker, op. cit., p. 370-371.

3°/ *Excipi* dicuntur

a/ illi qui evidentibus signis probantur concepti ex alto viro quam ex marito matris. Et revera quod habeantur tanquam legitimi filii ex matre conjugata concepti vel saltem nati, non est, uti jam monuimus, nisi quia *præsumuntur* concepti ex copula matrimoniali, vel saltem ex copula habita inter illos qui postea, ante prolis nativitatem, legitimis nuptiis sunt copulati, retrotracta, per fictionem juris, legitima conjunctione usque ad tempus conceptionis: quæ præsumptio fundatur in principio juris: « pater is est quem nuptiæ demonstrant ».

Jamvero præsumptio cedit veritati, cum non sit præsumptio juris et de jure; attamen, siquidem favendum

est proli et matrimonio, non, evincitur per merum dubium, utut probabile, sed per argumentum dumtaxat convincens, saltem quando matrimonium, tempore conceptionis, jam existebat (1); et ideo non sufficit quod mater fuerit adultera vel et ipsa fateatur, sub fide juramenti, prolem ex adulterio esse conceptam, vel quod puer in facie assimiletur adultero et non marito, sed requiritur ratio evidenter cogens, quatenus v. gr. constat maritum per decem menses et ultra absentem vel ratione infirmitatis impotentem fuisse (2). Cf. Smalzgr., l. c., n. 39-40; Reiffenst., n. 10-12; Gasparri, op. cit., n. 1069; cf. etiam causam solutam apud *Acta S. Sedis*, XVII, p. 378 et seq.

b/ illi filii qui nascuntur ex parentibus quorum alteruter, post consummationem matrimonii, votum emisit solemne aut sacrum suscepit ordinem. Hujusmodi nempe proles ex dicto illicito commercio procreatæ, quoad effectus canonicos, illegitimæ sunt ac proinde irregulares ex defectu natalium; quod eruitur ex c. 1 et 14, tit. XVII, *De filiis presbyterorum,* in l. I Decret., cf. Smalzgr., ad tit. XVII, l. IV, n. 33-38.

II. **Illegitimi**, quemadmodum ex modò data notione logice sequitur, sunt illi qui gignuntur ex matre quæ, neque tempore conceptionis, neque tempore nativitatis, neque tempore intermedio, erat juncta matrimonio sive valido sive putativo. Qui sunt vel

1°/ *naturales*, nempe qui, juxta Smalzgr., l. c., n. 6, « extra matrimonium procreati sunt a parentibus inter

---

(1) Minus valida est præsumptio et facilius cedit, quando mater prolem concepit extra matrimonium, et postea tantùm, prole concepta sed nondum nata, nuptias iniit.

(2) Pro praxi igitur quando baptizanda offertur proles nata ex matre conjugata, inscribatur in registro baptismali more solito, ad instar prolis legitimæ, etiamsi eam adulterinam declaret maritus vel et ipsa mater, solo excepto casu præfatæ absentiæ vel impotentiæ certo cognitæ; absentiæ autem, ubi est locus, mentionem faciet in registro parochus, testans se baptizasse prolem N natam ex N uxore legitima N absentis a 10 mensibus.

quos, tempore conceptionis vel nativitatis vel inter utramque intermedio consistere *potuisset* matrimonium ».

vel 2°/ *spurii*, « qui nati sunt ex parentibus, inter quos nec matrimonium fuit, nec etiam consistere *poterat* toto illo tempore, quod a conceptione currit usque ad nativitatem », propter existentiam impedimenti *dirimentis*. Ibidem.

Inter *spurios* autem alii sunt a/ *adulterini* « qui videlicet ex adulterio gignuntur... ; Alii b/ *sacrilegi*, qui scil. ex religioso aut moniali vel clerico in sacris constituto generantur; alii c/ *incestuosi*, nati nempe ex parentibus affinitate vel consanguinitate collaterali conjunctis; alii d/ *nefarii*, et sunt illi qui ex patre et filia aliorumve ascendentium et descendentium copula procreantur ». Reiffenst., l. c., n. 28.

A. D. S.

VI

Q. *An et quasnam incurrunt censuras usurpantes aut aliemantes bona ecclesiastica?*

R. Hæc quæstio duas habet partes: prior *usurpantes*, posterior *alienantes* bona ecclesiastica spectat.

I. Contra *usurpantes* duplex in jure statuitur excommunicatio, una R. Pontifici speciali modo reservata vi Const. *Apostolicæ Sedis*, altera simpliciter reservata vi Concilii Tridentini; non tamen utraque simul nec ob idem delictum incurritur.

A. Const. *Apostolicæ Sedis* Pius IX excommunicationi latæ sententiæ speciali modo R° P^ci reservatæ subjacere delaravit « Usurpantes... bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes » (Tit. I, art. 11). — Ut autem materia hujus canonis vere adsit et præsens censura ab usurpatoribus bonorum ecclesiasticorum incurratur, sequentes concurrere debent conditiones:

1° Requiritur *proprie dicta usurpatio*. — Nomine

usurpationis latiori sensu venit actio quælibet injusta qua quis rem alienam invadit sibique adscribit: sensu autem proprio ac stricto, prout in hac materia, intelligitur solùm actio qua quis rem alienam, *quasi ex jure et auctoritate* (1) occupat et *tanquam sibi debitam* vindicat, quamvis sciat illam ad alium pertinere.

Hinc proprio sensu usurpatores non sunt nec præsenti censura ligati: a/ qui bona ecclesiastica invadunt tanquam aliena, uti fures, latrones et prædones (S. Off. 9 Martii 1870); b/ qui prædicta bona citra occupationem injuste detinent v. g. conductor vel fructuarius qui dominum rem suam reposcentem repellit; c/ qui bona a gubernio aut aliis usurpata apud se detinent (S. Off. 3 Julii 1874 et S. Pœnit. 10 Martii et 12 Aprilis 1881); d/ qui bona beneficiatis vel ecclesiis debita, putà decimas, locationum pretia etc., solvere negligunt; e/ qui bona tanquam propria diripiunt bona fide credentes ea ad se pertinere, etc.

2° Requiritur ut bona (tam mobilia quam immobilia et jura) vel redditus, fructus np. et proventus, ad *personas ecclesiasticas* pertineant.

Quapropter hac censura non innodantur usurpantes a/ bona vel redditus locorum piorum, np. nosocomiorum, hospitalium, laicalium confraternitatum, etc., etsi auctoritate Episcoporum erecta fuerint; b/ bona quæ ad ecclesias sed non ad personas ecclesiasticas pertinent, v. g. bona destinata divinis obeundis, ædibus reparandis, pauperibus sublevandis etc.; c/ bona ex capite beneficiarii defuncti hæredibus debita; d/ idem probabilius tenendum de bonis monasteriorum.

3° Requiritur ut bona vel redditus personis ecclesiasticis competant *ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum.* (2)

---

(1) Juxta sententiam longe communiorem, ne dicamus communem, non interest utrum usurpatio fiat *publica* auctoritate an *privata;* nam et privata persona potest, jus proprium prætendens, bonum alienum invadere sibique vindicare

(2) Redditus « hujusmodi sunt pensionss quæ in Gallia et Belgio Episcopis, canonicis, parochis et vicariis a Gubernio solvuntur » Piat *Comment. in Const. Ap. Sedis*, p. 91.

Quocirca non incurrunt hanc censuram usurpantes a/ bona quæ alio titulo ad personas ecclesiasticas pertinent, qualia sunt bona clericorum patrimonialia vel ea quæ intuitu alicujus operis aut laboris sive occasione functionum iis obveniunt, puta stipendia missarum, jura stolæ, aliaque id genus passim *quasi-patrimonialia* dicta; b/ bona vel redditus capellaniarum laicalium, quum non sint vero sensu beneficia; c/ neque etiam, juxta nonnullos, incurritur hæc censura, si quis usurpet bona vel redditus ecclesiæ aut beneficii vacantis; sed communissima est sententia affirmativa. Cfr. Piat, l. c. p. 92 sq.

4° Requiritur ut memorata bona ad ecclesiasticas personas *pertineant*.

Hac voce requiri videtur ut personæ ecclesiasticæ in ea *jus in re* habeant, quapropter hujus canonis censuram probabiliter non incurrunt hæredes vel legatarii qui bona aut redditus ecclesiæ relictos tradere recusant.

Nota. Multi ex iis qui hic eximuntur, aliique plures, incidunt in excommunicationem Tridentinam de qua jam disserendum: verùm peccantes in materia quam et Const. *Apostolicæ Sedis* et *Concilium Trid.* attingunt, non duplici, ut diximus, innodantur censura, sed solum excommunicatione R. Pci speciatim reservata vi Const. *Apost. Sedis* (S. Off. 8 Julli 1874).

B. Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 11 *De ref.*, generali constitutione sancivit quod:

« Si quem clericorum vel laicorum quacumque is dignitate, etiam imperiali, aut regali, præfulgeat in tantum omnium malorum radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiæ seu cujusvis sæcularis vel regularis beneficii, Montium pietatis aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census, ac jura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta seu quascumque obventiones, quæ in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se, vel alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum, seu quacumque arte, aut quocumque quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur; — is anathemati tamdiu subjaceat quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et redditus quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositæ

personæ, pervenerint, Ecclesiæ ejusque administratori, sive beneficio integre restituerit: ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit ».

Hæc censura latissime patet: extenditur notatim ad usurpationem bonorum ecclesiasticorum *quorumlibet*, sive ad ecclesias vel monasteria pertineant, sive ad beneficia sæcularia vel regularia sive ad loca etiam pia, modo ecclesiastica sint non laicalia (1); et, juxta plerosque auctores, dissentientibus tamen nonnullis (2), nomine *usurpationis* hic non solum intelligitur actio qua quis rem alienam tanquam propriam et quasi ex jure occupat, sed actio quælibet injusta, qua bona ecclesiastica (3) invadit et surripit. Probabilius tamen non comprehenduntur fures et latrones.

Cæterum non ii tantum excommunicantur qui prædicta bona usurpant, sed etiam illi qui bona usurpata quomodocumque, putà hæreditate, legato, donatione, emptione etc., obtenta retinent.

Verùm ad censuram incurrendam requiritur *præsumptio*. Hæc autem importat cognitionem tum legis; tum pœnæ ei adnexæ, ita ut a censura excuset quælibet ignorantia, etiam probabilius affectata. Cfr *Collat. Brug.*, tom. IV, p. 38.

Nota 1/ Hac censura non plectuntur substrahentes vel impedientes *decimas*; qui tamen excommunicari possunt, vi

(1) Auctores passim observant sub nomine *locorum piorum*, de quibus in præsenti agitur, ea tantùm pia loca esse intelligenda, quæ ab Ecclesia vel cum dependentia ab Ecclesia administrantur; non verò illa quæ a privatis personis vel a solo Gubernio erecta sine ullo ad auctoritatem ecclesiasticam respectu reguntur. Sunt igitur loca *religiosa* potius quam *pia*. (Cfr. De Brabandere, *Juris Can. Comp.*, n. 693). — Quare Montes pietatis et pleraque hospitalia, prout in Belgio et Gallia nunc existunt, Tridentino decreto non proteguntur. Certo non proteguntur quæ vocantur *hospices civils* et *bureaux de bienfaisance*.

(2) Sic Pennacchi, D'Annibale, Grandelaude, Bucceroni, Hilarius a Sexten, Genicot censent in Decreto Tridentino de sola usurpatione stricte dicta et quidem auuctoritativa sermonem esse

(3) Intellige bona quorum dominium et possessio, vel saltem jus in re habetur. Cf. suprà p. 48 sub 4°.

Tridentini Sess. XXV, Cap. 12 *de ref.*; neque bona ecclesiastica *alienantes,* excepto forsan casu quo pretium in proprium converterint commodum. In alienantes autem specialis lata est censura, de qua sub II.

2/ Contra *clericos* bonorum ecclesiasticorum usurpatores statuta est insuper a Trid. Sess. XXII, Cap. XI *de ref.* (sub fine) *suspensio* a suorum ordinum executione; sed hæc censura est *ferendæ* sententiæ.

II « Excommunicationem latæ sententiæ nemini reservatam incurrunt *alienantes* et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis *Ambitiosæ* (1), De Reb. Eccl. non alienandis. » Const. *Apost. Sedis*, Tit. IV, Cap. 3.

Huic censuræ subjacent illi omnes (exceptis tamen probabilius Episcopis et Abbatibus) qui bonorum ecclesiasticorum administrationem ex officio gerentes, vi sui muneris et quà tales, sine beneplacito Apostolico (h. c. sine licentia S. Sedis (2), illorum bonorum dominium sive directum, sive utile, titulo gratuito vel oneroso, transferunt vel imminuunt, vel obligant, aut in locationem ultra triennium concedunt; licet hujusmodi alienationes fiant sine ullo Ecclesiæ vel loci pii detrimento, aut etiam in favorem alius ecclesiæ vel loci pii (3); — modo sequentes verificentur conditiones:

1° Ex parte *objecti* requirîtur ut alienentur bona *immobilia* aut *mobilia pretiosa*. *Immobilia* censenda hic

---

(1) Const. *Ambitiosæ* a Paulo II lata fuit die 1 Martii 1467 et habetur inter *Extravag. comm.* L. III, Tit. 4, Cap. un., *De Reb. Eccl. non alienandis.* Hæc constitutio hodie universaliter obligat, etiam iis in regionibus in quibus per contrariam consuetudinem etiam immemorialem legi de requisito beneplacito Apostolico derogatum fuit (S. Off. 22 Dec. 1889, ad 3m).

(2) Episcopo Brugensi hujusmodi alienationi consensum, nomine Pontificis, præstandi facta est licentia per indultum S. C. C. de die 27 Sept. 1895.

(3) Non desunt tamen v. g. D'Annibile, Ballerini-Palmieri, Genicot, Hilarius a Sexten, qui opinantur excommunicationi probabiliter locum non esse, si alienationes inter ipsas ecclesias et loca pia absque beneplacito Apostolico fiant.

sunt non solum prædia et ædificia, ut autumat Bucceroni, sed et ea quæ fundo tenentur, ceu fodinæ, et arbores frugiferæ vel prædio necessariæ, jura realia et actiones ad immobilia. — *Mobilia* vero *pretiosa* ea sunt quæ aut spectabile ornamentum aut magnam utilitatem (propter fructus vel usum) ecclesiæ vel loco pio afferunt. Huc spectant omnia quæ sunt de thesauro ecclesiæ vel loci pii, uti vasa aurea vel argentea, gemmæ etc., vel quæ antiquitate aut artificio præstant, si non exigui sint valoris; dein copiosæ bibliothecæ; item greges et armenta totaliter considerata.

Hujusmodi bona regulariter alienari non possunt absque beneplacto Apostolico. — Dicimus *regulariter:* aliqua enim sine licentia S. Sedis, non tamen sinc consensu Ordinarii, alienari possunt; et quidem a/ immobilia seu prædia exigui valoris, modò non sint partes magni prædii. Exigui autem valoris habentur quæ non plus 25 aureis de Camera (circitur 225 fr.) æstimantur (S. C. Ep. et Reg. 1 Maii 1840), nisi plus ferat consuetudo diœceseos (S. C. C. 21 Julii 1827). Imo putant nonnulli (Lehmkuhl, Genicot, Aertnys, Hilarius a Sexten), ob minutum pecuniæ valorem, modici pretii hodie censenda esse bona quæ 500 fr. non superant; — b/ immobilia relicta monasterio seu ecclesiæ incapaci ea retinendi; — c/ bona empta cum pacto retrovenditionis; — d/ bona quæ servando servari nequeunt; — e/ bona quæcumque, si urget necessitas quæ moram non patitur; — f/ juxta multos, bona ecclesiæ relicta cum onere, vel etiam cum facultate alienandi; — g/ pecunia quæ ex fructibus seu redditibus ecclesiæ provenit, vel pro quotidianis usibus destinatur, etc.

2° Ex parte *actus* requiritur ut *vera sit alienatio* et quidem *perfecta.*

Alienare autem non est pecuniam mutuam tradere, aut depositam collocare, neque etiam ecclesiæ oblata vel relicta, nondum acceptata, repudiare, ut putà donationem, legatum, quùm ecclesia in casu jus in re non

habeat. — Cùm non incurratur excommunicatio, nisi alienatio perfecta fuerit ultrò citroque, juxta plures, non incurretur re nondum tradita. Verùm alii rectius docent censuram vel ante traditionem urgere, si contractus emptionis-venditionis, ut in jure nostro, solo contrahentium consensu perficitur. At perfecta alienatio non habetur nec incurritur excommunicatio, si facta fuerit sub conditione suspensiva, vel sub reservatione beneplaciti Apostolici, saltem si partes contractum provisorie executioni non mandaverunt. — Locationes quoque ultra triennium et culpa et censura vacabunt, si factæ fuerint ea lege ut finito unoquoque triennio liceat locatori a locatione discedere.

3° Ex parte *subjecti,* juxta nonnullos requiritur *præsumptio.* Plerique tamen in solis recipientibus præsumptionem exigunt.

C. V. C.

Decretum Urbis et Orbis

Regi sæculorum Christo Jesu jam prope labentis ævi finem, novique properantis initia solemniter consecrare omnes, quotquot ubique terrarum sunt, redemptos maxime convenit; tum ut pro acceptis ab Illo, elapso præsertim sæculo, beneficiis gratiæ peragantur, tum ut in tam adversis rerum vicissitudinibus validiora auxilia ad novum feliciter ineundum Ipse misericors et clemens tribuat.

Quibus superiore anno præludens Beatissimus Pater et Dominus Noster Leo XIII Decreto S. RR. C. die 13 Novembris dato concessit ut etiam incipientis Januarii anni MCMI media nocte *in templis ac sacellis exponi posset adorandum augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, facta potestate legendi vel canendi eadem hora coram Illo unicam Missam de festo in Circumcisione Domini et Octava Nativitatis; fidelibus autem sive infra, sive extra Sacrificii actionem de speciali gratia S. Synaxim sumendi.*

Nunc vero cogitanti Beatissimo Patri de novo aliquo stimulo fidelium pietati addendo, tam solemni eventu, innotuit plures Sacrorum Antistites, piasque Sodalitates in votis habere, ut Christifideles spiritualis indulgentiarum thesauri divitiis adlecti, undequaque ad Sacrosanctæ Eucharistiæ adorationem invitarentur, qui et illatas Numini injurias reparare, et seipsos Ejusdem suavissimo Cordi arctius conjungere satagerent.

Quæ cum apprime Ejus voluntati responderent, Beatissimus Pater benigne largitus est, ut omnes Christifideles, qui Sacramentali Confessione rite expiati et S. Synaxi refecti in templis ac sacellis, ubi Sanctissima Eucharistia adservatur, coram Augustissimo Sacramento publicæ adorationi exposito a media nocte diei 31 Decembris ad meridiem usque diei 1 Januarii, qua libuerit hora integra orationi vacando etiam juxta mentem Sanctitatis Suæ pias ad Deum preces fuderint, plenariam indulgentiam assequi possint et valeant.

Quantum vero temporis adoranda Eucharistia exposita manere debeat, dummodo intra memoratum duodecim horarum spatium fiat, Sanctitas Sua Ordinariorum prudentiæ reliquit.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die XVI Novembris anno MDCCCC.

S. Card. CRETONI, *S. C. Indulgg. et SS. Reliqq., Præfectus.*

Franciscus Sogaro, Archiep. Amiden., *Secretarius.*

* * *

Nos, voluntati SSmi Dni Nostri, in Decreto supra expressæ, ex toto animo obsequentes, pro Diœcesi nostra, complendo quæ anno præterito per litteras diei 15 Decembris ordinavimus, statuendum ducimus prout sequitur:

1° In omnibus ecclesiis parochialibus die prima Januarii, summo mane, hora juxta prudens arbitrium parochi determinanda, exponatur SS. Sacramentum publicæ venerationi fidelium, expositumque maneat *ad minus* per tres horas, *ad summum* usque ad meridiem.

2° Dominica quæ festum Circumcisionis D. N. J. C. præcedit moneantur fideles de illa expositione SSmi et ad illud adorandum instanter invitentur, promulgata simul

indulgentia plenaria quam lucrari valent qui Sacramentali Confessione rite expiati et S. Synaxi refecti per horam SS^{mum} Sacramentum expositum adoraverint, pias juxta mentem Sanctitatis Suæ preces fundendo.

3° Ipso die festo Circumcisionis, summo mane, qua hora parocho magis convenire videbitur, cantari vel legi poterit Missa, etiam in altari in quo SS^{mum} exponitur, et, sive infra Missæ actionem sive extra, Sacra Communio fidelibus distribui.

4° Quæ supra pro ecclesiis parochialibus statuuntur, fieri etiam permittimus in templis et oratoriis, tum religiosorum tum religiosarum, in quibus SS^{mum} Sacramentum rite asservatur; data quidem venia exponendi SS^{mum} Sacramentum a media nocte, et tunc etiam Missam celebrandi, aditu tamen interdicto templi vel oratorii, illa hora, personis quæ extra sepes domus illorum vel illarum degunt.

Dum hæc cum populo fideli communicantur, eidem pariter ob oculos ponatur quam sit æquum, uno sæculo exeunte et novo ineunte, Deo Altissimo, Regi omnium sæculorum gratias agere de præterito et vota promere pro futuro. Ostendatur etiam id fieri non posse modo præstantiori quam adorando et invocando dilectum Ejus Filium, *per quem fecit et sæcula,* quique hominibus in terra exulantibus, sub humillimis speciebus Augustissimi Eucharistiæ Sacramenti, præsens remanere voluit ad finem usque sæculorum.

Brugis, die 14 Decembris 1900.

† G. J. Episc. Brugen.

Ex S. Congr. Rituum

I

DECRETUM GENERALE

super Festo Titularium in Ecclesiis et Oratoriis publicis celebrando.

Cum Sacra Rituum Congregatio compererit nonnullos irrepsisse abusus circa Titularium Festa celebranda, sicut in Ecclesiis ita in Oratoriis publicis, Decreta hucusqus evulgata in præsenti renovans et confirmans, declarat:

I. In quibusvis Ecclesiis publicisque Oratoriis, vel consecratis vel saltem solemniter benedictis, relativum Titularis Festum quotannis esse recolendum sub ritu duplici primæ classis cum octava.

II. Ecclesias autem omnes esse ab Episcopo, nisi consecratæ eæ fuerint, saltem benedicendas, quemadmodum etiam Oratoria publica, sub formula in Rituali Romano præscripta.

III. Hinc pro Ecclesiis et Oratoriis publicis, ad effectum celebrandi Titularium Festa, illas sacras ædes esse intelligendas, quæ pro Missis celebrandis sacrisque aliis, etiam solemnioribus, functionibus peragendis ab Ordinariis locorum destinatæ, vel consecrantur vel solemniter benedicuntur, ut publico fidelium usui libere plus minusve deserviant.

IV. Relativi Titularis Festum a toto Clero, si extiterit, vel a Sacerdote Rectore Ecclesiæ aut publico Oratorio addicto, per integrum Officium celebrabitur: secus, in defectu cujusvis Cleri, per solas Missas juxta Rubricas.

V. In Oratoriis autem, quæ existunt in ædibus episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus Domibusque Regularium, relativum Titularis Festum non celebrabitur, nisi in casu quo aliqua ex iis consecrata vel benedicta solemniter fuerint.

VI. Denique Sacra Rituum Congregatio mandat, ut nullum ex Oratoriis privatis consecretur, aut Benedictione donetur solemni, quæ in Rituali Romano legitur; sed ea

tantum formula benedicatur, quæ pro Domo nova aut loco in eodem Rituali habetur.

Et ita declaravit.

Die 5 Junii 1899.

II

DUBII.

Sequens dubium Sacræ Rituum Congregationi resolvendum propositum fuit; videlicet:

Quum Cæremoniale Episcoporum Stolam aliquando non exigat pro Diacono deponente et porrigente Episcopo Sanctissimum Sacramentum, quæritur:

Utrum ad exponendum et reponendum Sanctissimum Sacramentum, Diaconus adhibere semper debeat Stolam?

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa votoque exquisito Commissionis Liturgicæ; respondit:

« Affirmative; duobus tantum exceptis casibus, prout in Cæremoniali Episcoporum Lib. II, Cap. XXIII, § 12; et Cap. XXXIII, § 20 ».

Atque ita rescripsit et ab omnibus servari mandavit.

Die 9 Junii 1899.

Législation civile ecclésiastique

Loi du 24 Avril 1900 relative aux traitements des ministres du culte catholique et aux pensions civiles et ecclésiastiques.

(Suite — voir tom. IV, p. 629).

—

ARTICLE VI.

L'article 43 de la loi du 21 Juillet 1844 est abrogé et remplacé par la disposition suivante:

« Toutes les pensions à charge de l'Etat, des provinces et des communes, ainsi que des diverses caisses des pensions

instituées par le gouvernement, se prescrivent par cinq ans à compter du 1er Janvier de l'année qui donne son nom à l'exercice ».

Voici le texte de l'article 43 de la loi de 1844 :

« Lorsqu'un pensionnaire aura laissé s'écouler *deux* années consécutives sans réclamer les quartiers de sa pension, ils seront prescrits. Il ne rentrera en jouissance qu'à dater du premier jour du trimestre, qui suivra sa demande ».

« Aucun payement n'aura lieu au profit d'héritiers ou ayants-cause, qui n'auraient pas produit dans l'année l'acte de décès du pensionnaire ».

L'article 6 de la nouvelle loi, relatif au terme de prescription des pensions, est général et s'applique à *toutes* les pensions tant civiles qu'ecclésiastiques.

Il supprime le régime d'exception établi par l'article 43 de la loi de 1844, et soumet les pensions, c'est-à-dire les échéances des pensions, aux principes du droit commun en matière de prescription (art. 2277 du Code civil). Dorénavant les pensions seront prescrites lorsqu'elles auront plus de cinq ans à compter du 1er Janvier de l'année, qui donne son nom à l'exercice; c'est-à-dire, par exemple, que les sommes, dues au pensionnaire pour l'année 1899, seront prescrites, s'il laisse passer le 1er Janvier de l'année 1904 sans les réclamer.

L'article 6 abolit également la déchéance prononcée par le § 2 de l'article 43 contre les héritiers ou ayants-cause du pensionnaire décédé.

DISPOSITIONS TRANSITOIRES.

ARTICLE VII.

Les ecclésiastiques en fonction lors de la mise en vigueur de la présente loi seront, pour l'obtention du traitement supérieur, censés avoir joui, pendant les années antérieures, du traitement moyen, s'ils ont été dans les conditions requises par les dispositions précédentes pour obtenir ce traitement.

Nous avons déjà, en commentant l'article 2, indiqué la raison d'être de cette disposition.

Il résulte de l'article 7, combiné avec le § 2 de l'article 3 et l'article 10, que tous les ecclésiastiques qui, *le 1r Janvier 1900*, réunissaient les autres conditions requises pour l'obtention du traitement supérieur, ont droit, depuis le 1er Avril de la même année, à ce traitement, sans avoir *réellement* joui du traitement moyen fixé par la nouvelle loi. Ainsi, les desservants qui, au 1er Janvier 1900, avaient 30 ans de services paroissiaux rétribués ou 60 ans d'âge, et qui avaient joui, pendant 10 ans au moins, du traitement afférent à leur qualité, ont droit, depuis le 1er Avril, à un traitement de 1,400 francs. Ceux qui, à la date du 1r Janvier 1900, avaient p. ex. 9, 8 ou 7 ans de ministère en qualité de desservant, recevront respectivement ce traitement au 1er Janvier des années 1901, 1902 et 1903, pourvu qu'ils aient alors 30 ans de services paroissiaux ou 60 ans d'âge. Il en sera de même pour les vicaires, chapelains, et curés de 2de classe qui se trouvent dans des conditions analogues.

ARTICLE VIII.

Les ecclésiastiques en fonctions au moment de la mise en vigueur de la présente loi conserveront, à titre personnel, leurs traitements actuels, pour autant qu'ils soient supérieurs à ceux établis par les dispositions qui précèdent.

Par cet article le législateur a voulu empêcher que l'application des règles nouvelles, faites en vue d'améliorer la condition matérielle du clergé, n'eût pour effet de mettre certains ecclésiastiques dans une situation moins favorisée au point de vue du traitement. Ainsi, les curés de 2de classe et les desservants âgés de plus de 60 ans et jouissant, en vertu de l'arrêté royal du 28 Mai 1863, d'un traitement de 1560 ou de 1100 francs, verraient ce traitement diminué de 100 francs, s'ils n'ont

pas été payés, comme tels, pendant cinq ans au moins (art. 1 et 2). De même les chanoines de Namur qui n'ont pas 50 années d'âge et cinq ans de service en qualité de chanoine, ne recevraient plus que 2000 francs au lieu de 2300. En vertu de l'article 8, les ecclésiastiques, qui se trouvent dans ces conditions, conserveront leurs traitements actuels aussi longtemps qu'ils ne réunissent pas les conditions requises par les dispositions qui précèdent pour avoir droit à un traitement supérieur ou tout au moins équivalent.

ARTICLE IX.

Les pensions servies aux ecclésiastiques seront révisées d'après les bases indiquées à l'article 24 de la loi du 21 Juillet 1844, modifié par l'article 5 ci-dessus.

Cet article concerne la liquidation des *pensions en cours*. Il décide que le montant de ces pensions sera dorénavant calculé, non d'après les tantièmes établis par la loi de 1844, mais d'après les tantièmes nouveaux fixés par l'article 5 de la nouvelle loi.

L'application de cette mesure aura pour conséquence de majorer *la plupart* des pensions dont jouissent les ecclésiastiques qui ont été obligés de prendre leur retraite pour cause d'infirmités avant d'avoir atteint l'âge de 65 ans.

Les intéressés qui, au moment de leur démission, avaient de 30 à 40 ans de service et qui jouissaient d'une pension égale aux $^2/_3$ de la pension entière plus $^1/_{30}$ de celle-ci pour chaque année de service depuis 30 ans jusqu'à 40, auront désormais (1) la pension entière; ceux qui avaient de 10 à 30 ans de service et qui jouissaient d'une pension uniforme égale à la moitié de la pension entière plus $^1/_{120}$ de celle-ci pour chaque année

(1) La révision prévue à l'article 9 à été faite par arrêté royal du 3 Mai 1900, (*Moniteur* du 25 Juillet, p. 3288).

de service depuis 10 ans jusqu'à 50, auront, ou bien les $^2/_3$ de la pension entière plus $^1/_{30}$ de celle-ci pour chaque année de service s'ils avaient de 20 à 38 ans de service, ou bien la moitié de la pension entière plus $^1/_{60}$ de celle-ci s'ils avaient plus de 10 ans et moins de 20 ans de service.

Ceux au contraire qui jouissaient de la pension entière ou de la moitié, sans fraction, de celle-ci, ne bénéficieront d'aucune augmentation; parce que le montant de la pension entière reste toujours le taux moyen du traitement dont le démissionnaire *à joui* pendant les cinq dernières années sur le trésor (art. 21 de la loi de 1844). M. Helleputte a proposé d'ajouter à la fin de l'article 9 les mots suivants: « *et suivant le taux des traitements fixés à l'article 1er de la présente loi* ». D'après cet amendement, les pensions en cours auraient dû être calculées comme si les ecclésiastiques qui en jouissent avaient touché, non pas les traitements qu'ils ont effectivement touchés, mais ceux qu'ils auraient touchés s'ils avaient accompli leur carrière active sous l'empire de la nouvelle loi. Mais le gouvernement s'est opposé à cet amendement, et la proposition additionnelle de M. Helleputte a été rejetée par la Chambre (*Ann. parl.*, p. 824 ss.).

ARTICLE X.

Les dispositions de la présente loi seront appliquées à partir du 1er Avril 1900.

Par application de cet article, depuis le 1er Avril dernier, le chiffre initial des traitements ecclésiastiques a été relevé conformément à l'article 1er, et les augmentations prévues à l'article 2 sont acquises à tous ceux qui, au plus tard le 31 Décembre 1899, se trouvaient dans les conditions requises (art. 3).

Si l'un ou l'autre intéressé se croyait lésé dans ses droits, il pourrait adresser une réclamation au ministre

de la justice, soit directement, soit, de préférence, par l'intermédiaire de l'administration diocésaine.

Promulgnons la présente loi, ordonnons qu'elle soit revêtue du sceau de l'Etat et publiée par la voie du *Moniteur*.

Donné à Wiesbaden, le 24 Avril 1900.
LÉOPOLD.

Par le Roi:
Le Ministre de la Justice,
J. VAN DEN HEUVEL.

Scellé du sceau de l'Etat:
Le Ministre de la Justice,
J. VAN DEN HEUVEL.

C. V. C.

Exécution de l'art. 9 de la Loi du 10 Mai 1900 sur les Pensions de vieillesse

ALLOCATION ANNUELLE DE 65 FRANCS.

Arrêté royal du 20 Octobre 1900. (1)

La loi belge du 10 Mai 1900 sur les Pensions de vieillesse voulant donner, dans la mesure du possible, une solution immédiate et complète au problème, institue à côté d'un **régime normal**, basé sur le principe de l'encouragement à la prévoyance, un **régime transitoire** s'inspirant principalement d'une idée de bienfaisance (art. 8 à 10). Ce régime transitoire a été

(1) Cfr le *Moniteur belge* du 26 Octobre 1900, nº 299.

établi en faveur des personnes qui, à raison de leur âge avancé, ne bénéficieraient que dans une faible mesure des faveurs du régime normal, ou en seraient même totalement exclues. Les intéressés auxquels se rapportent les dispositions transitoires peuvent être, suivant leur âge, classés en plusieurs catégories. Nous ne nous occuperons, pour le moment, que des intéressés âgés de 65 ans au 1r janvier 1901 (art. 9, § 1), et qui, sous certaines conditions, peuvent jouir d'une allocation annuelle de 65 francs.

L'arrêté royal du 20 octobre 1900, réglant l'attribution de cette allocation annuelle, est d'une application pratique générale et immédiate. Voilà pourquoi nous croyons faire œuvre utile en donnant le texte de cet arrêté royal, et en ajoutant, après chaque article, certaines explications qui en feront voir le sens et la portée.

LEOPOLD II, Roi des Belges,

A tous présents et à venir Salut.

Vu l'article 9 de la loi du 10 mai 1900 concernant les pensions de vieillesse, ainsi conçu :

Art. 9. Une allocation annuelle de 65 francs sera accordée à tout ouvrier ou ancien ouvrier belge, ayant une résidence en Belgique, âgé de 65 ans au 1er janvier 1901 et se trouvant dans le besoin.

Sont admis, dans les mêmes conditions, à jouir de cette allocation, au fur et à mesure qu'ils atteindront l'âge de 65 ans, les travailleurs âgés d'au moins 55 ans à la date du 1er janvier 1901 ; toutefois les intéressés qui auront à cette dernière date moins de 58 ans accomplis seront exclus du bénéfice de l'allocation si, pendant une période de trois ans au moins, ils n'ont effectué à la Caisse générale de retraite des versements s'élevant au moins à 3 francs par an et formant un total de 18 francs.

Vu les articles 10, 13, 2e alinéa et 14 de la même loi ;

Considérant qu'il y a lieu d'établir des règles générales en vue de l'attribution des allocations dont il s'agit ;

Sur la proposition de nos ministres de l'industrie et du travail et des finances et des travaux publics,

Nous avons arrêté et arrêtons :

CHAPITRE Ier.

Conditions auxquelles l'allocation est subordonnée.

Art. 1er Pour être admis à recevoir l'allocation annuelle de 65 fr., prévue par l'article 9 de la loi du 10 mai 1900, il faut :

1° Etre Belge ;
2° Avoir une résidence en Belgique ;
3° Etre âgé de 65 ans au moins ;
4° Etre ouvrier ou ancien ouvrier ;
5° Se trouver dans le besoin.

Le chap. I fixe donc les conditions auxquelles l'allocation est subordonnée. Elles sont au nombre de cinq, et le législateur s'est chargé lui-même de les interpréter sommairement dans les articles suivants :

1ère Condition : il faut *être Belge.*

Art. 2. La qualité de Belge se constate par la production des actes de l'état civil ou de naturalisation, comme en matière électorale.

L'arrêté royal formule donc tout d'abord le principe de la nationalité et renvoie aux matières électorales.

Pour les *hommes-électeurs*, en effet, il suffira en général, de justifier de leur inscription sur les listes électorales, la question de la nationalité de l'électeur ayant été examinée au moment où ces listes ont été dressées.

Quant aux *hommes non-électeurs*, il faut s'en rapporter aux règles générales qui établissent la nationalité.

Pour déterminer la nationalité des *femmes*, les règles suivantes doivent être prises en considération (1).

---

(1) Cfr *Het Vlaamsch Bestuur*, 1900, p. 341.

Art. 12 du code civil : « L'étrangère qui aura épousé un Belge, suivra la condition de son mari ». La femme, suivant donc la condition de son mari, si la demande émane de la femme ou de la veuve d'un ouvrier ou ancien ouvrier belge, il suffira de justifier que celui-ci est ou a été inscrit sur les listes électorales, ou s'il n'est pas ou n'a pas été électeur, que la qualité de Belge ne lui doit pas moins être reconnue.

Art. 19, al. 1. « Une femme belge qui épousera un étranger suivra la condition de son mari ». Elle perd donc la qualité de Belge, qu'elle peut recouvrer à la mort de son mari à condition « qu'elle réside en Belgique ou qu'elle y rentre avec l'autorisation du Roi, et qu'elle déclare qu'elle veut s'y fixer ». (Voir a. 20).

Voilà donc pour la femme mariée. Quant à la femme non mariée et à l'homme qui n'est pas électeur, leur nationalité est déterminée par les règles générales.

Or, tout enfant né d'un Belge, même en pays étranger, est Belge (art. 10). L'enfant issu de parents, l'un Belge, l'autre étranger, suit la condition de son père. Celui qui se prétend Belge par naissance est tenu de prouver que son père était lui-même Belge. Mais cette preuve supposerait, dans la rigueur des principes, celle de la nationalité de son aïeul et ainsi de suite, à l'infini (1). Comme cette preuve complète est à peu près impossible, la loi du 22 Août 1885, à établi une présomption, reprise dans l'art. 76 de la nouvelle loi électorale. Or, cet article porte: que toute personne dont l'inscription sur les listes électorales est demandée, *est présumée Belge si elle est née en Belgique d'un père né lui-même en Belgique.* La preuve que le père est né en Belgique résulte soit de son acte de naissance, soit même de son acte de mariage

(1) Cette preuve est d'autant plus compliquée qu'avant la promulgation du Tit. I, (Livre I) du Code civil (18 mars 1803) la nationalité était déterminée non par la filiation mais par le lieu de naissance. Il faudrait donc prouver en outre que ces ancêtres sont nés sur le territoire actuel de la Belgique.

(Cass. 13 Avril 1889). L'acte de décès est insuffisant. (Cass. 24 Mai 1886).

Quant aux personnes dont le père n'est pas né en Belgique et qui ne peuvent en conséquence se prévaloir de l'art. 76, elles doivent suivre le droit commun. La nationalité pourra donc s'établir par tous les moyens admis à cet égard par le droit civil, témoins compris, excepté le serment. (Cass. 4 Avril 1881).

Si la nationalité avait été acquise par la *naturalisation*, comme celle-ci est accordée par une loi, il suffira d'indiquer, en guise de preuve, le numéro du Moniteur où la loi a été promulguée. (1).

2e Condition : il faut *avoir une résidence en Belgique.*

Art. 3. Est considéré comme ayant une résidence en Belgique, celui qui possède dans le royaume depuis un an au moins son domicile réel ou son principal établissement.

La résidence en Belgique peut donc s'entendre soit du *domicile* réel, soit de l'établissement *principal*. Le législateur n'a pas voulu exclure du bénéfice de la loi les nombreux ouvriers agricoles, briquetiers etc. qui s'expatrient. Ils peuvent prétendre à la pension de 65 francs pour l'année 1901 à condition qu'au 1r janvier 1901, ils possèdent en Belgique depuis *un an au moins*, (donc depuis le 1r janvier 1900), leur domicile réel ou leur principal établissement, c'est-à-dire le centre de leurs intérêts, le siége de leur emploi, de leur profession.

L'ouvrier qui durant une partie de l'année travaille à l'étranger, et, la campagne terminée, revient en Belgique, jouira de l'allocation. Toutefois, l'ouvrier ou ancien ou-

(1) La question de l'indigénat est trop étendue et trop compliquée pour qu'elle puisse être exposée en entier ici. Nous devons forcément nous limiter *à quelques règles générales*. On pourra, pour les cas extraordinaires, consulter les différentes dispositions légales qui régissent la matière dans le complément du Code Civil. Ces dispositions ont été savamment commentées dans : *Het Vlaamsch Bestuur*, Tome V, p. 36 ss., 96 ss.

vrier Belge (code c. a. 17, 20) qui prétendra à la pension de 65 francs à partir du 1 janvier 1902, 1903 etc. devra, à ces dates respectives, avoir depuis un an au moins en Belgique *son domicile réel ou son principal établissement.*

3e Condition : il faut *être âgé de 65 ans au moins.*

Art. 4. La condition relative à l'âge doit exister au 1er janvier prochain pour les intéressés qui sollicitent l'allocation pour l'année 1901.

Elle peut être établie par toutes voies de droits.

Les travailleurs âgés d'au moins 55 ans à la date du 1er janvier 1901 et remplissant les autres conditions établies par la loi et le présent arrêté seront admis à jouir de l'allocation à partir du 1er janvier qui suivra la date où ils auront atteint l'âge de 65 ans.

Ceux qui, au 1er janvier 1901, auront moins de 58 ans accomplis, devront justifier, à l'appui de leur demande, que pendant une période de trois ans an moins ils ont effectué à la Caisse générale de retraite des versements s'élevant au moins à 3 francs par an et formant un total de 18 francs.

Cette preuve pourra être faite en joignant à la demande soit le livret, soit un certificat de la dite Caisse.

Nous réservons pour une étude ultérieure plusieurs questions soulevées par le présent article ; nous ne donnerons, pour le moment, que certaines remarques générales d'une application pratique immédiate.

Seront donc admis *gratuitement* à jouir de l'allocation de 65 francs tous les intéressés qui au 1r janvier 1901 auront plus de 58 ans, qui sont nés par conséquent *avant le 2 janvier 1843.* Ceux qui au 1r janvier 1901 ont 65 ans au moins, pourront recevoir l'allocation à partir de l'année 1901 ; ceux qui au 1r janvier 1901 auront 58 ans accomplis et moins de 65 ans, seront admis a jouir de l'allocation à partir du 1r janvier qui suivra la date où ils auront atteint l'âge de 65 ans. Ce sera donc la tâche des hommes d'œuvres de rechercher, pendant quelques années, les vieillards qui au 1r janvier suivant auront atteint l'âge de 65 ans fixé par la loi.

Ils devront s'intéresser tout autant aux travailleurs qui au 1r janvier 1901 seront âgés d'au moins 55 ans et auront, à la même date, moins de 58 ans accomplis. Ceux-ci, en effet, arrivés à l'âge de 65 ans seront exclus du bénéfice de l'allocation de 65 francs, s'ils n'ont effectué à la Caisse générale de retraite, pendant une période de 3 ans au moins, des versements s'élevant au moins à 3 francs par an, et formant un total de 18 francs (1).

Aux hommes d'œuvres donc de veiller à ce que les nombreux travailleurs, nés entre le 1r janvier 1843 et le 1r janvier 1846, ne négligent pas le léger sacrifice que la loi réclame d'eux comme une condition sine qua non de l'octroi de la pension de 65 francs.

Il est évidemment à souhaiter que les personnes de cette dernière catégorie versent davantage que les trois annuités de 3 francs au moins formant un total de 18 francs : ces versements supplémentaires, augmentés des primes accordées par les pouvoirs publics pourront constituer une petite pension ajoutée à l'allocation annuelle de 65 francs.

Notons, en passant, pour dissiper quelques fausses interprétations de cette disposition :

1° que les 18 francs peuvent être versés dans le courant de 3 ou plusieurs années, pourvu que les versements atteignent 3 fr. minimum *par an*, et que le total des 18 fr. soit versé avant l'âge de 65 ans de l'affilié ; ces versements ne doivent pas être faits pendant une série d'années consécutives ;

2° que ces versements peuvent être effectués indifféremment à capital abandonné ou à capital réservé avec jouissance de rente à 60 ou 65 ans par exemple ;

3° que ces versements gagnent les primes accordées par l'Etat en vertu de l'art. 5 de la loi du 10 mai 1900, ainsi que la subvention prévue à l'art. 12 de la même

(1) Nous aurons l'occasion de revenir sur cette disposition dans notre commentaire sur la loi du 10 Mai 1900.

loi, si l'intéressé est membre d'une société mutualiste reconnue ayant pour objet l'affiliation de ses membres à la caisse de retraite;

4° que le montant des primes d'encouragement ne peut pas entrer en ligne de compte pour établir le minimum de 18 francs. Cette somme doit être constituée soit par des versements personnels, soit par des versements assimilés à ces derniers, c'est-à-dire opérés au profit de l'assuré par une tierce personne ou par la société mutualiste reconnue dont il est membre;

5° que les rentes provenant de ces versements et des primes acquises seront ajoutées à l'allocation de 65 fr. à laquelle l'intéressé, parvenu à l'âge de 65 ans, pourrait éventuellement avoir droit. Le droit aux 65 fr. dépendra de l'état de besoin à cet âge, et si l'état de besoin est reconnu, aucune réduction ne sera opérée du chef de la rente acquise par les versements;

6° Les travailleurs ont satisfait aux prescriptions de l'article 4 al. 4) si, avant le vote de la loi, ils avaient déjà effectué à la Caisse de retraite des versements annuels de 3 francs et formant un total de 18 francs.

La condition relative à l'âge doit exister au 1r janvier prochain (1901) pour les intéressés qui sollicitent l'allocation pour 1901; ces personnes doivent donc être nées avant le 1r janvier 1836. D'après une opinion autorisée, basée sur l'interprétation unanime donnée par les jurisconsultes à l'article 388 du Code civil, les personnes nées *le 1r janvier 1836*, pourraient jouir de l'allocation annuelle dès l'année 1901. Il en résulte que les personnes nées le 1r janvier 1843 ou le 1r janvier 1846 auront au 1r janvier 1901 respectivement 58 ans et 55 ans accomplis.

Par conséquent les intéressés nés le 1r janvier 1843, ne devront opérer aucun versement; de même les intéressés nés le 1r janvier 1846 auront au 1r janvier 1901 *au moins 55 ans;* donc, ils pourront jouir de l'allocation de 65 francs *à partir du 1r janvier qui suivra la date où*

ils auront atteint l'âge de 65 ans, c'est-à-dire à partir du 1r janvier 1912, (1) à condition toutefois qu'ils versent le minimum de 18 francs exigé par la loi. (2).

L'âge s'établit par un acte de l'état civil et, en cas d'impossibilité, par toutes voies de droit.

4e **Condition**: *il faut être ouvrier ou ancien ouvrier.*

Art. 5. Sont considérés comme ouvriers, les hommes et les femmes qui, moyennant un salaire, travaillent habituellement de leurs mains pour un patron ou un maître, soit au temps, soit à la pièce, soit au dehors, soit à domicile, et cela sans distinguer entre le travail domestique ou agricole et le travail industriel ou de métier.

Sont considérés comme anciens ouviers, ceux qui, par la condition habituelle de leur vie antérieure, ont répondu à la précédente définition.

La femme ou la veuve d'un ouvrier ou ancien ouvrier est considérée comme ouvrière, lors même qu'elle ne se trouve pas personnellement dans les conditions prévues aux aliénas précédents.

Les 2 premiers alinéas de l'art. 5 s'appliquent aux « ouvriers » ou « anciens ouvriers » des deux sexes. Tâchons d'abord de préciser quelque peu les définitions assez générales dont le législateur s'est servi.

Par « ouvriers » et « anciens ouvriers », il faut donc entendre « les hommes et les femmes qui, moyennant un *salaire*, travaillent *habituellement* de leurs mains », par opposition aux « patrons » et aux « maîtres » qui ont un établissement indépendant, ne travaillent que pour leur compte et qui sont eux-mêmes les directeurs, les maitres et les ordonnateurs de leur travail. Notons que la loi dit: « travaillent *habituellement* » et non pas « travaillent *exclusivement* ».

---

(1) En effet, c'est ainsi qu'il faut entendre le 3e alinéa de l'art. 4, qui ne contient, dans les derniers mots, qu'une *disposition exécutoire* sur laquelle on s'appuie à tort pour déterminer la condition d'âge.

(2) Cfr *Het Vlaamsch Bestuur*, 1900, p. 342 s.

La distinction est d'une importance capitale en la matière, et montre que la loi s'inspire de vues larges et généreuses. Notons encore que le législateur n'exige pas que le « salaire » soit l'unique ressource de l'ouvrier. Remarquons enfin les nombreuses spécifications des travaux manuels salariés : « soit au temps, soit à la pièce, soit au dehors, soit à domicile, et cela sans distinguer entre le travail domestique ou agricole et le travail industriel ou de métier ». On a bien dit : « La définition avec ses appositions successives, semble tendre de tous côtés des perches de salut aux travailleurs manuels pour leur permettre de se raccrocher à la qualité *d'ouvrier* ». (1)

Essayons, par quelques exemples, de fixer le sens et la portée de cette importante définition.

1° « *Travaillent de leurs mains* », « sans distinguer entre le travail domestique ou agricole et le travail industriel (*nijverheidswerk*) ou de métier (*ambachtswerk*). Le travail manuel est opposé ici au travail de l'esprit (2).

Seront donc exclus tous ceux qui exercent une profession scientifique ; de même, seront exclus les commis aux écritures, les comptables, les agents de police. Au contraire, sont réputés faire un travail « manuel » les portiers, les commissionnaires, les typographes, les gardes forestiers (3), les surveillants de nuit dans les fabriques et les usines, les chefs d'équipe *(ploegbazen)*.

2° « *Pour un patron ou un maître* ». L'ouvrier est défini par opposition au patron et au maître, c'est-à-dire au chef d'entreprise qui travaille pour son propre compte (4) et en son nom personnel. L'ouvrier reçoit en

---

(1) *Le Petit Belge*, 27 Octobre 1900.

(2) *Het Vlaamsch Bestuur*, 1900, p. 343.

(3) Au moins ceux qui ne sont pas simples surveillants, mais font habituellement du travail manuel et coupent, élaguent etc., ibid.

(4) Cfr *Rapport de M. Nyssens*, p. 8. Voir cependant la réponse de M. le Ministre, p. 31.

retour de son travail un « salaire », soit qu'il travaille « au temps, soit à la pièce, soit au dehors, soit à domicile ». Doivent donc être considérés comme ouvriers salariés, les tisserands qui, à domicile, travaillent à la pièce pour le compte d'un patron; les forgerons, armuriers, cordonniers, tailleurs, couturières, etc. qui travaillent à la pièce ou au temps pour le compte d'un patron, ou même pour le public qui les paie soit à la pièce, soit à la journée, (à condition toutefois qu'ils ne fournissent pas les matières premières et ne deviennent ainsi chefs d'entreprise) (1); les lessiveuses et les repasseuses qui travaillent à la pièce chez elles, ou au dehors à la journée; les dentellières qui reçoivent leurs modèles d'un patron et travaillent au mètre, encore qu'elles ne travaillent pas toujours pour la même maison. Nous ne croyons pas, comme on l'a dit, que les pêcheurs soient tous exclus du bénéfice de la loi : ne sont-ils pas, pour la plupart, ouvriers manuels salariés, travaillant pour le compte d'un armateur, véritable patron, qui leur paie, sous une forme particulière à cette industrie, un salaire proportionné au travail accompli ?

Quant aux bateliers, nous ne croyons pas qu'ils soient *tous* « patrons » au sens de la loi. Il y en a certainement qui « travaillent » pour le compte d'une usine, d'une compagnie, d'un patron et ne travaillent pas, à proprement parler, à l'entreprise et en nom personnel. Nous ne prétendons pas, d'autre part qu'il faille les admettre en bloc à l'allocation. Il faudra examiner chaque cas particulier et tenir compte non seulement de leur situation actuelle, mais aussi de la condition habituelle de leur vie antérieure (2).

La parenté que l'ouvrier peut avoir avec le patron ne

(1) Cfr *Het Vlaamsch Bestuur*, p. 345.

(2) Voir plus loin (p. 15), la réponse de M. le Ministre de l'Industrie et du Travail (Chambre des Représ. séance du 27 nov. 1900).

change rien à la nature du travail manuel salarié. Or, de nombreux artisans et cultivateurs ont été, souvent pendant de longues années, ouvriers salariés de leurs parents ou d'un membre de leur famille. Si cette condition de la vie antérieure a réellement existé, elle peut, sans aucun doute, suffire à prouver que l'impétrant a été ouvrier.

3° « *Travaillent habituellement* ». Bien des personnes sont en même temps petits patrons, et ouvriers salariés : tels de nombreux artisans qui font bien quelques petites entreprises, mais travaillent fréquemment tantôt pour le public, tantôt pour certains patrons ; tels surtout un nombre assez considérable de petits cultivateurs, qui cultivent pour leur compte une modeste exploitation agricole mais travaillent fréquemment à la journée chez un voisin.

C'est la condition sociale *habituelle* de ces intéressés qui décidera s'ils peuvent être réputés ouvriers salariés. Comme le gouvernement avait promis (1), de tracer pour ces situations intermédiaires des règles inspirées de vues équitables, on peut raisonnablement conclure que l'interprétation du terme « ouvrier salarié » ne doit être, sur ce point spécial, trop rigoureuse, sans que toutefois la condition habituelle de salarié puisse être inventée pour le besoin de la cause. Ces travailleurs manuels intermittents pourront donc solliciter l'allocation, à condition qu'ils travaillent soit, par exemple, deux jours par semaine, une dizaine de jours par mois, soit pendant certaines époques de l'année, pour le compte d'un patron.

Quand l'intéressé répond présentement à la précédente définition et est ouvrier manuel salarié, il n'est point nécessaire d'examiner quelle a été sa condition sociale antérieure.

4° « Sont considérés comme *anciens ouvriers*, dit le

(1) *Rapport de M. Nyssens*, p. 8.

2e al., ceux qui par la condition habituelle de leur vie antérieure ont répondu à la précédente définition », c'est-à-dire ceux qui dans leur vie antérieure et, pendant un temps à apprécier suivant les circonstances, ont travaillé habituellement de leurs mains pour le compte d'un patron ou d'un maître, même si pendant une certaine période ils avaient été dans l'aisance, chefs d'entreprise, ou travailleurs intellectuels.

Il a été entendu expressément (1), que rien ne s'oppose à ce que dans un même ménage le mari et la femme bénificient simultanément de l'allocation annuelle de 65 francs. Le 3e aliéna du présent art. déclare formellement que la femme ou la veuve d'un ouvrier ou ancien ouvrier est réputée *ouvrière* au sens de la loi, « lors même qu'elle ne se trouve pas *personnellement* dans les conditions prévues aux alinéas précédents. » Il n'est donc pas nécessaire, dans ce cas, d'examiner si elle a été ouvrière salariée au sens de la loi. Cependant, si de par sa condition sociale habituelle elle a été ouvrière autrefois, elle pourrait jouir de l'allocation, même si actuellement son conjoint n'est pas ouvrier manuel mais, par exemple, petit employé etc.

M. le Ministre de l'Industrie et du Travail, répondant à une question relative à l'interprétation de l'art. 5 de l'arrêté royal sur les pensions ouvrières, a fait à la Chambre la déclaration suivante qui confirme les explications que nous avons données de ce même article :

« Les Comités de patronage chargés d'apprécier *en fait*, quelles personnes peuvent être considérées comme ouvriers ou anciens ouvriers trouveront des indications suffisamment précises dans les termes de l'art. 5 de l'arrêté royal du 20 octobre 1900. Il ne paraît pas douteux que beaucoup de travailleurs compris dans les catégories énumérées par M. Anseele seront

(1) *Rapport* de M. Nyssens au nom de la section centrale de la Chambre. — *Ann. Parlem.* Chamb. des Représ. 1899-1900, pp. 1337, 1383 ss.

considérés comme ouvriers, même s'ils travaillent à la pièce ou à l'entreprise. Il ne faut pas d'ailleurs, tenir compte exclusivement de la situation actuelle des vieillards de 65 ans et plus, mais aussi de la condition habituelle de leur vie antérieure » (1).

5e **Condition**: *Il faut se trouver dans le besoin.*

Art. 6. Sont considérés comme se trouvant dans le besoin, ceux dont les ressources, mises en rapport avec leurs charges, sont ordinairement insuffisantes pour qu'ils puissent pourvoir par eux-mêmes à leur subsistance.

Pour établir cette situation, il est tenu compte notamment :

En ressources :

1° Du salaire de l'intéressé, de son conjoint et des enfants ou descendants habitant avec lui ;

2° De la nature et de la contenance de leurs propriétés et des biens qu'ils tiennent en location ;

3° De leurs épargnes ;

4° Des secours de la bienfaisance publique ;

5° Des subventions résultant de droits réels ou personnels, comme les droits d'usage ou les pensions alimentaires ;

En charges :

1° De l'entretien du ménage selon la condition habituelle des ouvriers de la région et de la même profession en considérant le nombre et l'âge des personnes qui composent la famille ;

2° Des infirmités ;

3° Du loyer, des impôts et des charges réelles.

Tout ouvrier âgé de 65 ans n'a donc pas droit à l'allocation de 65 francs : il faut qu'il soit dans le besoin. Or, sont considérés comme se trouvant dans le besoin, ceux qui *ordinairement* ne peuvent pas pourvoir par eux-mêmes à leur subsistance. Pour déterminer cette

(1) *Annales parlem.*, Chambre des Représ., Séance du 27 Nov. 1900, 1900-1901, p. 67. La question était celle-ci : « L'article 2 de l'arrêté royal du 20 Octobre 1900 sur les pensions ouvrières exclut-il tous ceux qui travaillent pour leur compte, même sans aide : les armuriers, les briquetiers, les bûcherons et travailleurs forestiers, les pêcheurs, les dentellières ? » (séance du 21 novembre 1900).

situation ordinaire de l'impétrant, il faut comparer ses ressources avec les charges qui pèsent sur lui, tout en ayant devant les yeux que l'allocation n'est pas une aumône donnée aux seuls meurt-de-faim, mais une petite pension, qui les dédommagera en quelque sorte des multiples avantages que la loi du 10 mai 1900 accorde désormais à leurs successeurs, et dont ils ne peuvent plus bénéficier à cause de leur âge avancé. Plusieurs points méritent de fixer ici notre attention.

Un modèle de bilan est donné dans le 2e alinéa, indiquant les éléments *principaux* qui entrent en ligne de compte dans la généralité des cas. Il est introduit par le mot « notamment » pour signifier que l'on peut trouver d'autres circonstances à faire valoir, des charges non prévues au modèle de bilan, et capables d'engloutir tous les revenus ; des charges même en dehors des besoins personnels de l'intéressé. Ces charges extraordinaires serviront évidemment à prouver l'existence de la condition du besoin.

Il faut voir *l'ensemble de la situation des intéressés*, le rapport entre le montant des ressources et les nécessités de l'existence, eu égard notamment à « la condition habituelle des ouvriers de la région et de la même profession », en considérant *le nombre* et *l'âge* des personnes qui composent la famille, eu égard aussi aux « infirmités » dont peuvent être atteints les divers membres du ménage. Car les charges et les frais d'entretien s'étendent, dans la pensée du législateur, à tout le ménage et comprennent tout ce que *devrait* comporter l'entretien de la famille, conformément à la bonne moyenne des familles ouvrières de la même condition et de la même localité.

La condition « du besoin » étant le fondement de l'intervention de la loi, et les mêmes ressources pouvant produire dans certains ménages l'aisance, alors que dans d'autres familles elles seraient insuffisantes à équilibrer le budget, le gouvernement a agi sagement en déclarant

que l'appréciation du besoin est une question *de fait* que les Comités de patronage auront, le cas échéant, à résoudre dans chaque cas particulier, d'après les éléments qui leur seront fournis (1).

Aussi, le fait de gagner un « salaire », d'avoir « des propriétés », de tenir « des biens en location », d'avoir « des épargnes », de recevoir « des secours de la bienfaisance publique », ou « d'autres institutions » (2), « des subventions résultant de droits réels ou personnels », tout cela ne constitue pas des causes d'exclusion, mais de simples indications et des éléments d'appréciation à fournir aux Comités de patronage. Chaque cas particulier fera l'objet d'un examen particulier et la solution dépendra de toutes les circonstances réunies.

Le fait donc d'être propriétaire de sa maison et d'un lopin de terre, de tenir un hectare de terre en location, de posséder un livret à la Caisse d'épargne, de jouir d'une pension servie par une Caisse de prévoyance ou par un Syndicat etc. (3), de jouir de droits d'usage et d'usufruit, d'une créance hypothécaire, d'une pension alimentaire (au sens du Code civil aa. 205 ss., 610 etc.), voilà autant de « ressources » qui ne constituent pas *par elles-mêmes* un obstacle à l'allocation de 65 francs.

Le législateur n'exige pas que l'ouvrier parcimonieux, avant de réclamer la pension de 65 francs, renonce à son salaire, ou dépense d'abord le petit capital qu'il a amassé au prix de tant d'efforts: exiger ce sacrifice serait d'ailleurs donner une prime à la paresse et à l'imprévoyance, alors que la loi du 10 mai n'a qu'un but: le développement de l'esprit de prévoyance. De plus, comme nous le disions plus haut, les faveurs que

(1) *Dépêche ministérielle* (Office du Travail, section de la Prévoyance), du 28 Nov. 1900.

(2) Voir la formule officielle des demandes d'allocation.

(3) *Annales parlem., Ch. des Représ.* 1899-1900, pp. 1365, s., 1382, ss.

le législateur octroie dans le régime transitoire aux ouvriers d'un âge assez avancé, constituent une espèce de dédommagement et de gratification.

L'appréciation du besoin, pour tous les intéressés, même pour les pensionnaires des hospices, est laissée à la décision des comités de patronage. Ceci résulte d'une déclaration de M. le Ministre de l'Industrie et du Travail à la Chambre des Représentants, (Séance du 27 nov. 1900), ainsi que d'une dépêche ministérielle en date du 28 novembre 1900, adressée au Président du conseil général de l'administration des Hospices et Secours de la ville de Bruxelles. Monsieur le Ministre ajoute toutefois: « Il me parait hors de doute que les vieillards recueillis dans une institution charitable qui pourvoit complètement à leur subsistance c'est-à-dire leur procure le logement, la nourriture, les habillements etc. et éventuellement les soins médicaux, ne peuvent pas être considérés comme se trouvant dans le besoin au sens de l'article 9 de la loi précitée (du 10 Mai 1900) ». Notons cependant les termes « *institution* charitable », « pourvoit *complètement* » : il semble ressortir de la teneur générale de la dépêche et, notamment, des mots soulignés, que les vieillards hospitalisés par la charité privée, ne sont pas, *de ce seul fait*, exclus du bénéfice de la loi. Une dépêche ministérielle (1) en date du 4 décembre 1900, après avoir rapporté la réponse donnée plus haut, ajoute :

« Il en serait autrement si des personnes admises à l'allocation de 65 francs parvenaient plus tard, *grâce à ce subside* à se faire admettre dans un hospice, ou bien encore si l'établissement hospitalier ne pourvoyait qu'à une partie des besoins des personnes secourues et que celles-ci n'eussent pas les ressources nécessaires pour assurer leur subsistance quant au surplus. »

(1) A M. Smekens, Président du Comité de patronage des habitations ouvrières à Anvers.

Les Comités de patronage pourront donc apprécier en toute liberté chaque cas particulier qui leur sera soumis.

Le travailleur ou ancien travailleur habitant avec un de ses enfants, qui sans être ouvrier lui-même, ne jouit que d'une modeste aisance, ne sera pas de ce seul fait exclu de l'allocation. Il faut examiner, en effet, avant tout quelles sont les ressources *personnelles* de l'intéressé. D'ailleurs, cette circonstance de la cohabitation fonde déjà une présomption en faveur de l'impétrant : en règle générale, c'est une preuve non équivoque que le vieillard, habitant avec un de ses enfants, ne peut ordinairement pas pourvoir par lui-même à sa subsistance. C'est à tort que le collège des bourgmestres et échevins rejetterait les demandes émanant de cette catégorie d'intéressés. D'ailleurs, si le collège doute de l'état du besoin, il peut notifier ce doute au Comité de patronage qui est seul compétent pour juger souverainement et pour *tous* les intéressés de la condition du besoin.

Il convient de rendre hommage à la droiture et à l'équité, dont le gouvernement a fait preuve en déclarant que le gouverneur ne pourrait pas interjeter appel pour défaut de la condition du besoin. Confiant dans l'organisation loyale de la procédure d'instruction et dans l'impartialité reconnue des Comités de patronage, le gouvernement veut que la décision de ces Comités, si elle est favorable, *soit* en dernier ressort en ce qui concerne la question du besoin.

CHAPITRE II.

Procédure d'instruction.

Il nous reste à examiner la procédure instituée par l'arrêté royal du 20 octobre 1900 aux fins d'appliquer les règles expliquées aux cas individuels et concrets, c'est-à-dire d'examiner les demandes d'allocation.

Au cours des discussions parlementaires il a été entendu que l'instruction des demandes tendant à obtenir la susdite allocation, serait confiée à une institution qui présenterait toutes garanties d'impartialité, et dont les décisions seraient susceptibles d'un recours. Il n'était pas possible, à défaut d'une prescription expresse de la loi, de charger de ce soin le pouvoir judiciaire (1); il fallait donc recourir à une juridiction administrative, de préférence à une institution qui a fait ses preuves, qui a donné des gages de son impartialité et dans laquelle les ouvriers, comme tous les groupes sociaux, se trouvent représentés. En vue de satisfaire à l'intention du législateur, l'arrêté royal du 20 octobre 1900, a conféré au Comités de patronage la mission de statuer sur les demandes d'allocations. (2)

La tendance générale de l'arrêté au point de vue de la procédure est un pas de plus dans la voie de la décentralisation administrative et et de la participation de citoyens non fonctionnaires à l'application des lois (3). On ne peut que féliciter le gouvernement de n'avoir pas institué un organisme nouveau, mais d'avoir dévolu cette mission délicate à une institution impartiale, connaissant l'ouvrier et dévouée à son égard: telle est l'institution des Comités de patronage des habitations ouvrières et des institutions de prévoyance. (4)

---

(1) En vertu du principe constitutionnel de la séparation des pouvoirs législatif, judiciaire et exécutif.

(2) Cfr. *Circulaire ministérielle* du 9 Novembre 1900 aux Comités de patronage.

(3) Cfr. *Le Petit Belge* du 27 Octobre 1900.

(4) Institués par la loi du 9 Août 1889, ces Comités ont une triple mission d'après la loi elle-même.

« Il sera établi, dit-elle en son art. 1, dans chaque arrondissement administratif, un ou plusieurs comités chargés:

A. De *favoriser* la construction et la location d'*habitations ouvrières* salubres et leur vente aux ouvriers soit au comptant, soit par annuités;

B. D'*étudier* tout ce qui concerne la salubrité des *maisons habitées* par les classes laborieuses et l'hygiène des localités où elles sont tout spécialement établies;

Art. 7. Toute personne qui sollicite l'allocation de 65 fr. doit en faire la demande par écrit avant le 1er janvier de l'exercice budgétaire sur lequel l'allocation doit être imputée ; toutefois, par mesure transitoire, les demandes seront recevables jusqu'au 31 mars en ce qui concerne l'année 1901.

C. D'*encourager* le développement de l'*épargne* et de l'*assurance*, ainsi que des institutions de *crédit* ou de *secours mutuels* et de *retraite*. »

D'après la première mission, les comités doivent aider à la formation de sociétés d'habitations ouvrières, faciliter la construction des maisons par l'examen des plans et des devis, la communication des plans types, etc.

La seconde mission regarde les logements anciens. Les comités dresseront là-dessus des états concernant leur ressort ; visiteront ces demeures, *du consentement toutefois des habitants ;* donneront les conseils voulus ; et signaleront, le cas échéant, à l'autorité locale et à la commission médicale provinciale, dont ils contrôlent ainsi l'action, quelles mesures opportunes seraient à prendre par elles.

Pour remplir leur troisième mission, ils s'efforceront de répandre parmi les classes laborieuses les idées d'épargne et de prévoyance ; de vulgariser notamment les avantages de l'affiliation à la caisse de retraite ; d'engager résolument les industriels dans la voie de l'assurance générale de leurs employés et ouvriers ; de leur faciliter l'accomplissement des formalités légales ; de donner au besoin leur avis sur les demandes de reconnaissance légale introduites par les sociétés mutualistes.

Quant au *caractère* de leur mission, elle est toute de conseil et de persuasion. Les comités n'ont pas de pouvoir propre ; ils n'ont rien à ordonner ou à défendre ; mais, suivant l'heureuse expression du rapporteur de la section centrale M. Mélot, ils conseillent, ils instruisent, ils éclairent ; et leur action s'exerce dans ce sens tant sur les ouvriers que sur les autorités publiques. Ils sont en effet des corps consultatifs, qui répondent aux questions des administrations locales, et qui émettent leur avis sur toutes les matières que leur soumettent le gouvernement, les autorités provinciales, la commission permanente des sociétés de secours mutuels.

En expliquant la mission des comités, nous avons indiqué les moyens dont ils disposent pour la remplir. Ajoutons-y le droit de demander des renseignements aux sociétés mutualistes reconnues, et d'instituer comme de distribuer des prix d'ordre, de propreté et d'épargne.

Cfr. le *Manuel Social* du R. P. Vermeersch, p. 135 s. — Ces comités, répondant en général à l'attente du législateur, ont déployé un zèle éclairé et fructueux dans l'application de la loi si éminemment sociale sur les Habitations ouvrières, (ce qui leur a permis d'apprécier la qualité d'ouvrier requise pour l'obtention de la pension de 65 francs) ; — dans l'enquête sur la situation des logements ouvriers, (ce qui leur facilitera l'examen de la condition du besoin des impétrants) — et enfin dans la propagande de l'épargne, de la mutualité et de la retraite.

La demande énoncera les nom, prénoms, âge, nationalité, profession et résidence du requérant et contiendra un exposé succinct de sa situation matérielle. Si l'intéressé ne sait ou ne peut signer, il en sera fait mention et cette déclaration sera visée par deux témoins majeurs.

La requête ainsi libellée sera adressée, par l'intermédiaire de l'administration communale, au président du comité de patronage des habitations ouvrières et des institutions de prévoyance dont la circonscription comprend la résidence du requérant.

En règle générale les demandes d'allocation de 65 francs ne seront recevables que jusqu'au 1r janvier de l'année pendant laquelle l'intéressé désire jouir de l'allocation; exceptionnellement et par mesure transitoire, elle seront recevables jusqu'au 31 mars prochain, en ce qui concerne l'année 1901.

La formule de la demande énoncera avec précision tous les renseignements relatifs au requérant, énoncés sommairement dans le présent article et détaillés dans les formules modèles ou les formulaires mis à la disposition des Comités de patronage et des Sociétés mutualistes (1). A la rubrique « observations », et, au besoin, sur une feuille détachée seront consignés tous les renseignements complémentaires utiles sur la situation matérielle de l'impétrant. Celui-ci doit *signer* la requête: il certifie de la sorte la véracité de toutes ses déclarations; des mesures seront prises contre ceux qui se

(1) Qui doit fournir les formulaires? Voici la solution donnée par M. le Ministre de l'Industrie et du Travail, dans une *circulaire* aux Gouverneurs (21 novembre 1900): « On me demande si mon Département fournira aux Administrations communales des formulaires semblables au modèle annexé à l'arrêté royal du 20 Octobre 1900.

Je crois devoir répondre négativement, me bornant à mettre ces formulaires à la disposition de certaines institutions qui relèvent de mon Département et dont le budget ne prévoit pas de crédit pour la fourniture de pareils imprimés: tels sont les Comités de patronage et les Sociétés mutualistes, dont la plupart ont déjà organisé une propagande active en vue de faciliter aux intéressés la rédaction de leurs requêtes. »

rendraient coupables de déclarations mensongères (1). Si l'intéressé ne sait signer, ou s'il ne le peut, c'est-à-dire s'il n'est pas en état de signer, il en sera fait mention et cette déclaration sera signée par deux témoins majeurs, âgés donc d'au moins 21 ans accomplis.

L'intéressé peut répondre personnellement aux divers points sur lesquels porte l'instruction ; il peut aussi en charger un mandataire. Il entre dans les vœux du gouvernement que les sociétés mutualistes facilitent aux vieillards la rédaction des requêtes : les membres de ces sociétés sont, en effet, des mandataires tout indiqués pour la rédaction des demandes et leur transmission à l'administration communale.

Car, la requête dûment rédigée est adressée, par l'intermédiaire de l'administration communale, au président du Comité de patronage des habitations ouvrières et des institutions de prévoyance dont la circonscription comprend la résidence du requérant. Il a été institué un Comité par arrondissement administratif ; certains grands arrondissements ont été subdivisés en plusieurs ressorts ayant chacun son Comité.

Art. 8. Le bourgmestre complète, s'il y a lieu, les renseignements fournis par le requérant, après avoir, au besoin, entendu celui-ci et en se servant d'un formulaire semblable au modèle annexé au présent arrêté ; les indications concernant les impositions sont visées par le receveur chargé d'en opérer le recouvrement.

Dans le plus court délai possible et au plus tard dans le mois de la réception de la demande, le dossier sera transmis, avec l'avis du collège des bourgmestre et échevins, au président du comité de patronage.

Les demandes transmises aux administrations communales seront donc, en général, libellées d'après la formule prescrite par l'arrêté du 20 octobre, et avant que les dites Administrations formulent leur avis, le

(1) Voir les « instructions » au verso des *formulaires officiels*.

bourgmestre aura à compléter, *s'il y a lieu*, les renseignements contenus dans les requêtes qui leur sont adressées par les intéressés ou par leurs mandataires.

Cette faculté est accordée à l'administration communale, parce que le collège des bourgmestre et échevins de la commune dans laquelle réside le requérant (v. art. 13), est tenu de donner son avis sur la requête, (c'est-à-dire sur les différentes conditions requises en vertu de l'art. 1), avis qui doit être ajouté au dossier, et peut être consigné notamment sur la formule. Cependant, la teneur de l'article 8 prémunit les dites administrations contre un exès de zèle, où de mesquines préoccupations politiques pourraient les entraîner. Le bourgmestre ne complète les indications que *s'il y a lieu*. Comment le fait-il? En entendant « *au besoin* » le requérant, et en se servant d'un formulaire semblable au modèle annexé au présent arrêté. Peut-il requérir la comparution personnelle du requérant? Voici l'avis de M. le Ministre à ce sujet:

« Pour s'assurer de l'exactitude des renseignements fournis, le bourgmestre n'est pas tenu de requérir la comparution personnelle des intéressés, d'autant plus que l'âge et les infirmités mettent souvent ceux-ci hors d'état de se déplacer ou de donner des indications précises; *ce n'est qu'à défaut d'autres moyens d'information qu'il pourra être nécessaire d'interroger l'impétrant* (1) ». La comparution personnelle de l'aspirant rentier ne peut donc être exigée qu'en cas *d'absolue nécessité*.

Les demandes d'allocations doivent-elles être accompagnées de certificats relatifs aux différentes affirmations des intéressés, à l'âge, à la nationalité, au salaire, aux secours de l'assistance publique etc? Une dépêche ministérielle du 13 décembre à M. le Gouverneur du Hainaut dit que cela « ne parait pas formellement nécessaire ».

---

(1) *Circul. minist.* du 21 nov. 1900.

Les dispositions de l'art. 8 impliquent aussi le concours du receveur des contributions. Celui-ci doit inscrire sur la formule et viser les impositions portées dans les rôles au nom du requérant. La demande est adressée au receveur par l'intéressé ou son mandataire ou par le bourgmestre. Voici un extrait des instructions (1), communiquées par le Ministère des Finances aux receveurs des contributions directes :

« Conformément à la finale du 1er alinéa de l'art. 8 susmentionné et à la réception du formulaire (modèle ci-joint en annexe), qui lui est adressé, soit par l'intéressé ou son mandataire, soit par le bourgmestre, le receveur y inscrit par nature, les impositions portées dans les rôles au nom du requérant. Il appose sa signature à côté des inscriptions faites par lui ; il ne peut exiger aucune rétribution.

Par impositions il faut entendre toutes les sommes éventuellement dues à recouvrer par le receveur à charge de la personne désignée dans le formulaire, en matière de contribution foncière, de contribution personnelle, de droit de patente, de redevances sur les mines (centimes additionnels de l'Etat, des provinces et communes compris) et aussi de taxes provinciales.

Le formulaire portant les annotations y consignées par le receveur est renvoyé d'urgence par lui, soit à l'intéressé ou à son mandataire, soit au bourgmestre, le collège des bourgmestre et échevins devant être mis dans la possibilité de se conformer au 2e alinéa de l'art. 8 précité.

Les négligences ou les retards seront sévèrement réprimés.

Par analogie avec ce qui est prescrit par la circulaire du 1er Juillet 1862, R. 885, les comptables font mention dans leur registre de correspondance, de la date de la réception du formulaire, des inscriptions qu'ils y ont portées et de la date du renvoi ».

---

(1) *Circulaire*, nº 2596 du 15 novembre 1900.

Le requérant ou son mandataire peut donc transmettre le formulaire au receveur, avant que le collège des bourgmestre et échevins n'y ait inscrit son avis; ou bien le bourgmestre peut se charger de communiquer les formules au receveur des contributions. Quel que soit l'ordre suivi, c'est toujours l'administration communale qui envoie le dossier au Comité de patronage.

Le dossier avec l'avis du collège des bourgmestre et échevins et le visa du receveur doit être transmis au président du Comité de patronage « *dans le plus court délai possible et au plus tard dans le mois de la réception de la demande.* » Qui veillera à l'observation de ce bref délai, et comment?

Une circulaire ministérielle du 9 novembre 1900 aux Comités de patronage porte que « Le Comité aura à veiller, d'une façon générale, à la prompte instruction des demandes d'allocations. Dans ce but et afin de faciliter son jugement, il a le droit de désigner dans toutes les communes de son ressort des membres correspondants (1) auxquels il peut demander un rapport sur les requêtes qui lui parviennent. »

Si donc une administration communale refusait de remplir sa mission, et, notamment, l'obligation de formuler son avis et de transmettre *tous* les dossiers au Comité dans le délai fixé, *(même si les déclarations contenues dans la demande ne lui paraissent pas suffisamment justifiées)* (2) le requérant ou son mandataire signalerait le cas au Comité, qui pourrait charger son correspondant local d'aplanir la difficulté. Toutefois, à défaut d'avis du collège échevinal, la requête ne peut être rejetée ou ajournée indéfiniment. « Il faudra

(1) Nous engageons vivement tous les hommes d'œuvres à se mettre en rapport avec les Comités de patronage, et à solliciter de ceux-ci la fonction importante de correspondant pour leur commune, paroisse ou hameau.

(2) *Dépêche ministérielle* du 13 novembre 1900 à M. le Gouverneur du Hainaut.

considérer l'avis comme négatif ou dubitatif, et passer outre » (1).

Art. 9. Le comité de patronage statue sur les demandes qui lui sont soumises, soit en séance plénière, soit en commission composée de trois membres au moins.

La subdivision du comité de patronage en commissions a lieu par arrêté ministériel, après avis de la députation permanente.

Aucune décision ne peut être prise sans la présence de trois membres au moins.

Le comité fait connaître sa décision motivée à l'impétrant, ainsi qu'au gouverneur de la province, auquel il transmet les dossiers de toutes les affaires.

Ce sont donc les Comités de patronage qui statuent sur les demandes émanant des requérants qui habitent les ressorts respectifs. Les décisions des comités peuvent être prises, soit en séance plénière, soit en commission composée de trois membres au moins. Cette subdivision en commissions facilitera la tâche des comités ; (2) elle est réglée par arrêté ministériel pris après avis de la députation permanente (3). Jamais cependant

---

(1) Cfr. *Le Petit Belge* du 25 novembre 1900.

(2) Voici quelques détails sur l'organisation des Comités de patronage : Chaque comité comprend 5 membres au moins et 18 au plus, nommés pour trois ans, savoir : de 3 à 10 par la députation permanente, de 2 à 8 par le gouvernement. La crainte des conflits avec les autorités locales a fait donner à la députation permanente, plutôt qu'au gouvernement, une part prépondérante dans les nominations. Si aucune part n'est faite à la commune, c'est que le ressort d'un comité s'étend le plus souvent à plusieurs localités, et qu'il fallait garantir à ce dernier le franc parler pour son action de contrôle.

Chaque comité choisit dans son sein un président, un vice-président, un trésorier, qui peut être le secrétaire. Celui-ci est désigné par la députation permanente. Si le comité comprend 3 sections, on peut nommer un second vice-président.

(3) La *circulaire ministérielle* du 9 novembre 1900 aux Comités dit : « mon département prend à sa charge les dépenses qui résulteront pour votre Comité de l'exécution de la nouvelle loi sur les pensions de vieillesse ; il se tient à sa disposition pour l'aider de ses conseils et lui fournir tous les renseignements utiles. Au besoin, un délégué de l'Office du Tra-

aucune décision ne pourra être prise concernant les allocations sans la présence de trois membres au moins.

Les Comités, tenant compte, d'une part, des renseignements fournis par les requérants et complétés par le bourgmestre, et d'autre part, de l'avis émis par le collège des bourgmestre et échevins, apprécieront en fait si les affirmations des intéressés sont entourées de garanties suffisantes. En cas de doute, ils pourront exiger une justification de ces diverses affirmations par telles pièces (certificats etc.) qu'ils jugeront utiles. (1)

On comprend toute l'importance de la mission qui vient d'être confiée aux Comités. Aussi, la décision du Comité qu'elle soit favorable ou défavorable, doit toujours être motivée, c'est-à-dire qu'elle doit énoncer les motifs pour lesquels la pension de 65 francs est accordée ou refusée á l'impétrant. Le Comité est chargé de notifier sa décision ainsi motivée à l'impétrant, ainsi qu'au Gouverneur de la province auquel il transmet d'ailleurs sans retard (2) les dossiers de toutes les affaires, car les décisions des Comités sont susceptibles d'un recours devant une Commission provinciale.

Art. 10. Dans la quinzaine de la notification, l'impétrant dont la demande aura été rejetée sera recevable à interjeter appel de cette décision auprès du gouverneur de la province.

En ce qui concerne les décisions qui ont admis les demandes d'allocation, le gouverneur pourra d'office, dans le

---

vail pourrait, à la demande de votre comité, être chargé d'assister à l'une de ses prochaines séances en vue de l'organisation de ce service nouveau. »

(1) *Dépêche ministérielle* du 13 décembre 1900 à M. le Gouverneur du Hainaut. Une *dépêche* de M. le ministre des finances, en date du 12 décembre 1900, adressée à M. l'officier de l'état civil à Gand statue qu' « il y a lieu de faire bénéficier de l'exemption prononcée par l'art. 62 nº 3 et 110 du code du timbre, les extraits des actes de l'état civil portant la mention *qu'ils sont délivrés en vue de l'application de l'article 9 de la loi du 10 mai 1900* (voy. art. 1 et 2 de l'arrêté royal du 20 octobre 1900) *et qu'ils ne peuvent* servir à d'autre fin. »

(2) *Circul. Minist.* du 9 nov. 1900 aux Comités.

mois de la réception des dossiers, interjeter appel pour défaut d'une des conditions prévues aux 1°, 2°, 3°, et 4°, de l'article 1er ; cet appel sera notifié sans délai à l'intéressé.

Si la décision du Comité est défavorable, l'impétrant sera recevable à interjeter appel de cette décision auprès du gouverneur de la province. Il est accordé à l'intéressé un délai de quinze jours à partir de la notification que le Comité lui aura donnée de sa sentence. Remarquons que l'impétrant a toujours le droit d'appel, quel que soit le motif pour lequel le Comité croit devoir l'exclure du bénéfice de l'allocation de 65 francs.

Cependant si la décision du Comité est favorable, elle est en dernier ressort en ce qui concerne la condition du besoin : personne, pas même le gouverneur ne peut en appeler, dans ce cas, de la décision du Comité et contester que l'intéressé soit dans le besoin. Toutefois, l'appel contre les décisions favorables est ouvert au Gouverneur, dans le mois de la réception des dossiers, pour défaut d'une des quatre premières conditions prévues à l'article 1er, c'est-à-dire la condition de la nationalité, de la résidence dans le royaume, de l'âge requis et de la qualité d'ouvrier ou ancien ouvrier. Cet appel doit être notifié *sans délai* à l'intéressé, afin qu'il puisse éventuellement préparer et introduire sa défense devant la commission provinciale d'appel, instituée en vertu de l'article 11.

Art. 11. Il sera statué sur l'appel par une commission instituée à cet effet par arrêté ministériel et composée d'un délégué du gouvernement, d'un délégué du conseil supérieur du travail et d'un délégué de la députation permanente du conseil provincial. Chaque membre aura un suppléant, qui le remplacera en cas d'empêchement.

Il pourra être institué plusieurs commissions par province, selon les besoins du service.

La commission statuera dans le mois de la date où elle aura été saisie de l'appel, après avoir pris les mesures d'in-

struction nécessaires ; elle notifiera sa décision à l'intéressé et au gouverneur. Cette dicision sera en dernier ressort.

Les Commissions provinciales d'appel seront instituées par arrêté ministériel : le choix des trois membres qui en feront partie donne des garanties sérieuses d'indépendance et d'impartialité. Un des membres sera nommé par le gouvernement, un autre par la députation permanente des conseils provinciaux respectifs, le troisième par le conseil supérieur du travail (1). Si les besoins du service l'exigent, il pourra être institué plusieurs commissions par province. Ces commissions ne pourront prendre aucune décision sans la présence de leurs trois membres, puisque « chaque membre aura un suppléant, qui le remplacera en cas d'empêchement. »

La commission statue dans le mois de la date où elle aura été saisie de l'appel interjeté soit par le requérant soit par le gouverneur. Elle prend au préable les « mesures d'instruction nécessaires » d'après la nature et l'objet de la contestation. Elle a, sous ce rapport, pleine et entière liberté et peut s'entourer de toutes les lumières. Elle prendra sa décision en pleine connaissance de cause et la notifiera aux deux parties, c'est-à-dire à l'intéressé et au gouverneur. Cette décision sera irrévocable et en dernier ressort. Rien n'empêchera pourtant le requérant de représenter sa requête l'année suivante, si sa situation se trouve modifiée.

Art. 12. Après qu'il aura été statué définitivement, les dossiers seront transmis par le gouverneur au ministre de l'Industrie et du Travail, en vue de la liquidation des allocations.

---

(1) Ce Conseil supérieur du travail, qu'il importe de ne pas confondre avec *les Conseils de l'Industrie et du Travail,* est un Conseil central permanent, chargé de préparer les questions à soumettre aux divers Conseils de l'Industrie et du Travail, de résumer leurs vœux dans des propositions d'ensemble à présenter au gouvernement. Il examine et prépare les avant-projets de loi. Institué par l'arrêté royal du 7 avril 1892, il comprend 48 membres nommés par arrêté royal pour un terme de 14 ans : 16 représentants des chefs d'industrie, 16 représentants des ouvriers, 16 spécialistes des sciences économiques et sociales.

Après la décision définitive des Comités de patronage en cas d'absence d'appel ou des Commissions provinciales, en cas de recours, le gouverneur est chargé de transmettre les dossiers au Ministre de l'industrie et du travail, en vue de la liquidation des allocations. Quel sera le mode de paiement adopté par le Ministère ? Jusqu'ici rien n'est arrêté encore. En attendant que le gouvernement statue sur ce point important, nous appelons de tous nos vœux une solution qui se rapproche autant que possible du système préconisé dans le *Petit Belge* du 25 novembre 1900 : « En ce qui concerne le mode de paiement de l'allocation, on a craint que si elle est remise en une fois en argent aux rentiers, elle ne puisse être facilement gaspillée. Le remède à ce péril se trouve, semble-t-il, dans une idée très pratique que l'on prête à un ecclésiastique très distingué et très dévoué aux œuvres, M. le chanoine Henry : le gouvernement remettrait à chaque pensionné un livret d'épargne de forme ou de couleur spéciale, dont le montant pourrait être touché par fractions mensuelles de 5 francs dans tout bureau de poste : à cet effet, provision serait fournie par le trésor à l'administration des postes, ou au besoin à la caisse générale d'épargne, si l'intervention de celle-ci paraissait utile au point de vue de la comptabilité. Ce serait le moyen de faire parvenir le plus sûrement et le plus directement la pension aux intéressés, et d'assurer son emploi utile et conforme aux vues du législateur. Nos bureaux de poste sont outillés pour un service de ce genre, et nos facteurs vont à domicile : tout autre bureau de paiement paraît être moins rapproché et offrir moins de facilité : on va certes plus volontiers à la poste que chez le receveur des contributions, quelles que soient d'ailleurs les qualités de ce fonctionnaire. »

Il convient de noter que les allocations de 65 francs accordées par le présent arrêté royal sont incessibles et insaisissables. Il n'y a pas de déclaration expresse,

il est vrai, mais il semble superflu de s'inquiéter à cet égard, étant donné d'une part l'intention évidente du législateur d'allouer une allocation *personnelle* et *alimentaire* à ceux qui sont dans le besoin et non à leurs créanciers, et d'autre part la qualité du débiteur de la pension, qui est l'Etat. Il paraît plus que douteux, à première vue, que celui-ci puisse reconnaître la validité d'une cession ou d'une saisie relative à cette allocation : l'article 582 du code de procédure civile déclare insaisissables les pensions qui ont un caractère alimentaire, même si cette insaisissabilité n'est pas expressément consacrée par un texte de loi. Au demeurant un arrêté royal pourrait, en vertu de l'article 10 de la loi, imposer aux bénéficiaires la condition de ne pas faire cession de la pension. (1)

L'allocation de 65 francs définitivement accordée est-elle censée acquise intégralement et pour l'année entière ? Cette question sera résolue par les instructions ministérielles qui règleront le mode de liquidation.

Art. 13. A partir de 1902, le département de l'industrie et du travail fera parvenir aux bourgmestres, dans le mois de janvier de chaque année, une liste des personnes résidant dans leur commune et admises précédemment à l'allocation annuelle de 65 francs.

Le bourgmestre mentionnera sur cette liste les décès et les changements de résidence ; il signalera les personnes qui paraissent ne plus se trouver dans les conditions prescrites pour pouvoir jouir de la dite allocation.

Il transmettra, dans le mois, la liste ainsi rectifiée et complétée au Comité de patronage, qui procédera à une nouvelle instruction relativement aux personnes dont la situation de fortune serait modifiée.

Les personnes qui changent de résidence ne pourront, l'année suivante, bénéficier de l'allocation que moyennant une nouvelle décision du Comité de patronage compétent, prise à la suite d'une nouvelle demande et après l'instruction prévue aux articles 7 et suivants du présent arrêté.

(1) Voir *le Petit Belge* du 25 novembre 1900.

L'allocation une fois accordée, continuera à être servie aussi longtemps que l'intéressé sera dans le besoin. Toutefois M. le Ministre des Finances à déclaré au cours des discussions parlementaires (1) qu'elle ne serait pas irrévocable. Les travailleurs ou anciens travailleurs qui auraient joui de la pension pendant une ou plusieurs années pourront en être privés dans la suite, s'ils ne réunissent plus les conditions requises par le présent arrêté, et notamment s'ils ne se trouvent plus dans le besoin. A cet effet un certain contrôle est nécessaire : il sera exercé par l'application des différentes mesures contenues dans le présent article 13.

Le bourgmestre mentionnera sur la liste que lui transmettra annuellement le département de l'industrie et du travail, les décès et les changements de résidence. Les personnes qui changent de résidence et vont se fixer dans une autre commune du royaume, ne pourront, l'année suivante, bénéficier de l'allocation que moyennant une nouvelle procédure, c'est-à-dire, moyennant une nouvelle demande, une nouvelle instruction (art. 7 à 12), et une nouvelle décision du Comité de patronage compétent. Toute la procédure doit être reprise, même dans le cas où le Comité compétent serait celui-là même qui aurait statué l'année précédente sur la demande de l'intéressé en question.

Cette mesure a été prise en vue d'éviter les abus.

Le bourgmestre signalera en outre les personnes qui paraissent ne plus se trouver dans les conditions prescrites pour pouvoir jouir de l'allocation, parce que, par exemple, elles n'ont pas la résidence en Belgique, requise par l'article 3, ou qu'elles ne se trouvent plus dans le besoin au sens de l'article 6. Le bourgmestre ne décide pas : il rectifie et complète seulement la liste, qu'il transmet, dans le mois, au Comité de patronage. Celui-ci examine les renseignements complémentaires,

(1) *Annales parlem.* Ch. des Représ. 1899-1900, p. 1387 s.

et, notamment, procède à une nouvelle instruction relativement aux intéressés qui, d'aprés les indications du bourgmestre ou d'autres personnes, paraîtraient ne plus se trouver dans le besoin ; il prendra les mesures d'instruction qui lui sembleront opportunes, et se renseignera, par exemple, auprès de ses correspondants locaux.

La décision nouvelle du Comité sera évidemment susceptible d'un recours devant la Commission provinciale d'appel.

Art. 14. Notre Ministre de l'industrie et du travail est chargé de l'exécution du présent arrêté.

Donné à Paris, le 20 octobre 1900.

LÉOPOLD.

Par le Roi :

Le Ministre de l'industrie et du travail,
Bon SURMONT DE VOLSBERGHE.

Le Ministre des finances et des travaux publics,
P. DE SMET DE NAEYER.

A. C.

Libri dijudicati

Anno proxime elapso, *Gandæ*, typis *A. Siffer*, Auctore Rev. Dom. *C. Van Ongeval*, S. T. B., Sacræ Script. in Semin. Gandav. Professore, edita sunt tria haud exigui momenti ac meriti opera, nimirùm *Commentarius in Evangelium secundum Matthæum* (4 fr.), *Commentarius in Ecclesiasten* (1 fr.), necnon *Prælectiones in geographiam biblicam et antiquitates hebraicas* (2 fr.).

Quid autem doctissimus Auctor *in Commentario suo in Evangelium secundum Matthæum* sibi proposuerit ac

reapsè feliciter præstiterit, declarat ipsemet in Præfatione ad Lectorem : « Neminem fugit permulta prodiisse scripta eximia doctosque commentarios in Evangelia. Propositum nostrum non est numerum illorum operum præstantissimorum augere, verum conscribere brevem commentarium qui possit inservire lectionibus in Seminario tradendis, et infra spatium paucorum mensium explicari.

Utilitatem igitur alumnorum nostrorum præprimis ob oculos habemus. Poterit forsan opus hoc etiam prodesse sacerdotibus in sacro ministerio multis curis distentis, quibus spatium temporis non est sufficiens ad magna volumina perlustranda, quibusque haud injucundum erit in promptu habere breves annotationes quas subinde propria meditatione augere possint. Selegimus ex operibus Beelen, Knabenbauer, Van Steenkiste, Liagre, aliorumque, ea quæ nobis viderentur optima, auctorum verbis quandoque retentis, raro amplificatis, plerumque in compendium redactis. Nec negligenda duximus quæ de hebraismis Novi Testamenti scripsere D. Schilling aliique auctores doctissimi. Faxit Deus omnipotens ut per hanc operam nostram quam plurimum in omnium cordibus Sacrarum Litterarum amor et studium incendatur, ad majorem Dei gloriam, ædificationem propriam et animarum emolumentum ».

Porro in pagella qua opus hoc annuntiatur, merito sic commendatur : « Dans un court avant-propos, l'auteur commence par nous exposer ce qu'il se propose : il veut faire un commentaire court et substantiel, *un manuel*. Hâtons-nous de le dire, il a parfaitement réussi. Concision ne nuisant en rien à la clarté ni à la solidité, méthode scientifique et rationnelle, et, ce qui ne gâte rien, grande pureté de langue, voilà les caractères saillants de ce commentaire. Les questions sont bien posées, nettement circonscrites, les solutions logiquement déduites. Les sources auxquelles l'auteur a puisé, et qu'il indique avec soin, sont des sources pures et

autorisées. Il ne se contente pas de souscrire à ce que ses devanciers ont enseigné, il discute, donne son opinion personnelle et ne craint pas de rompre ci et là avec une certaine interprétation routinière, qui fait manifestement violence au texte : c'est le cas p. e. pour son explication de Matth. XII, 31, 32 *de Spiritus blasphemia.* » In hac tamen quæstione, ubi Auctor pro more suo ducem sequitur Knabenbauer, uti longe communior, ita verior nobis apparet expositio aliorum.

Iisdem ferme dotibus insignis est ejusdem Auctoris *Commentarius in Ecclesiasten :* est nimirum concisus ac perspicuus, sanus ac solidus, optima methodo et digerie concinnatus, nitidisque typis excusus. Sequi autem solet Auctor, imo passim appositè citat auctores probatos, in primis S. Hieronymum, a Lapide, Calmetum, Menochium, Beelen, Fillion, et maximè Gietmann, a cujus egregio commentario ita pendet ut interdum, licet rarò, expositioni sensu nostro nimis quæsitæ ac nonnihil violentæ, calculum adjiciat. Ceteroquin in dubio libertas ac sentiendi varietas, nec ulla exsistit diversarum interpretationum fœcundior mater quam obscuritas. Enimvero longe facilius est quemcumque commentarium, in Ecclesiasten hucusque editum, in nonnullis locis paululum carpere, quam novum eumque omnibus per omnia acceptum producere. Congratulamur autem Auctori quod opus tam arduum improbo labore aggressus sit, et ad exitum tam felicem perduxerit.

In tertio suo opere : *Prælectiones in geographiam biblicam et antiquitates hebraicas*, idem Auctor, post breve proœmium (1, de dispositionibus requisitis ad studium S. Scripturæ ; 2. de methodo sequenda ; 3. de variis S. Scripturæ nominibus horumque ratione ; 4. de librorum S. Scripturæ divisione) in **priori parte** tractat *de geographia biblica*, nimirum *Cap. I* de indole terræ seu geographia physica Palæstinæ ; *Cap. II* de topographia Palæstinæ ; in **altera** vero **parte** de *antiquitatibus hebraicis*, videlicet *Cap. I* de antiquitatibus domesticis ;

Cap. II de antiquitatibus politicis ; *Cap. III* de antiquitatibus sacris, seu de locis, personis, rebus ac temporibus sacris.

Quærenti autem cur quæstionum innumerarum quæ tractantur multas summatim exponat, seu cur nonnunquam rei substantiam tantùm perstringat, respondet ipse Auctor, in Præfatione ad Lectorem, « se intendisse *librum* conficere *manualem* qui tyronibus inservire possit, quique anno primo studiorum, et hebdomadaria quidem lectione, absolvi queat ; curasse se tamen, citationibus multis adjectis operibusque nonnullis indicatis, ut, si cuipiam Deus desiderium indiderit, summopere laudabile, breviter exposita labore personali evolvendi, huic desiderio facile satisfieri possit ; tantum autem abesse ut abscondere cupiat fontes è quibus hausit, vel furtivas aquas tanquam suas bibendas proponere velit, ut potius candidæ æquitati et sinceritati summæ ex animo studuerit. »

Copiosè porrò ac peritè ceu fontibus usus est Auctor notissimis operibus Lamy, Vigouroux, Trochon, Fillion, Van Hoonacker ; parcius autem scriptis Mislin, Elisée Reclus, de Laborde, Lagrange, Becani etc. Ita autem lucubrationem suam adornavit ut tyronibus planè sufficiat, omnibusque prodesse ac placere nata sit.

« Ne quis vero, ait Auctor *in Præf.*, libri unitatem impugnare se posse existimet, quod notiones quædam præmittantur quæ nil minus sunt quam geographicæ aut archeologicæ, monemus id necessarium omnino fuisse alumnis, quibus talia in nulla lectionum serie proponuntur in Seminario nostro, dum contra, alia in introductionibus generalibus ad S. Scripturam tractari solita, singulis annis in aliis lectionibus ipsis explicancantur ».

G. V. D. P.

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIII CONSTITUTIO APOSTOLICA DE RELIGIOSORUM INSTITUTIS VOTA SIMPLICIA PROFITENTIUM.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Conditæ a Christo Ecclesiæ ea vis divinitus inest ac fecunditas, ut multas anteactis temporibus, plurimas ætate hac elabente utriusque sexus tamquam familias ediderit, quæ, sacro *votorum simplicium* suscepto vinculo, sese variis religionis et misericordiæ operibus sancte devovere contendunt. Quæ quidem pleræque, urgente caritate Christi, singularis civitatis vel diœcesis prætergressæ angustias, adeptæque, unius ejusdemque vi legis communisque regiminis, perfectæ quamdam consociationis speciem, latius in dies proferuntur. — Duplex porro earumdem est ratio: aliæ, quæ Episcoporum solummodo approbationem nactæ, ob eam rem *diœcesanæ* appellantur; aliæ vero de quibus præterea romani Pontificis sententia intercessit, seu quod ipsarum leges ac statuta recognoverit, seu quod insuper commendationem ipsis approbationemve impertiverit.

Jam in binas hujusmodi religiosarum Familiarum classes quænam Episcoporum jura esse oporteat, quæque vicissim illarum in Episcopos officia, sunt qui opinentur incertum controversumque manere. — Profecto, ad *diœcesanas* consociationes quod attinet, res non ita se dat laboriosam ad expediendum; eæ quippe unâ inductæ sunt atque vigent Antistitum sacrorum auctoritate. At gravior sane quæstio de

ceteris oritur, quæ Apostolicæ Sedis comprobatione sunt auctæ. Quia nimirum in diœceses plures propagantur, eodemque ubique jure unoque utuntur regimine; ideo Episcoporum in illas auctoritatem opus est temperationem quamdam admittere certosque limites. Qui limites quatenus pertinere debeant, colligere licet ex ipsa decernendi ratione Sedi Apostolicæ consueta in ejusmodi consociationibus approbandis, scilicet certam aliquam Congregationem approbari ut piam Societatem votorum simplicium, *sub regimine Moderatoris generalis, salva Ordinariorum jurisdictione, ad formam sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum.* — Jamvero perspicuum inde fit, tales Consociationes neque in *diœcesanis* censeri, neque Episcopis subesse posse nisi intra fines diœcesis cujusque, incolumi tamen supremi earumdem Moderatoris administratione ac regimine. Qua igitur ratione summis societatum harum Præsidibus in Episcoporum jura et potestatem nefas est invadere; câdem Episcopi prohibentur ne quid sibi de Præsidum ipsorum auctoritate arrogent. Secus enim si fieret, tot moderatores istis Congregationibus accederent, quot Episcopi, quorum in diœcesibus alumni earum versentur; actumque esset de administrationis unitate ac regiminis. — Concordem atque unanimem Præsidum Congregationum atque Episcoporum auctoritatem esse oportet; at ideo necesse est alteros alterorum jura pernoscere atque integra custodire.

Id autem ut, omni submota controversia, plene in posterum fiat, et ut Antistitum sacrorum potestas, quam Nos, uti par est, inviolatam usquequaque volumus, nihil uspiam detrimenti capiat; ex consulto sacri Consilii Episcopis ac Religiosorum ordinibus præpositi, duo præscriptionum capita edicere visum est; alterum de Sodalitatibus quæ Sedis Apostolicæ commendationem vel approbationem nondum sunt assecutæ, alterum de ceteris, quarum Sedes Apostolica vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit.

Caput primum hæc habet servanda:

I. Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in diœcesim recipere, quam leges ejus constitutionesque cognorit itemque probarit; si videlicet neque fidei

honestative morum, neque sacris canonibus et Pontificum decretis adversentur, et si apte statuto fini conveniant.

II. Domus nulla novarum sodalitatum justo jure fundabitur, nisi annuente probante Episcopo. Episcopus vero fundandi veniam ne impertiat, nisi inquisitione diligenter acta quales sint qui id poscant: an recte probeque sentiant, an prudentia præditi, an studio divinæ gloriæ, suæque et alienæ salutis præcipue ducti.

III. Episcopi, quoad fieri possit, potius quam novam in aliquo genere sodalitatem condant vel approbent, utilius unam quamdam adsciscent de jam approbatis, quæ actionis institutum profiteatur adsimile. — Nullæ fere, ni forte in *Missionum* regionibus, probentur sodalitates, quæ, certo proprioque fine non præstituto, quævis universe pietatis ac beneficentiæ opera, etiamsi penitus inter se disjuncta, exercenda amplectantur.

Episcopi sodalitatem condi ullam ne siverint, quæ redditibus careat ad sodalium victum necessariis. — Sodalitia, quæ stipe collaticia vivant; item muliebres familias, quæ ægrotis, domi ipsorum, interdiu noctuque adsint, cautissime, quin etiam difficulter comprobent. — Si quæ autem nova feminarum sodalitas eo spectet ut suis in ædibus valetudinaria aperiat viris promiscue mulieribusve excipiendis; vel similes domos excipiendis sacerdotibus, qui Sororum curâ atque opera ægrotantes leventur; ejusmodi proposita Episcopi ne probent, nisi maturo adhibito severoque consilio. — Præterea Episcopi religiosarum domus, ubi viris feminisve peregre advenientibus hospitium victusque accepto pretio suppeditetur, nequaquam permittant.

IV. Sodalitas quævis diœcesana ad diœceses alias ne transgrediatur, nisi consentiente utroque Episcopo, tum loci unde excedat, tum loci quo velit commigrare.

V. Sodalitatem diœcesanam si ad diœceses alias propagari accidat, nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum Episcoporum consensu, quorum in diœcesibus ædes habeat.

VI. Semel approbatæ sodalitates ne extinguantur, nisi gravibus de causis, et consentientibus Episcopis, quorum in ditione fuerint. Singulares tamen domos Episcopis, in sua cuique diœcesi, tollere fas est.

VII. De puellis habitum religiosum petentibus, item de iis quæ, probatione expleta, emissuræ sint vota, Episcopus singulatim certior fiat: ejusdem erit illas et de more explorare et, nihil si obstet, admittere.

VIII. Episcopo alumnas sodalitatum diœcesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis æque ac temporariis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendæ perpetuo castitatis. Cavendum tamen ne istiusmodi remissione jus alienum lædatur; lædetur autem, si insciis moderatoribus id fiat justeque dissentientibus.

IX. Antistitæ, ex constitutionum jure, a Sororibus eligantur. Episcopus tamen, vel ipse vel delegato munere, suffragiis ferendis præerit: peractam electionem confirmare vel rescindere integrum ipsi est pro conscientiæ officio.

X. Diœcesanæ cujusvis sodalitatis domos Episcopus invisendi jus habet, itemque de virtutum studio, de disciplina, de œconomicis rationibus cognoscendi.

XI. Sacerdotes a sacris, a confessionibus, a concionibus designare, item de sacramentorum dispensatione statuere munus Episcoporum est, pro sodalitatibus diœcesanis pariter ac pro ceteris; id quod in capite consequenti (num. VIII) explicate præfinitur.

Alterum præscriptionum caput, de Sodalitatibus, quarum Apostolica Sedes vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit, hæc habet servanda:

I. Candidatos cooptare, eosdem ad sacrum habitum vel ad profitenda vota admittere, partes sunt Præsidum sodalitatum; integrâ tamen Episcopi facultate, a Synodo Tridentina tributa (1), ut, quum de feminis agitur, eas et ante suscipiendum habitum et ante professionem emittendam ex officio exploret. Præsidum similiter est familias singulas ordinare, tirones ac professos dimittere, iis tamen servatis quæcumque ex instituti legibus pontificiisque decretis servari oportet. — Demandandi munera et procurationes, tum quæ ad universam sodalitatem pertinent, tum quæ in domibus singulis exercentur, Conventus seu *Capitula*, et Consilia

(1) Sess XXV, cap. XVII, de Regul. et Monial.

propria jus habent. In muliebrium autem sodalitatum Conventibus ad munerum assignationem, Episcopus, cujus in diœcesi habentur, per se vel per alium præerit, ut Sedis Apostolicæ delegatus.

II. Condonare vota, sive ea temporaria sint sive perpetua, unius est romani Pontificis. Immutandi constitutiones, utpote quæ probatæ a Sede Apostolica, nemini Episcoporum jus datur. Item regimen, quod penes moderatores est sive sodalitatis universæ sive familiarum singularum ad constitutionum normam, Episcopis mutare temperare ne liceat.

III. Episcoporum sunt jura, in diœcesi cujusque sua, permittere vel prohibere novas domos sodalitatum condi; item nova ab illis templa excitari, oratoria seu publica seu semipublica aperiri, sacrum fieri in domesticis sacellis, Sacramentum augustum proponi palam venerationi fidelium. Episcoporum similiter est solemnia et supplicationes, quæ publica sint, ordinare.

IV. Domus sodalitatum hujusmodi si *clausura episcopali* utantur, Episcopis jura manent integra, quæ de hac re a potificiis legibus tribuuntur. Si quæ autem *clausura*, ut inquiunt, *partiali*, utantur, Episcopi erit curare ut rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere.

V. Alumni alumnæve sodalitatum harum, ad *forum internum* quod attinet, Episcopi potestati subsunt. In *foro* autem *externo*, eidem subsunt quod spectat ad censuras, reservationem casuum, votorum relaxationem quæ non sint uni summo Pontifici reservata, publicarum precum indictionem, dispensationes concessionesque ceteras, quas Antistites sacrorum fidelibus suis impertire queant.

VI. Si qui vero ad sacros ordines promoveri postulent, eos Episcopus, etsi in diœcesi degentes, initiare caveat, nisi hisce conditionibus: ut a moderatoribus quisque suis proponantur; ut quæ a jure sacro sancita sunt de *litteris dimissorialibus* vel *testimonialibus*, sint rite impleta; ut *titulo sacræ ordinationis* ne careant, vel certe eo legitime eximantur; ut theologiæ studiis operam dederint, secundum decretum *Auctis admodum*, die datum IV novembris anno MDCCCXCII.

VII. In sodalitates, quæ mendicato vivunt, ea Episcopis stent jura, quæ habet decretum *Singulare quidem*, a sacro

Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus præposito promulgatum die XXVII martii anno MDCCCXCVI.

VIII. In iis quæ ad spiritualia pertinent subduntur sodalitates Episcopis diœcesium in quibus versantur. Horum igitur erit sacerdotes ipsis et a sacris designare et a concionibus probare. Quod si sodalitates muliebres sint, designabit item Episcopus sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extra ordinem, ad normam constitutionis *Pastoralis curæ*, a Benedicto XIV decessore Nostro editæ, ac decreti *Quemadmodum*, dati a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus præposito, die XVII decembris anno MDCCCXC; quod quidem decretum ad virorum etiam consociationes pertinet, qui sacris minime initiantur.

IX. Bonorum, quibus Sodalitia singula potiuntur, administratio penes Moderatorem supremum maximamve Antistitam eorumque Consilia esse debet: singularum vero familiarum redditus a præsidibus singulis administrari oportet, pro instituti cujusque legibus. De iis nullam Episcopus rationem potest exigere. Qui vero fundi certæ domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam; horum administrationem moderator quidem domus gerat, referat tamen ad Episcopum, eique se omnino præbeat obnoxium : ita nimirum ut neque Præposito neque Antistitæ sodalitii universi liceat quidquam ex iis bonis Episcopo occultare, distrahere, vel in alienos usus convertere. Talium igitur bonorum Episcopus rationes accepti impensique, quoties videbitur, expendet; idem ne sortes minuantur, redditus ne perperam erogentur, curabit.

X. Sicubi sodalitatum ædibus instituta curanda adjecta sint, uti gynæcea, orphanotrophia, valetudinaria, scholæ, asyla pueris erudiendis; Episcopali vigilantiæ ea omnia subsint quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem, integris tamen privilegiis, quæ collegiis, scholis, institutisve ejusmodi a Sede Apostolica sint tributa.

XI. In quarumlibet sodalitatum domibus vota simplicia profitentium, Episcopis cujusque diœcesis jus est invisendi templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentum pœnitentiæ, de iisque opportune statuendi jubendi. — In

presbyterorum sodalitiis, de conscientia ac disciplina, item de re œconomica uni præsides cognoscent. In consociationibus vero feminarum, æque ac virorum qui sacerdotio abstinent, Episcopi erit inquirere num disciplina ad legum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum, num sacramenta æquâ statâque frequentia suscipiantur. — Reprehensione dignum si quid Episcopus forte offenderit, ne decernat illico: moderatores uti prospiciant moneat; qui si neglexerint, ipse per se consulat. Si quæ tamen majoris momenti occurant quæ moram non expectent, decernat statim: decretum vero ad sacrum Consilium deferat Episcopis ac Religiosorum ordinibus præpositum.

Episcopus, in visitatione potissimum, juribus, quæ supra diximus, utatur suis quod spectat ad scholas, asyla ceteraque memorata instituta. — Ad rem vero œconomicam quod attinet muliebrium sodalitatum itemque virorum sacerdotio carentium, Episcopus ne cognoscat nisi de fundorum legatorumve administratione, quæ sacris sint attributa, vel loci aut diœcesis incolis juvandis.

His porro, quæ hactenus ediximus sancivimus, nihil penitus derogari volumus de facultatibus vel privilegiis, tum Nostro aut quovis alio Sedis Apostolicæ decreto concessis, tum immemorabili aut sæculari consuetudine confirmatis, tum etiam quæ in alicujus Sodalitatis legibus a romano Pontifice approbatis contineantur.

Præsentes vero litteras et quæcumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostræ vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cujusvis gradus et præeminentiæ inviolabiliter in judicio et extra observari debere decernimus: irritum quoque et inane declarantes si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel prætextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habea-

tur fides, quæ Nostræ voluntatis significationi his præsentibus ostensis haberetur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo noningentesimo, sexto idus decembres, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

C. Card. ALOISI MASELLA Pro-Dat. — A. Card. MACCHI

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ *Plumbi*

Reg. in Secret. Brevium

I. Cugnonius.

EXTENSIO UNIVERSALIS JUBILÆI

in urbe celebrati anno domini millesimo noningentesimo AD UNIVERSUM CATHOLICUM ORBEM (1).

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS
PRÆSENTES LITTERAS INSPECTURIS
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Temporis quidem sacri, quod solemni cærimoniarum religione hesterno die conclusimus, sicut jucundus Nobis decursûs fuit, sic est futura grata recordatio. Quod enim Ecclesia optarat, quodque spectarat unice, ut permoveret salutariter animos post annos quinque et septuaginta instaurata celebritas, id videmur, annuente Dei numine, consecuti. Non enim pauci, sed ad centena millia et ex omnibus civitatum ordinibus numerantur, qui extraordinariam sacræ indulgentiæ potiundæ facultatem libentes magnaque cum alacritate arripere studuerint. Neque est dubitandum, quin pœnitentia salutari expiati atque ad christianas virtutes renovati plurimorum animi inde fuerint: ob eamque rem novum quoddam fidei pietatisque robur ex hoc fonte et capite catholici nominis usquequaque influxisse, non immerito existimamus.

Jamvero, quod in simili caussa Decessores Nostri consuevere, nunc est in animo Apostolicæ caritatis dilatare spatia, amplioremque cælestium bonorum præbere facultatem. Nimirum concreditum Nobis thesaurum indulgentiæ sacræ, qui anno exacto Romæ tantum patuit amplissime, eumdem

(1) N. B. Has litteras Apostolicas cum lectoribus nostris quantocius communicare utile duximus, quamvis ab Illmo ac Rev^mo Episcopo Brugensi, in diœcesi sua, *nonnisi pro ultimo semestri,* sint publicandæ, additis documentis et instructionibus necessariis atque opportunis.

dimidiato anno proximo in toto orbe catholico patere universitati christifidelium volumus. Valebit id quidem, arbitramur, latius ad revocandos christianos mores, ad copulandas cum Apostolica Sede arctius voluntates, ad cetera vulgo comparanda bona, quæ fuse persecuti sumus, cum primo Jubilæum magnum indiximus. Pertinebit id ipsum ad exorientis sæculi primordia rite dedicanda: neque enim aptius videmus iniri posse sæculum, quam si homines instituant de promeritis Redemptionis Christi uberius proficere. Minime vero dubitamus, quin novum hoc salutis præsidium omnes Ecclesiæ filii eo sint animo accepturi, quo est a Nobis exhibitum. Confidimus autem Venerabiles Fratres Episcopos, universumque clerum, pro explorata ipsorum vigilantia diligentiaque daturos, uti par est, operam, ut communia optata plenissime eveniant.

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, Jubilæum magnum, quod in hac Sacra Urbe celebratum est, ad universum catholicum orbem per has litteras extendimus ac sex mensium spatio prorogamus, et pro extenso prorogatoque haberi volumus.

Quapropter omnibus utriusque sexus Christifidelibus in quacumque ora ac parte terrarum exsistentibus, etiam iis qui forsan elapso anno Sacro Romam venerunt, ibique seu alibi quavis ratione hoc idem Jubilæum a Nobis concessum adepti sunt, qui intra sex menses a die publicationis harum litterarum in qualibet Diœcesi factæ computandos, Ecclesiam Cathedralem in civitate episcopali, et majorem in ceteris locis diœcesis, tresque alias tam in illa, quam in istis, ab ipsis Ordinariis sive per se, sive per suos Officiales, aut Parochos vel Vicarios foraneos, designandas, semel saltem in die per quindecim continuos vel interpolatos dies, sive naturales, sive etiam ecclesiasticos, nimirum a primis Vesperis unius diei ad integrum subsequentis diei crepusculum devote visitaverint, et pro Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, catholicorum principum concordia, et christiani populi salute pias ad Deum preces effuderint, vere pœnitentibus et confessis, sacraque Communione refectis, plenissimam peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam misericorditer in Domino semel concedimus et impertimus, ita tamen ut Confessio annualis et Sacra Com-

munio Paschalis ad effectum lucrandi Jubilæi minime suffragentur. In locis vero, in quibus quatuor Ecclesiarum defectus verificetur, eisdem Ordinariis eodemque modo facultas conceditur designandi minorem Ecclesiarum numerum, seu etiam unam, si una tantum adsit Ecclesia, in quibus vel in qua fideles aliarum Ecclesiarum visitationes supplere possint, eas vel eam visitantes iteratis ac distinctis vicibus, eodem die naturali vel ecclesiastico, ita tamen ut numerus visitationum omnium sit sexaginta et per quindecim continuos vel interpolatos dies distribuantur. Ratione vero habita peculiaris conditionis, in qua certas quasdam personas versari contigerit, hæc statuimus:

I. Navigantes et iter facientes, si post elapsos sex menses dictos ad sua domicilia, aut alio ad certam stationem se receperint, peractis quæ præscripta sunt, et visitata quindecim vicibus Ecclesia Cathedrali, vel majori aut Parochiali eorum domicilii vel stationis, eamdem indulgentiam consequi possint.

II. Locorum Ordinariis facultatem facimus dispensandi a præscriptis visitationibus Moniales, Oblatas, aliasque puellas ac mulieres in claustris monasteriorum aut in aliis piis domibus et Communitatibus vitam agentibus; item Anachoretas et Eremitas, aut alias quaslibet personas in carcere aut captivitate exsistentes, aut valetudine vel alio impedimento detentas, quominus statas visitationes peragant; eisque omnibus et singulis in locum visitationum alia pia opera sive per se ipsos, sive per eorum earumve Regulares Prælatos aut Confessarios, etiam extra sacramentalem Confessionem, commutandi; similiter dispensandi pueros, nondum ad primam Communionem admissas, eisque alia pia opera etiam pro sacramentali Communione præscribendi; Capitulis autem, Congregationibus tam sæcularium quam regularium, Sodalitatibus, Confraternitatibus, Universitatibus, seu Collegiis quibuscumque, nec non Christifidelibus cum proprio Parocho, aut alio sacerdote ab eo deputato, statutas Ecclesias processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum reducendi.

De Confessario Jubilæi hæc indulgemus:

I. Moniales earumque Novitiæ sibi ad hunc effectum

eligere poterunt Confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium Confessiones ab actuali Ordinario loci approbatum.

II. Ceteri omnes utriusque sexus Christifideles tam laici quam ecclesiastici, Sæculares et cujusvis Ordinis et Instituti etiam specialiter nominandi Regulares poterunt ad eumdem effectum sibi eligere quemcumque presbyterum Confessarium, tam Sæcularem, quam cujusvis Ordinis et Instituti etiam diversi Regularem, ab Ordinario actuali loci ad audiendas personarum sæcularium confessiones approbatum; vel, si agatur de Regularibus, Confessarium proprii Ordinis eligere volentibus, a Prælato Regulari ad suorum Religiosorum audiendas confessiones approbatum.

III. Confessario ita approbato et ad effectum lucrandi Jubilæi electo facultatem hac vice concedimus, intra dictum semestris spatium in foro dumtaxat conscientiæ absolvendi ab excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris a jure vel ab homine quavis de caussa latis seu inflictis, etiam Ordinariis locorum, ac Nobis et Sedi Apostolicæ, etiam in casibus cuicumque ac Summo Pontifici et Sedi Apostolicæ speciali licet forma reservatis, et qui alias in concessione quantumvis ampla non intelligerentur concessi, necnon ab omnibus peccatis et excessibus, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis ac Nobis et Sedi Apostolicæ, ut præfertur, reservatis, injuncta pœnitentia salutari aliisque de jure injungendis. Excipitur crimen absolutionis complicis, quod ter, aut amplius admissum fuerit. — Præcipue vero hæreticos, qui fuerint publice dogmatizantes, ne absolvat, nisi, abjurata hæresi, scandalum, ut par est, reparaverint; item qui bona vel jura ecclesiastica acquisierint sine venia, ne absolvat nisi iis restitutis aut se composuerint, vel sincere promiserint, quam primum se compositurus apud Ordinarium, vel apud Sanctam Sedem.

IV. Item vota quæcumque etiam jurata, et Sedi Apostolicæ reservata (Castitatis, Religionis et obligatoriis, quæ a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de damno tertii semper exceptis, necnon pœnalibus, quæ præservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrænet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera com-

mutare; et cum pœnitentibus hujusmodi in Sacris Ordinibus constitutis etiam Regularibus super occulta irregularitate ad exercitium eorumdem Ordinum et ad superiorum assecutionem, ob censurarum violationem dumtaxat contracta, dispensare possit, dummodo ad forum ecclesiasticum non sit deducta, nec facile deducenda.

V. Similique modo cum illis qui, scienter vel ignoranter, cum impedimento gradus secundi et tertii, vel tertii solius, aut tertii et quarti, vel quarti solius consanguinitatis, vel affinitatis etiam ex copula licita provenientis, matrimonium jam contraxerunt, dummodo hujusmodi impedimentum occultum remaneat, dispensare pro foro tantum conscientiæ possit ad remanendum in matrimonio.

VI. Similiter, pro foro conscientiæ tantum dispensare valeat super impedimento dirimente occulto tam primi et secundi, quam primi tantum, aut secundi tantum gradus affinitatis ex copula illicita provenientis in matrimonio contracto; atque etiam, dummodo causæ graves et quæ canonice sufficientes habentur intersint, in contrahendo: ita tamen ut, si hujusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre desponsatæ, vel desponsandæ, hujus nativitas copulam antecesserit, et non aliter.

VII. Dispensare similiter, pro eodem foro, tam de contracto, quam de contrahendo possit super impedimento cognationis spiritualis, itemque super occulto impedimento criminis, neutro tamen machinante, idest quando solum concurrant adulterium et fides data de matrimonio contrahendo post conjugis mortem.

VII. Dispensare ad petendum debitum possit in casu affinitatis incestuosæ matrimonio supervenientis.

IX. Ad petendum pariter debitum cum illis qui voto simplici castitatis obstricti matrimonium contraxerunt, dispensare valeat, illos monendo facturos contra id votum, si extra usum matrimonialem delinquant, ac remansuros eodem prorsus ac antea voto obstrictos, si conjugi supervixerint.

X. Volumus autem per præsentes litteras super aliqua alia irregularitate vel publica, vel occulta, seu defectu aut nota, aliaque incapacitate, aut inhabilitate quoquo modo contractis dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super præmissis

dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiæ; nolumus ulli Confessario facultatem tribuere absolvendi complicem in quolibet inhonesto contra sextum Præceptum peccato; aut complici licentiam impertiri eligendi confessarium hujusmodi ad effectum præsentium, ut jam in Constitutione Benedicti XIV, quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ* declaratum fuit: nec quidquam præfatæ et aliis pontificiis Constitutionibus derogare volumus quoad obligationem denunciationum; neque demum iis, qui a Nobis et Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato seu Judice eclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et Censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictorum sex mensium satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo has easdem Litteras suffragari posse aut debere.

Ceterum, si qui post inchoata, hujus Jubilæi consequendi animo, præscripta opera, præfinitum Visitationum numerum morbo impediti complere nequiverint, Nos piæ promptæque illorum voluntati benigne favere cupientes, eósdem vere pœnitentes et confessos, ac Sacra Communione refectos, prædictæ Indulgentiæ et remissionis participes fieri volumus. Si qui autem post obtentas absolutiones a censuris, aut votorum commutationes seu dispensationes prædictas, serium illud ac sincerum ad id alias requisitum propositum ejusdem Jubilæi lucrandi, ac cetera necessaria opera adimplendi mutaverint; licet propter id ipsum a peccati reatu immunes vix censeri possint; nihilominus hujusmodi absolutiones, commutationes et dispensationes ab ipsis cum prædicta animi dispositione obtentas, in suo vigore persistere decernimus ac declaramus.

Præsentes Litteras per omnia validas et efficaces suosque plenarios effectus, ubicumque publicatæ et executioni demandatæ fuerint, sortiri, et obtinere, omnibusque Christifidelibus in Apostolicæ Sedis gratia manentibus plenissime suffragari volumus et decernimus; non obstantibus de Indulgentiis non concedendis ad instar, et Universalibus, Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis Constitutionibus, Ordinationibus, et generalibus seu specialibus absolutionum seu relaxationum ac dispensationum reservationibus, necnon

quorumcumque etiam Mendicantium et Militarium Ordinum, Congregationum et Institutorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus, et consuetudinibus: Privilegis quoque, Indultis et Litteris Apostolicis eisdem concessis, præsertim in quibus caveatur expresse, quod alicujus Ordinis, Congregationis et Instituti Professores extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur: quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio facienda, vel alia exquisita forma ad id servanda foret, hujusmodi tenores pro insertis, et formas pro exactissime servatis habentes; pro hac vice et ad præmissorum effectum dumtaxat plenissime derogamus; ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem, ut harum Litterarum transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ extensionis, hortationis, commissionis, concessionis, derogationis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo noningentesimo, Octavo Calendas Januarii, Pontificatus Nostri Anno vicesimo tertio.

C. Card. ALOISI-MASELLA Pro-Dat. — A. Card. MACCHI

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ *Plumbi*

Reg. in Secret. Brevium

I. Cugnonius.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Martii.

—

I

Expone Eccl^ci XXX, 18: *Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro.* 19 *Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabit:* 20 *Sic qui effugatur à Domino, portans mercedes iniquitatis.*

II

Nomine *dulicæ* intelligendo virtutem qua rite coluntur Sancti, expone qua ratione ad duliam pertineat tum Sanctorum *invocatio*, tum ipsorum *imitatio*.

III

Proba existere virtutes morales supernaturales.

IV

Explica quo sensu prudentia, justitia, fortitudo et temperantia præ aliis virtutibus moralibus dicantur virtutes cardinales.

V

Expone naturam propriam indulgentiæ *pro vivis* et indulgentiæ *pro defunctis*.

VI

Quænam sacerdos, impertiens benedictionem Apostolicam in articulo mortis, præstare debet, ut infirmus debite eam recipere et indulgentiam consequi valeat?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Decembris 1900 propositas.

—

I

Q. Expone Eccl^ci XXXIV, 9: *Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus, cogitabit multa: et qui multa didicit, enarrabit intellectum. 10 Qui non est expertus, pauca recognoscit: Qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam. 11 Qui tentatus non est, qualia scit? qui implanatus est, abundabit nequitia. 12 Multa vidi errando, et plurimas verborum consuetudines.*

R. v. 9. *Qui non est tentatus, quid scit?* Verba hæc desunt in textu græco; significant autem eum qui nullius rei experientiam cepit, parum aut nihil scire, cum experientia sit rerum magistra. Eadem sententia recurrit v. 10: *Qui non est expertus, pauca recognoscit;* necnon v. 11: *Qui tentatus non est, qualia scit?* ubi idem est *non esse tentatum* ac *non esse expertum*, seu nihil experientià didicisse.

In hisce autem tribus versibus (9, 10, 11) Sapiens viro inexperto constanter opponit virum multa experientia edoctum. Prosequitur ergo v. 9: *Vir in multis expertus*, vir qui multa experiendo didicit, seu vir magnæ experientiæ, *cogitabit multa*, hic multa prudenter cogitat, multa scit et intelligit: *et qui multa* per experientiam *didicit*, *enarrabit intellectum*, is scitè ac sapienter de istis rebus loqui valet.

Græcè v. 9 sic sonat: *Vir eruditus* (πεπαιδευμενος) seu experientia edoctus; vel, ut Complutensia legunt: *vir circumvagatus* (πεπλανημενος), i. e. qui multa peregrinando expertus est ac didicit, is *novit multa*, *et qui multa expertus est* (πολυπειρος), seu qui multa per experientiam didicit, *enarrabit intellectum*.

v. 10. *Qui non est expertus, pauca recognoscit*, pauca novit: *qui autem in multis factus est*, id est, qui in multis locis fuit, qui multum vagatus seu peregrinatus est (græcè: πεπλανημενος, vagatus, peregrinatus), adeoque multa vidit, audivit et expertus est, hic *multiplicat malitiam*, magnam sibi comparat versutiam seu calliditatem, nimirum sapientiam ac prudentiam. Græca vox πανουργιαν quandoque significat calliditatem malam, malitiam et nequitiam, quandoque verò calliditatem bonam, prudentiam, dexteritatem, quæ omnia scitè aggreditur. Series autem orationis poscit hoc alterum significatum. Opponit enim Auctor virum expertum inexperto, nec aliud docere intendit quam experientiam esse causam scientiæ ac prudentiæ, quemadmodum inexperienta causa est ignorantiæ et imprudentiæ; hic namque locus potissimum eo spectat ut sciamus quosnam præ cæteris in rebus nostris consiliarios habere debeamus (Cf. vv. 1-8), nimirum viros multa experientia edoctos, non autem divinos et augures. Quapropter ipse Sapiens v. 12 testatur se multum peregrinando multa per experientiam didicisse.

v. 11. *Qui tentatus non est, qualia scit? qui implanatus est, abundabit nequitia.*

Versus hic græcè deest; est autem altera versio versus decimi, quæ ex margine irrepserit in contextum. Cum autem græcè v. 10 habeatur: *Qui non est expertus pauca novit, qui autem vagatus est multiplicabit astutiam*, sensus v. 11 erit: *Qui tentatus non est*, qui caret experientiâ, *qualia scit?* i. e. pauca novit: sed *qui implanatus est*, qui multum peregrinatus est, *abundabit nequitia*, multam sibi comparat astutiam, calliditatem, prudentiam.

Nota illud *implanatus est* à græco πεπλανημενος fluere, et nequaquam latinum esse. Ineptè quidam ei substituunt *implantatus*.

v. 12. *Multa vidi errando*, oberrando per varias regiones, hinc inde vagando (gr. *in circumerratione* seu

peregrinatione *mea*), *et plurimas verborum* i. e. rerum *consuetudines*, i. e. plurimas agendi rationes, seu diversos rerum mores. Græce : *et plura verborum meorum, intellectus meus*, i. e. plura mente comprehendo, quàm oratione exprimo ; sermones meos superat scientia quam multùm vagando et experiendò mihi comparavi. Suo enim exemplo comprobat Sapiens experientiam esse matrem scientiæ.

G. V. D. P.

II

Q. *Quæritur utrum imago Christi adoranda sit adoratione latriæ.*

R. Imago Christi adoranda est adoratione *latriæ proprie dictæ ;* hæc autem adoratio *non absolute* sed *relative* terminatur ad imaginem Christi. Ut hoc responsum *explicemus* et *demonstremus* præmittimus textum S. Thomæ, cui prædicta sententia innititur :

« Imago potest dupliciter considerari : vel secundum quod est res quædam, et sic nullus honor ei debetur (sicut nec alii lapidi vel ligno) ; vel secundum quod est imago. Et quia idem motus est in imaginem inquantum est imago, et in imaginatum ; ideo unus honor debetur imagini et ei cujus est imago ; et ideo cum Christus adoretur latria, similiter et ejus imago » (1).

I. Duo hic occurrunt explicanda : 1/ quid sit imago considerata secundum quod est *res* quædam, et quid sit imago considerata secundum quod est *imago ;* 2/ quomodo intelligendum sit : idem est motus in imaginem in quantum est imago, et in imaginatum, h. e. prototypum seu exemplar. Loquimur nunc de imagine artificiali.

1. Hæc imago considerata secundum quod est *res*

(1) In III D. IX, Q. I, a 2, q. 2. Idem docet S. Thomas III, q. XXV, a. 3.

quædam est ens constans quadam materia, puta ligno, marmore, auro, et quadam forma accidentali ab artifice materiæ inducta et exemplar quoddam referente. Unde imago considerata ut *res* quædam est tum res *naturæ* (quoad materiam) tum res *artis* (quoad formam accidentalem). (1)

Imago considerata secundum quod est *imago*, est imago *formaliter ut imago*, h. e. quatenus actum vel officium imaginis actu exercet, nempe quatenus alicui cognoscenti actu repræsentat exemplar. Sic imago idem est ac exemplar, non in esse naturali, sed in esse repræsentativo, eodem prorsus modo quo circulus in tabula descriptus, non materialiter quidem, sed tamen repræsentative, est circulus exactus et mathematicus quem solum in suis speculationibus contemplatur geometra. (2)

Ut melius perspiciamus quid sit imago *formaliter ut imago,* hoc considerare juvat quod imago actum imaginis exercet eodem semper modo sub qualibet forma artis, « sicut ellipsis quam geometra describit in tabula semper eodem modo exercet actum repræsentandi ellipsim mathematicam, idealem, exactam, etiamsi forte contingat ut materialiter considerata quam maxime ab ea elongetur. » (3)

Unde iterum notemus materiam ex qua conficitur imago et formam accidentalem quæ huic materiæ inducitur constituere imaginem secundum quod est *res* quædam, et sub hoc respectu imago erit plus vel minus pretiosa, plus vel minus pulchra, plus vel minus perfecte referens prototypum; sed imago *formaliter ut imago* actum imaginis exercet independenter tum a materiæ pretio, tum a formæ pulchritudine, imo a perfectione

---

(1) « Nota bene quod imago ut res non est tantum imago ut marmor vel argentum vel tela cum coloribus, sed etiam ut artefactum quoddam, opus manuum artificis, bene vel male prototypum referens. » Billot, *De Verbo Incarnato*, 3a Ed. Thes. XXXVII, § 2.

(2) Billot, op. c., l. c.

(3) Billot, op. c., l. c., § 2.

similitudinis cum exemplari: dummodo imago insignia prototypi referat, ipsa actum imaginis valet exercere. (1)

2. Quæ quum ita sint, nullius jam erit negotii declarare quomodo *idem sit motus in imaginem in quantum est imago et in imaginatum.* Agitur hîc de motu cognoscitivo et appetitivo qui respicit imaginem consideratam formaliter ut imaginem. Jamvero qui intuetur imaginem formaliter ut est imago, in ipsa imagine tamquam in medio cognito intuetur exemplar ipsum: unde idem est motus cognoscitivus in imaginem formaliter in quantum est imago et in imaginatum, h. e. repræsentatum in imagine. Consequenter motus appetitus qui ad supra dictam cognitionem sequitur idem est in imaginem et in imaginatum: qui v. gr. amatum in ipsius imagine formaliter ut tali contemplatur, ad ipsius amati erigitur amorem, et imagini tamquam ipsi exemplari signa amoris exhibet, quia imago formaliter ut imago ipsius exemplaris vices gerit.

II. His prænotatis confici poterit responsionis demonstratio, quæ tribus absolvitur:

1. Adoratio seu cultus præsupponit cognitionem de excellentia alicujus, et consistit formaliter in submissione voluntatis ad agnitam alterius excellentiam: ergo quod supra diximus in genere de motu cognoscitivo et appetitivo in imaginem ut sic, valet de adoratione seu cultu: ergo imagini, *formaliter in quantum est imago*, idem est tribuendus cultus qui ipsi exemplari est reddendus. Sed ex altera parte imagini, in quantum est *res* quædam, nulla reverentia, nullus cultus est tribuendus: quia imago est res irrationalis, et reverentia nonnisi rationali naturæ debetur. (2) Stat igitur conclusio: *imagini idem ac ipsi exemplari cultus est tribuendus.*

Hæc conclusio optime *confirmatur* verbis Synodi VII

(1) Quod et experientia constat, quum in certis ecclesiis accidat ut quædam statuæ monstris simillimæ sed notis alicujus sancti propriis adornatæ, rite colantur. . . .

(2) Cf. S. Thom. III, Q. XXV, a. 3.

œcum : « Imaginis enim honor ad primitivum transit : et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam » (1). Idem docet Synodus Tridentina : « honor qui eis (imaginibus) exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus et Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. » (2)

2. Hanc conclusionem quæ universaliter imaginis cultum definit, specialiter cultui imaginis Christi applicando, dicemus « quod imagini Christi inquantum est res quædam... nulla reverentia exhibetur : quia reverentia nonnisi rationali naturæ debetur. Relinquitur ergo quod exhibeatur ei reverentia solum inquantum est imago : et sic sequitur quod eadem reverentia exhibeatur imagini Christi, et ipsi Christo. Cum ergo Christus adoretur adoratione latriæ, consequens est quod ejus imago sit adoratione latriæ adoranda » (3).

3. Ex supra dictis patet imaginem Christi adorandam esse adoratione latriæ *proprie dictæ*, imo eadem numero adoratione coli tum imaginem Christi, tum ipsum Christum ; *aliter tamen et aliter* hic cultus *terminatur ad imaginem et ad Christum :* ad *imaginem* quidem *relative* seu transitive, ad *Christum* vero *absolute* seu tamquam ad id in quo ultimo sistit. — De hac autem distinctione inter cultum absolutum et relativum fusius agemus in responsione quæ in *Collationum* fasciculo proxime edendo legi poterit.

Nota. Hæc sententia quam defendimus, differt, saltem quoad modum loquendi, a sententia Bellarmini qui statuit : « Imagines per se et proprie non esse colendas eo cultu, quo exemplar ipsum colitur » (4). Hanc

(1) Denzinger, *Enchir.*, n. 244.
(2) Denzinger, *Enchir.*, n. 861.
(3) S. Thom. III, Q. XXV, a. 3.
(4) *De Sanctorum reliquiis et imaginibus*, Cap. XXIV.

Bellarmini sententiam expositam et propugnatam invenies apud Jungmann; impugnatam vero apud Billuart, Billot. (1)

J. V. D. M.

III

Q. *Quomodo, coram foro ecclesiastico, legitimantur proles illegitimæ?*

R. 1/. Proles **naturales** legitimantur *per subsequens matrimonium* inter parentes prolis illegitime natæ contractum.

Probatur ex capite 6°, tit. XVII, l. IV Decret.: « Tanta est vis matrimonii ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur ». Nimirum « contractus matrimonii subsequens, fictione juris, retrotrahitur ad tempus, quo proles nata aut concepta est, ita ut, sublata macula et purgato vitio antecedentis turpitudinis, proles perinde habeatur, ac si suscepta illa esset ex matrimonio jam tunc inter parentes inito... Ratio sic statuendi fuit favor tum liberorum, tum matrimonii: *liberorum* quidem, quia sic evadunt culpæ alienæ pœnam, et consequuntur legitime natorum jura: *matrimonii* autem, quia hoc modo illegitime copulati amore liberorum alliciuntur ad conjunctionem legitimam seu matrimonium » Smalzgrueber, ad hunc tit., n. 49.

Explicatur.

Dicitur 1°/ proles *naturales*, quia erga spurios hoc privilegio non gaudet matrimonium subsequens; quod aperte constat, quoad adulterinos, ex citato cap. 6° (2),

(1) Cf. Jungmann, *De Verbo Incarnato*, n. 396 et seq; Billuart, *De Incarnatione*, Diss. XXIII, a. 3, § V; Billot, *De Verbo Incarnato*, 3ª Ed. Thes. XXXVII.

(2) « Si autem vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eamdem duxerit, nihilominus spurius erit filius ».

et ex Constit. Bened. XIV, *Redditæ Nobis*, paragr. 2ª ; et pariter communius asseritur de reliquis spuriis quocumque titulo. Cf. Reiffenstuel, ad h. tit., n. 37, cum subjuncta ratione.

Supra, p. 45-46, jam notavimus quinam veniant nomine filiorum naturalium, in ordine ad legitimationem per subsequens matrimonium, omnes scilicet illi qui concepti sunt quo tempore parentes nullo inter se afficiebantur impedimento dirimente, imo illi quorum parentes inhabiles quidem erant ad matrimonium, conceptionis momento, habiles vero sunt effecti ante nativitatem (1); ita nempe docent, propter favorem prolis, canonistæ melioris notæ, uti Smalzgr., l. c., n. 64-68, cum AA. allatis; Reiffenst., l. c., n. 39; Sanchez, *De Matrim.*, l. VIII, cap. VII, n. 19; Barbosa, ad h. t., n. 27 et seq.; Böckhn, ad h. tit., cap. *Tanta*, n. 30-31; Ferraris, *Prompta Biblioth.*, V° *Filius*, nn. 23, 32, 39-42; quibus favent Feye, *De Imped. matr.*, n. 741: Santi, ad h. t., n. 5; Gasparri, *De matrim.*, n. 1123; De Becker, *De Matrim.*, p. 378; Putzer, *Comment. in facult. Apost.*, n. 120.

Acris autem viget controversia inter AA. circa proles *putative naturales*, et reipsa spurias, quæ nempe conceptæ sunt et natæ a parentibus impedimento ligatis, bona fide alterutri parti ignoto; et potius favendum videtur sententiæ neganti hujusmodi liberos legitimari per subsequens matrimonium, saltem si agatur de prole putative naturali sed reipsa adulterina. Cui interpretationi magis adaptatur tenor cap. 6ⁱ, eique suffragantur non pauci juris interpretes, citati apud Smalzgr., l. c.,

(1) « Infertur, docet Reiffenst., loco cit., n. 40-41, « quod si vir, vivente uxore sua, aliam impregnet, et uxor deinde moriatur, antequam adultera partum edat, proles ex tali adulterio concepta (utpote naturalis) legitimetur per subsequens parentum matrimonium ». Similiter quando impedimentum ex quo parentes ad nubendum erant inepti, *tempore prolis conceptæ*, per dispensationem aut aliter contingit auferri *ante nativitatem*, naturalis nascetur proles et per subsequens matrimonium legitimari poterit.

n. 59, qui ipse tamen affirmativam sententiam opinatur tenendam. Cf. Feye, op. c., n. 741; Acta S. Sedis, XXVI, p. 419-424; De Becker, op. cit., p. 378; Putzer, op. cit., n. 119 et seq.

Dicitur 2°/ « *per subsequens matrimonium* », nempe per matrimonium legitimum quodvis, etiam ratum tantùm et non consummatum, quandocumque fuerit contractum, etiam in ipso mortis articulo, omissis licet, citra dispensationem, publicationibus antenuptialibus, sive matrimonium immediate sequatur, sive mediate, generationem prolis illegitime natæ (1), uti nitidè exponit Reiffenst., n. 30-34.

Porro multum disputatur utrum legitimandi virtus insit matrimonio invalide quidem sed, præmissis denuntiationibus, *bona fide* contracto. Contra Reiffenst., l. c., n. 35-36; Böckhn, l. c,, n. 21; Barbosa, l. c., n. 41-43; et alios, affirmat Smalzgr., l. c., n. 56-58, cui favent, præ cæteris, Pirhıng, ad h. t., n. 39; Ferraris, l. c., n. 37, cum AA. citatis; Santi, l. c., n. 9; Feye, op. cit., n. 741; Putzer, op. cit., n. 120; De Becker, op. cit., p. 376.

Dicitur 3°/ « per matrimonium *inter parentes prolis illegitimæ initum* ». Nimirum ex una parte matrimonium inter parentes prolis natæ contractum hanc reddunt ipso jure legitimam, quin ullo opus sit consensu parentum vel ipsius prolis; imo in jure canonico non requiritur, quemadmodum in codice nostro civili (2), ut parentes expresse agnoverint filium uti suum, sive ante matrimonium, sive in ipsa nuptiarum celebratione.

---

(1) Proinde legitimaretur proles, si hujus pater non statim cum matre, sed cum alia prius contraheret, et primum, hac defuncta, matrimonium cum dicta matre iniret.

(2) Art. 331 sic habet: « Les enfants nés hors mariage, autres que ceux nés d'un commerce incestueux ou adultérin, pourront être légitimés par le mariage subséquent de leurs père et mère, lorsque ceux-ci les auront légalement reconnus avant leur mariage, ou qu'ils les reconnaîtront dans l'acte même de la célébration ».

Ex alia vero parte nullatenus valet ad legitimationem matrimonium initum a matre cum alio viro ac illo ex quo suscepit prolem legitimandam; adeoque, quotiescumque in foro externo juridice constat de filiatione prolis ex alieno patre, non potest qua legitima admitti nec inscribi a parocho, non obstantibus declarationibus matris ejusque sponsi, non obstante etiam decreto legitimationis in foro civili lato (1). Donec autem aliena probetur, præsumitur paternitas viri cui nubit mater, et, spretis suspicionibus in contrarium, declarationi nupturientium libere factæ fidem adhibebit parochus et legitimationem in registris inseret (2).

II. Proles etiam **spuriæ** possunt legitimari per *Rescriptum Principis*, nempe Rom. Pontificis, uti statuitur in cap. 13, tit. XVII, l. IV, Decret.

Et profectò, cum illegitimitas canonica sit incapacitas ad quædam officia vel munera *sola lege positiva* inducta, pronum est ut a supremo legislatore et juris conditore auferri valeat, quin referat utrum naturales fuerint proles vel spuriæ.

Porro potissimum usu venit legitimatio per rescriptum Principis, ubi agitur de *spuriis*, utpote qui per subsequens matrimonium legitimari non possunt, et

(1) Nonnunquam fit ut forum ecclesiasticum dissonet a foro civili, in quo quidem jure admittitur principium quo nitimur sed non semper applicatur in praxi; pluribus enim in locis officiales civiles *cogunt* nupturientes ut agnoscant tanquam suam prolem, si qua sit, etiam ubi plenissime probatur sponsum non esse patrem naturalem.

(2) Circa inscriptionem hæc monet *Pastor. Brug.*, p. 278 et 279: « Si proles ante matrimonium fuerit nata ex eis, sollicite curet parochus ut ejusdem legitimatio actui inseratur, addendo: insuper sponsus N., declaravit filium sponsæ suæ N., natum die. . mensis... anni .., suam esse prolem, quam per matrimonium legitimare intendit ». In registro autem baptismali, ubi proles illegitima per subsequens matrimonium legitimatur, ad marginem fiat hujusmodi legitimationis mentio, remittendo ad registrum conjugatorum. Quod ut in omni casu certò servetur, præscriptum est in Congreg. Prosynod., anno 1871, art. 6°, « ut. si proles extra parochiam matrimonii fuerit baptizata, parochus baptismi de legitimatione per litteras certioretur ».

inde est quod in rescriptis Apostolicis, ubi dispensatur in impedimento dirimente, cum oratoribus qui, ob copulam ad invicem habitam, creduntur prolem suscepisse, inseritur clausula legitimandi « *prolem susceptam* (1) ». Non omittat igitur, in casu dispensationis executor legitimationem prolis (2), si adest, cum secus spuria maneret, nisi forsan, juxta supra dicta, putative spuria fuerit. Regulariter autem a beneficio legitimationis excluditur proles *adulterina*.

Soli Pontifici nativo jure competit potestas legitimandi prolem, cum afficiat jus commune Ecclesiæ, adeoque Episcopi id non valent nisi ex delegatione Apostolica, quæ delegatio ad legitimas nuntiandas proles implicite continetur in indultis et facultatibus generalibus dispensandi in impedimentis matrimonii, non vero continetur, nisi exprimatur, in rescriptis particularibus. Cf. responsum S. Pœnitentiariæ, 1 Julii 1859, relatum apud Planchard, *Dispenses matrimon.*, n. 100.

---

(1) Ubi non allegatur copula ejusve suspicio nec matrimonium invalidum, inseritur tantum facultas legitimandi « prolem *exinde suscipiendam* », seu nascituram. Porro, juxta Planchard, op. cit., n. 199, ratione vocis *exinde*, hæc clausula non spectat nisi proles *post* matrimonium contrahendum nascituras. Jamvero hujusmodi proles post matrimonium procreandæ ipso jure sunt legitimæ, uti vidimus, sive ante sublatum impedimentum fuerint conceptæ sive postea; unde ad abundantiam est addita dicta clausula et ad scrupulos vitandos, uti ait Reiffenst., in Appendice ad l. IV, Decr., n. 358. Imo pariter abundare dici potest inserta clausula, etiamsi afficeret proles *ante* matrimonium sed post sublatum impedimentum edendas, quippe quæ proles, juxta sententiam tuto sequendam, naturales sunt, adeoque per subsequens matrimonium legitimarentur.

(2) Si executor, dispensando super impedimento, omiserit prolem susceptam legitimam decernere, poterit postea huic muneri supplere, non tantum ipse sed etiam successor in officio. Ratio est quia, uti docet Pyrrhus Conradus, *Praxis Dispensat. Apostol.*, l. VIII, cap. II, n. 27. duplex distinguitur officium executori commissum: dispensandi nempe et legitimandi, ac proinde nihil obstat quominus unum sine altero peragatur. Quinimo, vi ejusdem distinctionis, potest executor legitimare susceptam prolem, etiam ubi dispensatio in impedimento executioni non potest mandari, puta ob mortem alterutrius oratorum; licet tamen non valeat legitimationis decretum, quando oratores *voluntarie* a nuptiis recedunt, uti censet laudatus Auctor, ibidem n. 33.

Nota. 1°/ Quod spectat descriptæ legitimationis efficaciam, in ordine ad effectus canonicos, qui hic soli attenduntur, per eam confertur habilitas ad suscipiendum ordines et beneficia et dignitates ecclesiasticas, sola excepta dignitate cardinalitia. Insuper, quotiescumque legitimatio acquiritur per *subsequens matrimonium*, communius docetur prolem, secus ac si legitimatur per rescriptum Principis (1), legitimam effici, per fictionem juris, *inde a nativitate;* adeo etiam ut, juxta Reiffenst., ad tit. XVII, n. 60, collatis nn. 42 et 43, ita legitimati « per omnia æquiparentur legitime natis et etiam *legitime nati* vocari possint, comprehendanturque in statutis hominum requirentibus ut quis sit legitime natus ». Cf. Smalzgr., l. c., nn. 82, 94, 95, 99; Ferraris, op. cit., V° *Filius*, n. 43-44; cf. art. 333, Cod. civ.

2°/ *Professio solemnis* emissa ab illegitimis, si non dicitur stricto sensu eum legitimare, illum tamen, absque dispensatione, habilem reddit ad suscipiendum Ordines non vero prælaturam.

A. D. S.

IV

Q. *A quonam executioni sunt mandandæ dispensationes matrimoniales, tum fori externi tum fori interni?*

R. I. **Dispensationes Apostolicæ** semper, uti jam plus semel monuimus, conceduntur *in forma commissoria.* Committitur autem executio:

A/ *pro foro externo: Oratorum Ordinario* vel *Ordinario loci.* Quæ disciplina, per Litteras Encyclicas C. S. O., 20 Febr. 1888, introducta, afficit omnes dispensationes Apostolicas in posterum concedendas. Cf. *Collectanea*

(1) Attende tamen matrimonium, si *sanatur in radice*, censeri validum inde ab initio, ac consequenter legitimationem prolis, fictione juris, retrotrahi usque ad momentum matrimonii olim nulliter contracti.

S. C. de Prop. Fide, n. 1471, ubi pariter declaratur et statuitur :

1°/ « Appellatione *Ordinarii* venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Prælatos seu Præfectos habentes jurisdictionem cum territorio separato, eorumque officiales seu Vicarios in spiritualibus generales, et, sede vacante, Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem.

2°/ Vicarium Capitularem seu Administratorem eas quoque dispensationes Apostolicas exequi posse, quæ remissæ fuerint Episcopo aut Vicario ejus generali, vel Officiali, nondum executioni mandatas, sive hi illas exequi cœperint sive non. Et vicissim, sede deinde provisa, posse Episcopum vel ejus Vicarium in spiritualibus generalem, seu Officialem, exequi dispensationes quæ Vicario Capitulari exequendæ remissæ fuerant, seu hic illas exequi cœperit, seu minus.

3°/ Dispensationes matrimoniales Ordinario oratorum commissas, exequendas esse ab illo Ordinario, qui litteras testimoniales dedit, vel preces transmisit ad S. Sedem Apostolicam, sive sit Ordinarius originis sive domicilii, sive utriusque sponsi sive alterutrius eorum ; etiamsi sponsi, quo tempore executioni danda erit dispensatio, relicto illius diœceseos domicilio, in aliam diœcesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen, si id expedire judicaverit, Ordinario loci, in quo matrimonium contrahitur ».

Hæc executionis commissio Ordinario facta constituit mandatum particulare, quod in quantum importat *nudum ministerium*, nempe quoad absolutionem, injunctionem pœnitentiæ, relaxationem impedimenti et prolium legitimationem, *nequit subdelegari*, nisi id fuerit expresse concessum a S. Sede ; in quantum vero importat *jurisdictionem*, nimirum quoad examen oratorum et informationes capiendas, subdelegari valet ab Ordinario, utpote delegato Principis. Cf. *Collat. Brug.*, tom. V, p. 670 et 777 ; *Rev. théol. fr.*, 1899, p. 458 ; Feye, *De Imped. matrim.*, n. 756.

Porro supra, p. 37, in nota, vidimus in hodiernis rescriptis Romanis fori externi semper expressam occurrere facultatem subdelegandi impertitionem *absolutionis*, imo, quoad *integram dispensationis executionem*, fas est Ordinario executori, si ita expedire judicaverit, « delegare alium Ordinarium, eum præsertim in cujus diœcesi sponsi actu degunt ». Cf. laudatas Litteras Encyclicas 1888.

Praxis autem *diœcesana* est, in diœcesi Brugensi, ut Ordinarius parocho *solam* committat verificationem precum, et ipse per se absolvat, ubi opus est, sicut ipse dispensat et prolem legitimat; remanet igitur tantum ut parochus, accepto fulminationis instrumento, oratoribus impertitam absolutionem et dispensationem *communicet*, prævie, nomine Ordinarii, injunctis pœnitentia ac reliquis clausulis, si quæ sint, ab Ordinario impositis.

B/ *pro foro interno:* passim committitur executio *confessario ex approbatis ab oratoribus electo vel eligendo*; idque sive supplica fuerit directe ad S. Pœnitentiariam transmissa, sive eam, mediante Officiali, Romam direxerit confessarius: hoc altero casu Officialis rescriptum accipit sicut et supplicam misit, sed illud accipit cum onere ut ipsum clausum transmittat ad confessarium.

Ipsi autem confessario non solet fieri facultas alium ad dispensationis executionem subdelegandi; attamen, uti monet Feye, *De Imped. matrim.*, n. 748, « litteras etiam confessario competenti traditas, sed nondum executioni mandatas, posse repeti et alteri tradi exequendas, dummodo soli determinato confessario commissæ non fuerint, passim auctores docent contra aliquos. Sine justa causa ita variare laudandum non est, variari tamen potest, non solum quando prior electus moritur, vel ægritudine aliave causa impeditur, vel imperitus aut nimis rigidus reperitur, sed generatim, etiamsi litteras subreptitias vel obreptitias esse pronuntiaverit ».

II. **Dispensationes Episcopales**, quarum nempe ipse Episcopus est auctor, vi potestatis sive delegatæ sive quasi-ordinariæ, in diœcesi, solent, uti supra jam est notatum, ab Ordinario concedi in forma *gratiosa* pro foro tam *interno* quam *externo* (1). Ipse igitur Ordinarius, salva verificatione precum, integram executionem per seipsum peragit etiam pro foro interno, idque extra sacramentalem confessionem et scripto (2), adeo ut rursus parocho vel confessario merum incumbat onus sponsis absolutionem, dispensationem et prolium legitimationem *communicandi*, clausulis prævià nomine Ordinarii injunctis, quam communicationem patet fieri posse, etiam pro foro conscientiæ, extra confessionis actum, servatis tamen servandis (3).

---

(1) Posset utique Episcopus illas dispensationes concedere *in forma commissoria*, alio ad executionem delegato, non exceptis dispensationibus quas impertitur vi indulti. Et sane in quinquennalibus S. C. de Prop. Fide, juxta Formulam III, n. 20 conceditur licentia « communicandi has facultates in totum vel in parte... sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus »; in Pagella autem S. Pœnitentiariæ, initio, conceditur facultas delegandi etiam simplices confessarios, saltem pro casu particulari, in actu sacramentalis confessionis dumtaxat.

Cæterum etiam citra hujusmodi expressam concessionem equidem subdelegare posset Episcopus, imo id valeret majori amplitudine et absque restrictionibus in tenore quinquennalium insertis. Quod aperte constat ex nuperrima declaratione C. S. O., 17 Decembris 1898, quæ, ad quæstionem: « An possit Episcopus diœcesanus subdelegare, absque speciali concessione, suis Vicariis generalibus, aut aliis ecclesiasticis viris generali modo, vel saltem pro casu particulari, facultates ab Apostolica Sede sibi ad tempus delegatas? », respondit: « Affirmative, dummodo id in facultatibus non prohibeatur, neque subdelegandi jus pro aliquibus tantum coarctetur : in hoc enim casu servanda erit adamussim forma rescripti ». Quo responso reformatur doctrina passim admissa et confirmatur sententia antiquorum nitens principio juris: « Delegatus a Principe supremo subdelegare potest ». Cf. *Rev. théol. fr.*, 1899, p. 458 et seq.

(2) Cf. supra, hoc tomo, p. 35.

(3) Quod Episcopus pro foro interno dispenset in forma gratiosa potius quam in forma commissoria, uti variis in locis est in usu, præterquam quod periculum minuit invalidæ fulminationis, insuper multum confert ad solutionem magis expeditam variis in casibus qui nonnunquam occurrere possunt. Ita v. gr. supponatur parocho innotescere impedimentum

III. **Dispensationes Sacerdotales**, quas simplex sacerdos concedere valet *vi Pagellæ*, utpote quæ in solo foro sacramentali sunt exercendæ, non possunt subdelegari, adeoque ab ipso indultario sunt exequendæ, quemadmodum, attentis principiis generalibus, etiam illæ dispensationes, ad quas elargiendas ab Episcopo *subdelegantur* parochi diœceseos Brugensis.

A. D. S.

V

Q. *Expone quænam, in* modo *utriusque speciei dispensationem exequendi, præcipue observanda occurrant.*

In responso ad quæstionem positam nota supponimus varia superius late exposita circa diversa munera executoris, verificationem scilicet precum, absolutionem, injunctionem pœnitentiæ et prolis legitimationem; et unice hic intendimus quædam proponere in genere notanda in modo integram dispensationem exequendi, nonnullis speciatim adnotatis circa ipsam impedimenti relaxationem. Jamvero

I/ In **dispensationibus Apostolicis** exequendis,

A/ *pro foro externo*, en quæ notatu magis sunt digna:

1°/ Fulminatio est facienda *scripto*, saltem quod spectat decretum finale, in quo ipsum impedimentum relaxatur (1). Ratio est tum quia coram foro externo de ablato impedimento constare debet, tum quia secus

---

occultum infamans immediate post nuptias celebratas: si illico ad Episcopum recurrit passim ipsa die dispensationem obtinebit, quæ quidem dispensatio non raro, etiam ante vesperam oratoribus prudenter *communicari* poterit *extra confesssionem*, dum contra difficillimum esset parocho in ipsos dispensationem *fulminare in actu sacramentalis confessionis*.

(1) « Ea quæ de scripto decreto diximus, pertinent ad ipsam impedimenti relaxationem; quæ enim pro clausularum executione præcedere debent, dummodo deinde in fulminationis aut dispensationis decreto memorentur, oretenus possunt effici, licet omnia scripto facere præstet ». Feye, op. cit., n. 755.

difficulter omnia observantur quæ sub 2°/ referentur observanda in decreto fulminationis.

2°/ Quoad ipsum processum sequendum, Executor, in diœcesi Brugensi, prævio actu parochum delegat ad verificandas preces, et, ubi opus est, eodem actu injungit parocho ut separationem imponat, vel aliud medium ad reparationem scandali electum, necnon pœnitentiam ab ipso executore determinatam, ipsumque monet ut referat scandalum esse reparatum et pœnitentiam acceptatam. « Accepta autem verificatione et modò dicta relatione, dat suum decretum fulminationis, continens primo inter dispensationis præliminaria mentionem factæ verificationis et reparationis scandali, deinde absolutionem cum injunctione pœnitentiæ, tandem dispensationem et prolis legitimationem ». Feye, *De Impedim. matrim.*, n. 755, juxta Planchard, apud *Nouv. Rev. théol.*, XIX, p. 625 et 626; collato ibidem modo agendi executoris, casu quo parochum etiam ad absolutionem delegaverit. Cf. etiam Gasparri, *De matrim.*, I, n. 396-397; Planchard, *Dispenses matrim.*, n. 306 et 307. Ipsa autem dispensatio et legitimatio fient expressis verbis (1), mentione facta commissionis Apostolicæ; imo, juxta Feye, l. c., n. 756, opportune inseritur tenor delegationis acceptæ.

3°/ In decreto C. S. O., 14 Aug. 1892 (*Collectan.*, n. 2194), confirmato per responsum S. Pœnitentiariæ 15 Jan. 1894 (Nouv. Rev. théol. XXVI, p. 406 et seq.), invalida est dispensatio matrimonialis « fulminata ab Ordinario post receptam notitiam telegraphicam, et priusquam receptum fuerit documentum authenticum gratiæ concessæ,... nisi notitia telegraphica transmissa fuerit ex officio, auctoritate S. Sedis ». Cf. De Becker, *De matrim.*, p. 329.

(1) « Diversa quoque verba esse debent prout agitur de matrimonio contrahendo aut de validando contracto: item prout agitur de validando per simplicem dispensationem aut per sanationem in radice » Feye, Op. cit., n. 756.

4° Juxta responsum S. Pœnitentiariæ, 27 Junii 1885, citatum apud Feye, Op. cit., n. 756, quando evenit « ut litteris Apostolicæ dispensationis nondum executioni datis, oratores quorum favore expeditæ sunt ex errore contrahant in forma Tridentini », Ordinarius, re comperta, potest « valide easdem litteras Apostolicas nihilominus exequi, ut partes iterum coram parocho et testibus se sistant et consensum renovent ».

B/ *Pro foro interno:*

1°/ Uti vidimus supra, S. Pœnitentiaria passim committit executionem confessario in actu sacramentalis confessionis peragendam. Executor igitur, aperto rescripto, verificatisque precibus, clausulas adimplet impositas circa confessionem, absolutionem et pœnitentiam, ad normam supra, p. 31 et seq. indicatam, ac tandem *viva voce* declarat se in impedimento, auctoritate Apostolica, dispensare et prolem legitimare sive suscipiendam sive etiam susceptam.

2°/ Quoad *formulam* adhibendam, nulla præscribitur determinata, et passim ab Auctoribus proponuntur variæ formulæ, mutatis mutandis, usurpandæ, prouti agitur de matrimonio contrahendo vel de matrimonio contracto convalidando, ope simplicis dispensationis vel ope sanationis in radice. Cf. Feye, op. cit., n. 756; De Becker, op. cit., p. 333; Theol. Mechl., *De matrimonio*, ed. 1894, p. 392; Planchard, op. cit., n. 527 et seq.

3°/ Anno 1748, 15 Novembr., S. Pœnitentiaria modum agendi docuit sequendum in executione dispensationis concessæ cum *duobus* ejusdem impedimenti consciis et in peccato complicibus (1), uti contingit pro impedimento criminis. Nimirum respondet « quod quamvis hujusmodi litteræ dirigantur confessario per

(1) « Si complex non fuit, ut si exorta sit affinitas ex culpa sponsi tantum, licet sponsæ hoc notum sit, non est locus dispensationem respectu sponsæ exequendi; sed sufficit ut ipsa, quatenus fieri potest, certioretur de obtenta dispensatione ». Théol. Mechl., op. cit., n. 398.

latores eligendo, necessarium tamen non est, quod unus idemque confessarius ab utroque eligatur ad eas litteras exequendas : sed potest unus confessarius ab uno ad id eligi, alter ab altero. Tunc autem prior confessarius post dispensationem uni ad formam litterarum concessam, debet litteras S. Pœnitentiariæ (clausas) pœnitenti tradere, ut per illum alteri parti tradantur, quæ similiter easdem litteras secum exequi faciat per alium confessarium, cujus erit in hujusmodi casu, confecto negotio, litteras lacerare. Et quamvis impedimentum ejusmodi esse soleat, ut sublatum quoad unum maneat eo ipso sublatum quoad alterum, nihilominus meus S. Pœnitentiariæ est, ut erga utramque personam litteræ executioni mandentur, sin minus ad auferendum impedimentum, quod per priorem cum una dispensationem jam ablatum præsupponitur, saltem ad congruas pœnitentias salutares utrique imponendas, quas non convenit ab uno tantum exigi, ubi communis est culpa ». Tenor habetur apud *Nouv. Rev. théol.*, XIV, p. 644.

4°/ Præcipitur ut litteræ, post earum executionem, saltem infra triduum, idque sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, comburantur vel lacerentur. Nihil tamen impedit quominus conservetur copia rescripti, omissa omni indicatione qua posset forsan innotescere pœnitens in cujus gratiam fuit obtentum. Cf. Planchard, op. cit., n. 537 et 538.

II/ Quod attinet **dispensationes Episcopales** :

Generatim applicandum est principium a S. Pœnitentiaria, 7ª Junii 1858, statutum, vi cujus « Episcopus, quando *vi specialis cujusdam indulti Apostolici* in impedimentis matrimonium dirimentibus dispensat, *necessario et ad valorem dispensationis*, sequi debet easdem illas regulas, quas in Curia Romana (pro valore) observant, ubi ipse S. Pont. in eodem impedimento iisdemque impedimenti gradibus dispensat ». Theol. Mechl., op. cit., p. 410.

« Dum vero Episcopi potestate *quasi-ordinaria* dispensant, solet tradi, pro valore dispensationis, non necessariam esse rigorosam observantiam styli Curiæ Romanæ », etsi multum præstet ut illi sese conforment. Ibidem, p. 411.

Porro *in specie*, quando Episcopus dispensat ex indulto,

A/ *pro foro externo*, in forma gratiosa, uti solet facere Ordinarius Brugensis,

1°/ attendendum est easdem ac sub I, ad A, rationes urgere ut dispensationem exequatur *scripto;* adeo ut regulariter illicita sit, quamvis valida, dispensatio oretenus vel telegraphice concessa, uti jam declaravit C. S. O., 15 Junii 1875 (*Collectan.*, n. 1491), et idem confirmarunt Litteræ Encyclicæ 10 Dec. 1891 (*Liber Manualis*, ed. 1ª, p. 168, in nota). Cf. etiam Instruct. S. C. de F. Fide, 8 Sept. 1869, apud *Collectan.*, n. 1489.

2°/ Præter ea quæ in decreto fulminationis sunt inserenda circa clausularum impletionem, absolutionem et legitimationem, quemadmodum sub I, in ipsis Quinquennalibus S. C. de P. Fide, Form. III, n. 7, statuitur ut dispensationes matrimoniales ad quas facultas fit Episcopo, non concedantur « nisi cum clausula: *dummodo mulier rapta non fuerit, et, si rapta non fuerit, in potestate raptoris non existat;* et in dispensationibus hujusmodi declaretur expresse, illas concedi tanquam a Sedis Apostolicæ delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis ad quod fuerint concessæ ».

Quæ quidem non injunguntur sub pœna nullitatis, suppressa nunc clausula: *alias nullæ sint*, sunt tamen adamussim servanda, in quantum « rerum temporum locorumque adjuncta ferre possunt ». *Collectan.*, n. 1491 et n. 1487.

B/ *pro foro interno:* Cum Ordinarius, in diœcesi Brugensi, semper dispenset gratiose et extra actum

sacramentalis confessionis, etiam hic valent, proportione servata, quæ modo dicta sunt sub A/, signanter de inserendo tenore indulti et de mentione facienda delegationis Apostolicæ. Rursus *scripto* fiat oportet dispensationis executio, licet tamen hic facilius contingat, propter necessitatem, recurrendum esse ad usum telegraphi, a quo usu, juxta documenta sub A, ad 1m, citata non est abstinendum nisi *regularitcr*, et in quantum ferunt rerum et temporum adjuncta. Et ideo, in diœcesi Brugensi, permittitur ut, in casu urgentissimo, cæteris deficientibus mediis, ad Episcopum, ope telegrammatis, dispensationis obtinendæ gratia, recurri possit; et dispensatio pariter telegraphice conceditur, ea tamen lege ut, post expeditum telegramma, nihilominus fulminationis decretum, rite confectum, ad parochum vel confessarium dirigi curetur. Cf. *Librum Man.*, p. 168 et seq.

III/ Quod spectat **dispensationes sacerdotales**, quas nempe simplex sacerdos elargitur, vi Pagellæ vel vi habitualis subdelegationis ab Episcopo parochis diœceseos Brugensis factæ: si agatur de dispensatione *pro foro externo*, puta cum moribundis concubinariis, in impedimento publico, parochus scripto utatur documento, in quo post absolutionem ad effectum, et absolutionem juridicam, si ea opus est, impertitam, ac pœnitentiam injunctam, declarat se dispensare et prolem legitimare, mentione facta delegationis ab Episcopo acceptæ. Aptæ formulæ exemplar præbet Joder, *Formulaire Matrimonial*, 3e édition, p. 142.

Quando autem dispensat *pro foro interno*, quod non valet nisi in foro sacramentali, normam sequetur sub I, ad B/ indigitatam.

A. D. S.

VI

Q. *An et quare subjacet excommunicationi mulier prægnans quæ abortum in se procurat?*

R. Pius IX, Const. *Apostolicæ Sedis*, excommunicationi Episcopo reservatæ obnoxios declarat *procurantes abortum, effectu secuto:* quæritur ergo utrum hoc canone comprehendatur etiam ipsius matris dolosa operatio qua proprium conceptum fructum vitæ uterinæ, nondum vero extrauterinæ capacem, ex utero expellit (1).

Jam olim Sixtus V, const. *Effrænatam* diei 29 Oct. 1588, imprimis (§ 1) decrevit « omnes et quoscumque... qui de cetero per se aut interpositas personas abortus seu fœtus immaturi... ejectionem *procuraverint...*, ac etiam *prægnantes mulieres*, quæ scienter præmissa fecerint » pœnas temporales adversus *homicidas* utroque jure latas ipso facto incurrere ; et insuper (§ 7), « omnes et singulos... qui vel quæ, vel uti principales vel ut sociæ consciæve ad tale facinus committendum opem, consilium, favorem, potionem vel alia cujuscumque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo litteras privatas vel apochas, vel aliàs verbis aut signis juverint aut consuluerint, ipso facto ex nunc prout ex tunc *excommunicatos* declaravit ». Hujus autem excommunicationis absolutionem Rom. Pontifici reservavit. At Gregorius XIV, const. *Sedes Apostolica* diei 31 Maii 1591, qua præfatam Sixti V legem in pluribus temperavit, excommunicationem contra *procurantes abortum* latam, non jam Sanctæ Sedi sed Episcopis reservatam esse voluit.

Porrò sub illo jure antepiano probabilis habebatur sententia negans matrem, de qua in præsenti fit

---

(1) Circa definitionem abortus proprie dicti vid. Ill ac Rev. Waffelaert, *De Justitia*, tom. II, n. 81. — De Brabandere, *Comp. Juris Can.*, (ed. 6), n. 1470.

quæstio, numerandam esse inter *procurantes abortum,* quos Sixtus V (§ 7) excommunicationis pœna plectebat, quamvis aliis pœnis sub § 1 intimatis obnoxia esset. Quam sententiam S. Alph., (Lib. III, n. 395, quær. V), vocat « valde probabilem et, attenta ratione intrinseca, probabiliorem » (1). Unde, stante illo dubio juris, non poterat, juxta principia generalia, misera hujusmodi mulier haberi uti excommunicata.

Quæritur jam utrum sub novo jure, seu post Pianam constitutionem, adhuc agnosci possit aut debeat probabilitas sententiæ isti, quæ mulierem prægnantem in se abortum procurantem ab excommunicatione eximit.

Hanc autem probabilitatem expressis verbis negant, vel saltem ut certum docent et ipsas matres lege comprehendi, plures Const. *Apostolicæ Sedis* commentatores aliique AA. (2). Communius vero alii contrariam opinionem amplectuntur (3). Et meritò quidem: etenim

---

(1) Eamdem sententiam saltem ut probabilem propugnant: Naldus, *Summa*, V° *Abortus*, n. 1; — Tamburinus, *Explic. Decalogi*, L. VI, cap. 2, § 4, n. 7; — Salmanticenses, *Cursus theol. mor.*, T. III, tr. XIII, cap. 2, punct. 2, n. 69 ss. — Roncaglia, *Universa mor. theol.*, T. I, tr. XI, cap. II, q. 6; Lezana, *Summa quæstionum regularium*, P III, V° *Abortus*, n. 11. Avila, *De censuris eccles.*, P. II. cap. V, disp.VII, dub. 12, concl. 2, n. 5; — Henriquez, *Summa theol. mor.*, L. VI, cap. X, n. 2, sub *h*; — Alphonsus de Leone, *De censuris*, recoll. VII, n. 34; — De Lugo, *Responsa moralia*, L. II, dub. 4, n. 3 ss.; — Mansi, *Tract. de cas. res.*, P. I, q. 2, cas. V, n. 45. — Ferraris, *Prompta bibliotheca*, V° Abortus, Adnot. ad n. 5.

Argumenta quibus suadetur dicta sententia vid. apud S. Alph., l. c.; — Pennacchi, *Comment. in Const. Apost. Sedis*, tom. II, p. 40 sq.; — *Nouv. rev. th.*, tom. XI, p. 316 sqq.

(2) Avanzini, *De Const.* Apost. Sedis *commentarii*, p. 108; — Godschalk, *Constitutio* Apost. Sedis... *commentariis illustrata*, p. 103; — Daris, *De censuris*, n. 240; — Dumas, *Comp. theol. mor. P. Gury*, n. 1018, qu. 2; — Gabriel de Varceno, *Comp. th. mor.*, T. II, p. 495; — Ciolli, *Commentario pratico delle censure latæ sent.*, n. 147; — Bertapelle seu Clerus Patavinus, *In const.* Apost. Sedis *quæstiones*, n. 397; — Grandclaude, *Const.* Apost. Sedis *commentariis illustrata*, p. 61; — Bucceroni, *Instit. theol. mor.*, ed. 2, T. II, n. 1204, et *De censuris*, ed. 4, p. 122 sq. — Berardi, *Praxis Confessariorum*, (ed. 1884). n. 883.

(3) Pro hac benigniori sententia citari possunt: Cretoni, *Comp. theol.*,

finis quem maxime sibi proposuit Pontifex Pius IX, edendo constitutionem *Apostolicæ Sedis* fuit existentes censuras latæ sententiæ temperare ac limitare, prouti præsentium temporum conditio exigebat. Quapropter ut aliquam censuram, dicta constitutione servatam, extendere valeamus ad casus, quos antea non comprehendebat, præsto sit oportet certa et manifesta Pontificis voluntas: minime vero hæc indubitata legislatoris voluntas argumentis ab adversæ sententiæ patronis allatis probatur in casu nostro. — Dicunt quidem 1°: Utitur Pontifex verbis omnino generalibus *Procurantes abortum,* nulla addita vel insinuata restrictione seu exceptione; atqui juxta sanæ interpretationis regulam: *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

Resp.: Alia est interpretationis regula, vi cujus *lex odiosa stricte et benigne est interpretanda;* odiosa profecto est lex nostra: hanc autem interpretando, prouti facimus, minime inducimus distinctionem seu exceptionem *arbitrariam*, sed verba legislatoris sumimus in sensu suo proprio, non quidem naturali, sed *juridico*, saltem probabili. Tempore enim quo prodivit Piana constitutio, verba *procurantes abortum*, quibus jam usi fuerant Sixtus V et Gregorius XIV (vid. textus suprà cit.), in hac specie juris patiebantur benignam interpretationem, ita ut mulieres prægnantes sub illa non comprehende-

---

mor. Gury, T. II, p. 617, not. 1.; — Ballerini ad Gury, (ed. 4), T. II, p. 1003 not. (b), et *Opus th. mor.*, T. VII, n. 473; Konings. *Theol. mor.*, (ed. 3), n. 1734, 3°; — Aertnys, *Theol. mor.*, (ed. 2), T. I, n, 192, q. 8, coll. T. II, n. 109; — Marc, *ad S. Alph.*, L. III, n. 395; — Del Vecchio, *Comp. th. mor. Scavini,* T. I, n. 621; — De Brabandere, *Comp. Jur. Can.*, (ed. 6), n. 1470; — Vecchiotti, *Inst. can.*, T. II, p. 363, not. (2); — Lafforgue, *Comment. sur la Const.* Ap. Sedis., p. 64; — *Nouv. rev. th.*, T. XI, p. 320 ss.; — Pennacchi, *Comment. in Const.* Ap. Sedis, p. 42; — Ninzatti, *Theol. mor.*, T. I, n. 401; — Genicot, *Theol. mor. Inst.*, (ed. 2), T. II, n. 608, coll. *Addita et mut.*, p. 149; — Lehmkuhl, *Theol. mor.*, (ed. 9), T. II, n. 970; — Hilarius a Sexten, Tract. de censuris, (ed. 1898), p. 219; — Haine, *Theol. mor. elementa*, (ed. 3), T. IV, p. 486; — Theol. Mechl., *De Censuris*, (ed. 2), p. 92 sq.; — F. Piat, *Comment. in Const.* Ap. Sedis, p. 235.

rentur; exinde illa locutio *procurantes abortum* evasit, sicut ait Lehmkuhl, l. c., quodammodo terminus technicus, qui *reliquos* præter matrem significet; quare meritó, imó, inspecta legis indole et scopo, necessariò (ut nobis videtur) idem nunc sensus eisdem verbis tribuitur.

Instant et dicunt 2º: Lex utut odiosa non potest ita interpretatione restringi ut evadat inutilis; porrò cum Pius IX, secus ac fecerat Sixtus V, jam non subjiciat excommunicationi *cooperantes,* qui consilium, opem aut favorem præstant; si vel ipsæ matres excludantur, omnino frustrari posset finis legis atque hæc inutilis reddi.

Resp. Negamus nostra benigna interpretatione legem Pianam inutilem evadere: « Nostris enim temporibus, medicorum et obstetricum præsertim opera abortus procurantur; qui cum directe agant et liberrime, lata excommunicatione certe afficiuntur sicut et omnes alii qui eadem in iisdem conditionibus perficerent » Pennacchi, l. c., p. 45. — Ceterum *mandantes* censura attingi communiter docetur, nam, ut recte ratiocinatur *Theol. Mechl.*, l. c., p. 92, « veri nominis *procurator* est non tantum qui agit per se, sed etiam qui ad idem obtinendum alterius ministerio utitur ».

Censemus igitur sententia quæ matrem ab excommunicatione Piana excludit, nullam sanæ interpretationis regulam offendi; illamque ut solide probabilem esse habendam; ideoque in praxi, quamdiu per authenticam declarationem legislator contrarium non edixerit, non poterit misera mulier in se abortum procurans excommunicatione damnari. Quod si quis miretur, observet tamen plerumque hujusmodi mulieres nonnisi metu gravissimi damni ad tantum facinus committendum adduci, proindeque, *ob defectum contumaciæ*, pœnam adeo exorbitantem, qualis est excommunicatio latæ sententiæ, forte non mereri.

H. V. D. B.

Dissertatio

An serpens, de quo Gen., III, fuerit verus serpens, actus tamen à dæmone, an verò serpens metaphoricus, seu diabolus.

Infra, oblatâ occasione, demonstrabimus serpentem illum fuisse *verum serpentem*, actum tamen à diabolo. Cajetanus autem censet serpentis nomine metaphoricè intelligendum esse *dæmonem*, nec sermonem dæmonis cum Eva externum et sensibilem fuisse, sed internâ tantùm suasione peractum. « Hanc autem opinionem, quod videret Cajetanus esse novam et ab omnium Patrum et Theologorum sententia abhorrentem, multis rationibus fulcire ac stabilire conatus est », ait Pererius. His tamen non obstantibus rationibus, Cajetani sententia ad hæc usque tempora uno omnium catholicorum Interpretum ore explosa et conclamata fuit (1). Nuper verò innovata ac propugnata fuit à R. P. Lagrange (*Revue biblique*, 1897, p. 365), cujus cùm haud exiguum sit nomen ac meritum, importunum non erit singularis istius opinionis fulcimenta ad incudem revocare.

Animadvertere in primis juvat omnia argumenta sive à Cajetano, sive ex eo a Lagrange allata, Veteres interpretes minimè latuisse, eosque proindè nequaquam *incognitâ causâ* judicasse: ex quo jam colligitur argumenta illa, utpotè à sensu communi reprobata, talia

(1) Nihil hic loquimur de sentiendi ratione heterodoxorum: « Licet enim heterodoxorum studiis, *prudenter adhibitis, juvari interdum* possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis, *incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse, qui, veræ fidei expertes, Scripturæ, non medullam attingunt, sed corticem rodunt.* » Encycl. *Providentissimus Deus.*

non esse quibus mens sana liberâque multùm moveatur. Sunt autem hæc :

1° « Primo, inquit Cajetanus, solemne est in Sacris Litteris, vocabulis animalium uti ad significandas creaturas rationales et intelligentes. Hinc sunt illa : Ecce agnus Dei : Vicit leo de tribu Juda : et in Apocalypsi diabolus draco et serpens perpetua allegoria nominatur : sicut apud Job, cap. 40 et 41, permulti et graves Auctores, Judæis licet reclamantibus, sub nomine et similitudine Behemoth et Leviathan, insinuari diabolum putaverunt, cujus tamen proprium nomen ne semel quidem eo loci expressum est. Quocirca sicut eo loco non intelligitur diabolus sub corporea specie Leviathan et Behemoth, simili ratione neque hoc loco sub corporea specie serpentis intelligi debet. » Similiter Lagrange (l. c.) provocat ad Apoc. XX, 2 : « *Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus, et satanas* », ubi manifestum est nomine *serpentis antiqui* metaphoricè designari *diabolum*.

Respondemus nos nequaquam negare vocabulis animalium haud rarò in sacris Litteris metaphoricè significari creaturas rationales et intelligentes ; « Neque verò, ait ipse Cajetanus (in h. l.) hinc datur ansa interpretandi cætera omnia metaphoricè : quoniam alia non ita ut hæc, habent ex ipso textu testimonia, ut metaphoricè intelligantur. » Videlicet in interpretatione S. Scripturæ tenendus est sensus verborum obvius ac proprius, donec ex ipso contextu aut aliundè probetur recurrendum esse ad sensum metaphoricum. Jam vero in præsenti loco, nedum ex ipso contextu aut aliundè conficiatur recurrendum esse ad sensum metaphoricum, contrà ex variis argumentis olim adducendis liquidò apparet omninò standum esse sensui verborum obvio ac proprio.

Quod autem *in Apocalypsi diabolus draco et serpens perpetua allegoria nominetur*, id ex omnibus textùs adjunctis, imo vel ex solo immediato contextu manifes-

tum est. Non enim simpliciter *draco* et *serpens* vocatur, sed: (XII, 9) draco ille magnus, serpens *antiquus, qui vocatur diabolus, et satanas, qui seducit universum orbem*, iterùm (XX, 2) *draco, serpens antiquus, qui est diabolus, et satanas*. Jam verò, ut rectè animadvertit Smitsius: « Haud aliter dari posse ratio videtur, cur satanas toties in Scriptura non solum in genere sub pictura et emblemate *serpentis, draconis* etc., sed et speciatim sub nomine et titulo *serpentis antiqui,* ut jam olim à Judæis appellatus est, exhibeatur, *nisi ob memorabilem istanc diaboli et serpentis conjunctionem et in homine perdendo conspirationem*. Vide signanter Apocal. XII, 9; XX, 2. »

Porrò apud Job (cap. 40 et 41) nomine Behemoth et Leviathan *ad litteram* designari diabolum, improbabile nobis videtur, cum ex universo textu et contextu liqueat his nominibus designari duas immanes bestias (1). Quemadmodum enim immediatè præcedenti capite 39 Deus potentiæ ac sapientiæ suæ magnitudinem ostendit ex instinctu quem variis animantibus, nempe ibicibus, onagro, rhino ceroti, struthioni, equo, accipitri et aquilæ indidit, ita cap. 40 et 41 sapientiæ et potentiæ suæ sublimitatem ex duobus animantibus demonstrare pergit.

Appositè Smitsius, in Job XL, 10: « Patrum quorumdam expositioni, ait, qui nomen istud *(Behemoth)* de dæmone accipiunt, haud adhæremus; cum à Literæ scopo et circumstantiis aliena sit, et concionatoria dumtaxat censeri possit. » Et infra, ad v. 20: « Notaveris interim, Antiquos, qui nomen istud *(Leviathan)* de dæmone accipiunt, longiùs à Litera deviare. » Quod tamen ea quæ de belluis istis ad litteram prædicantur, etiam *mysticè* diabolo applicentur, minime improbare

(1) *Behemoth* hìc designat elephantem, seu potius *hippopotamum*, equum fluvialem; *Leviathan* autem cetum seu balenam, seu potius *crocodilum*. Vide Interpretes in h. l.

volumus; nec quicquam officit sensui litterali, cum contrà eum supponat. Sicut igitur apud Job per Behemoth et Leviathan sensu litterali significantur duo vera animalia, ita apud Moysen nomine serpentis ad litteram designatur verus serpens.

2° « Postea, pergit Cajetanus, hìc traditur *serpentem callidiorem fuisse cunctis animantibus terræ: quod de vero serpente*, si fides habeatur Philosophis qui naturas et proprietates animalium scrutati sunt, *falsum esse constat*. Quinimo propterea id Moses dixit, ut indicaret se non loqui de vero serpente, sed figuratè ac metaphoricè de diabolo mores et ingenium serpentis referente: serpendo videlicet per interiores hominis sensus, ut eum veneno suæ persuasionis inficiat atque corrumpat. »

R. ad hæc reponimus singularem serpentis calliditatem, prudentiam, astutiam, jam antiquitùs ubique gentium celebrem, ac nominatim apud Hebræos in proverbio fuisse. Sacra enim Scriptura passim de ejus arte loquitur. Ipsum aures obturare, ne venefici vocem percipiat, ait Psalmista (LVII, 5, 6); equi pedem mordere, ut dejiciat equitem, ait Jacob (Gen. XLIX, 17). Ipse Christus nos hortatur ut simus *prudentes sicut serpentes* (Matth. X, 16). Et quamvis quædam sint animalia quæ in quibusdam prudentiam serpentis æquent aut etiam superent, uti canes, vulpes, etc., *simpliciter* tamen dicendum est cum Scriptura, *serpentem fuisse callidiorem cunctis animantibus terræ*. In quibusnam autem appareat mira illa serpentis calliditas et astutia, fusè exponitur apud Interpretes. Vide Frassenium, Pererium, etc. Id unum notare juvat, distinguendum esse duplex genus prudentiæ et calliditatis serpentum: unum quo utuntur ad propriam defensionem et conservationem, alterum quod adhibent ad insidiandum et nocendum hominibus: utriusque autem calliditatis exstare indicia et argumenta vulgo nota et quotidianis experimentis comperta, atque sacræ Scripturæ testimoniis confirmata.

Quod igitur affirmat Cajetanus, Moysen propterea dixisse *serpentem callidiorem fuisse cunctis animantibus terræ*, ut indicaret se non loqui de vero serpente, sed figuratè ac metaphoricè de diabolo, id falsum et communi Veterum sensui contrarium est. Moyses autem serpentem dixit cæteris bestiis callidiorem « non ut significaret per astutiam naturalem serpentis deceptam esse Evam: sed ut ostenderet non temerè nec sine magnà ratione divinæ providentiæ factum, ut diabolus ad decipiendum hominem, sese in serpentem potius quàm in aliud quodvis animal insinuaret, videlicet ut intelligeretur, quàm congruens astutiæ dæmonis ad fallendum hominem adhibitum fuerit instrumentnm, et ut ex astutia serpentis et naturali inimicitia quæ est inter eum et homines, conjiceretur multiplex diaboli adversùs hominem astutia et odium implacabile. » Pererius.

3° « Nec officit huic interpretationi, ait Cajetanus, quod serpens dicatur callidior bestiis terræ, cum sit etiam hominibus longe callidior, et astutior, neque cum bestiis terræ diabolus rectè comparari posse videatur. *Etenim diabolus propter suum peccatum dejectus est in ordinem bestiarum, ex ordine intelligentium creaturarum deturbatus: et idcirco serpentis vocabulo ritè nominatur, et cum bestiis ritè comparatur,* etc. »

R. Quod dicit Cajetanus, diabolum propter suum peccatum dejectum esse in ordinem bestiarum, et idcircò cum bestiis ritè comparari posse, id « nullo modo, ait Pererius, videbitur doctis viris probabile; etenim dæmon propter peccatum non perdidit *dona sua naturalia:* quantum igitur ad naturalem prudentiam et calliditatem, similiter se habet post peccatum ut anteà se habebat. »

4° « Deindè, inquit Cajetanus, ob eam causam serpenti locutionem, *quam vero serpenti in confesso est non posse convenire*, Moses attribuit, ut per eum sermonem ei serpenti tributum, intelligeret lector Mosem de intellectuali serpente loqui. »

R. Vero serpenti non posse *naturaliter* convenire locutionem, ultrò confitemur: sed verum animal non posse sive Dei, sive angeli sive dæmonis operâ loqui, absurdum est negare, atque falsum esse demonstratur exemplo asinæ Balaam, de quâ Num. XXII, 28: « *Aperuitque Dominus os asinæ, et locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me? ecce jam tertiò?* » Ad quod alludens S. Petrus (II Ep. II, 16), inquit: « *Subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam* ». Et S. Augustinus: « Sic ergo, ait, locutus est serpens homini, sicut asina in qua sedebat Balaam locuta est homini, nisi quod illud fuit opus diabolicum, hoc angelicum. » *De Genesi ad litt.*, l. II, c. 29.

Verùm instat Cajetanus exemplumque asinæ Balaam immerito allegari censet, eó quod « in libro Numerorum, ubi asinæ illius locutio narratur, simul etiam causa efficiens illius locutionis exponatur; dicitur enim Dominum aperuisse os asinæ, et sic esse locutam: hoc autem loco Moses *nullam locutionis serpentis causam reddat.* »

At facilis est responsio: Causam locutionis serpentis Moses non reddit *expressè et nominatim;* Concedimus; eam non manifestè prodit *per omnia narrationis adjuncta:* Negamus. Ipse enim Cajetanus propugnat totius hujusce tentationis auctorem esse *diabolum.* Si qua igitur adhibita fuit causa instrumentalis, ea profectò, juxta ipsum Cajetanum, organum fuit diaboli. Cur autem Moyses hic diabolum expressè ac proprio nomine non designaverit, exponemus aliâ vice.

Sed quæri ulterius potest, utrum hic diabolus vero serpente verè loquente usus sit, an verò tantùm serpentis formam atque vocem sit mentitus. Hoc alterum sentire videtur Hummelauer *in h. l.:* « Neque tamen adstruere cogeris, ait, ipsis serpentis gutture, lingua, ore, quæ humano sermoni edendo penitus sunt inepta (Per.), diabolum efformasse verba; sufficit admittere, arte dæmonis ita Evæ sensus esse affectos, ut vocem è

serpentis ore profectam arbitraretur. Ergo certè in aliquà re mulieris sensus decepti sunt. Serpentem vidit, agnovit, ejus sibi alloquium audire visa est: tamen non ipse loquebatur. Ubi sponte nascitur quæstio, an alius præterea fuerit in muliere sensuum error, an dæmon forte non vocem tantum, sed vel ipsam serpentis formam sit ementitus. Quod sensisse videtur *Eugubinus* (Cosmopœa, Lugd. 1535) et merito defendi posse censet *Reinke*, p. 269. Neque dicas, eumdem, cujus modo laudabatur sagacitas, jam in scenam produci serpentem. Producitur idem aut re et forma, aut forma tantum. Nonne idem producitur loquens? At non idem re loquebatur, sed specie solum idem. Scilicet, quod merito adnotat *Reinke*, p. 352 et etiam affirmat *Lamy*, auctor « refert factum prout oculis externis proditum est; non agit interpretem, non explicat quis fuerit ille serpens ». Oculis autem protoparentum proditum est factum ita, ut primum formam serpentis adrepentis conspicerent, dein vocem ex ejus ore profectam audirent: narrant igitur adfuisse serpentem esseque locutum, neque in ea narratione falsitatis quidquam subest, cum rem, qualis sensibus objiceretur, referant. »

Ad hæc R. P. Lagrange, (l. c., p. 366): Il faut savoir gré au R. P. Hummelauer de ce pas, considérable pour l'exégèse actuelle; mais je demande qu'on laisse de côté *cette apparence de serpent qui prend l'apparence de la parole*, car je ne trouve pas très théologique que nos premiers parents soient si grossièrement trompés par le diable. Le serpent représente ici un être mauvais, il en est le symbole comme tous les serpents le seront pour ceux qui ont entendu la leçon divine, le symbole de celui qui attaque à la sourdine et dont on triomphe en lui marchant sur la tête. »

Ast hunc passum à R. P. Hummelauer factum, talem non esse quo sana exegesis multùm proficiat, haud dubitamus. Quod enim *verus* fuerit serpens qui Evam decepit, manifestum est ex eo quòd idem prorsùs

est serpens qui allocutus est mulierem ac ille de quo dicitur v. 1: *Serpens erat callidissimus cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus.* Immediatè enim sequitur: *Qui* (idem sane verus serpens) *dixit ad mulierem* etc. Idem colligitur apertè ex eo quod serpens qui mulierem decepit idem omnino est ac ille qui a Deo maledictus legitur inter omnia animantia et bestias terræ atque pœnâ mulctatus. Postquam enim mulier dixit v. 13: *Serpens decepit me, et comedi*, illicò sequitur v. 14: *Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc*, quia nempe mulierem decepisti, *maledictus es inter omnia animantia et bestias terræ: super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Hanc autem maledictionem et pœnam non in fucatum, seu phantasticum serpentis simulacrum, sed in verum serpentem quadrare, indubium est.

Porro quomodocumque diabolus voces humanas in ore serpentis formaverit, ut credamus serpentem *verè locutum fuisse*, litteræ exigit simplicitas et historicus Moysis stilus. Dicitur enim clarè v. 1: *Qui dixit ad mulierem* etc. — v. 4: *Dixit autem serpens ad mulierem* etc. — Licet ergò locutio serpentis non fuerit actio *vitalis*, sed *artificialis* utpotè non ab anima serpentis, sed ab extrinseco causata, nihilo tamen minus *vera ac realis* fuit locutio, non merè *apparens ac fucata*, quemadmodum *verus ac realis*, etsi artificialis fuit sermo asinæ Balaam, quæ, teste S. Petro (II Ep. II, 16), *hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam.* Errat igitur R. P. Hummelauer ubi distinguit inter serpentem cujus v. 1° laudatur calliditas, et serpentem qui eodem versiculo in scenam producitur et cum muliere locutus prædicatur.

Errat etiam ubi asserit serpentem non esse locutum, ac mulieres sensus bis deceptos fuisse, eò quod diabolus non vocem tantum, sed vel ipsam serpentis formam sit ementitus. — Quod si daretur R. Patri arte dæmonis ita Evæ sensus esse affectos, ut vocem e serpentis ore

profectam indubiè arbitraretur, quin diabolus ipsis serpentis gutture, linguâ, ore, efformaverit verba, idemque pariter operâ Angeli peractum fuisse respectu asinæ loquentis ad Balaam, inde tamen minime sequeretur non apparuisse verum serpentem, quemadmodum inde minimè sequeretur asinam Balaam non fuisse veram asinam. — In hoc tamen longe præstat opinio R. P. Hummelauer opinioni Cajetani et R. P. Lagrange, quòd cum communi Veterum sententia admittit totum hoc colloquium et tentationem *exteriorem* dumtaxat fuisse, dùm Lagrange cum Cajetano non nisi interiorem diaboli locutionem et tentationem adstruunt: quod, ut rectè notat Pererius, « adversatur doctrinæ Augustini et Gregorii, atque *iis quæ Theologi tradunt de statu innocentiæ;* nimirùm, docent illi *ante peccatum non potuisse hominem interius tentari à diabolo, sed tantùm exterius.* » Recepta scilicet apud theologos sententia est, Protoparentes nostros, perinde ac Christum, nonnisi foris à diabolo tentari potuisse (1). Falsum igitur est quod asseverat Cajetanus: « *sermonem inter serpentem et Evam habitum, non fuisse vocalem, sed internæ suggestionis, quo diabolus serpere venenosa cogitatione cœpit, codemque genere sermonis universum qui describitur dialogum inter serpentem et mulierem actum esse.* » Quod proinde affirmat Lagrange, sententiam Hummelauer sibi *parum theologicam* videri, idem à fortiori de sententia Cajetani et Lagrange dicendum apparet. Quemnam verò ex utraque illa sententia progressum sperare possit S. Scripturæ scientia, minimè perspicimus.

(Sequetur).

G. V. D. P.

(1) Ita S. Thomas, II, II, p. 165, a. 2, ad 2um: « Diabolus minimum potestatis habebat in hominem ante peccatum: et ideo *non potuit cum interiori suggestione, sed solum exteriori tentare* ».

Fabriques d'église

Séance légale du 1er Dimanche de Mars.

Cette Séance obligatoire en vertu de l'art. 5 de la loi du 4 Mars 1870 doit être consacrée principalement à l'examen du compte annuel, que le trésorier est tenu de présenter au *Conseil* à cette date.

Voir à ce sujet les instructions et observations consignées dans les *Collationes*, T. I, p. 81 ss. — T. II, p. 90 ss. — T. IV, p. 109 ss. — T. V, p. 194 ss.

C'est vers cette même époque que le Bureau des Marguilliers doit dresser l'état de la caisse de la fabrique. A cette fin, d'après une ordonnance de l'Evêque de Bruges, en date du 14 Juin 1889, la vérification de l'armoire à trois clefs doit être faite en présence au moins du Président du bureau, du Trésorier et du Curé. (V. *Collat.*, T. I, p. 86, ss.).

Rappelons enfin qu'aux termes de l'art. 41 du décret de 1809 les marguilliers, et spécialement le trésorier, sont tenus de visiter, au commencement du printemps, les édifices du culte et de pourvoir aux réparations, dont cette visite aurait révélé la nécessité, en se conformant aux dispositions des art. 41 et 42. — Cf. De Brabandere, *Jur. can. comp.*, (6e édit.), n. 1082, coll. 1085.

Sur l'importance de cette prescription et la gravité des conséquences que sa non-observation peut entraîner, voir *Collationes*, T. I, p. 130 ss.; T. II, p. 92. — Cf. *Journal Français des Conseils de Fabriques*, T. III, p. 163 ss; article reproduit dans *Journal Belge des Conseils de Fabriques*, T. II, p. 326 ss.

H. V. D. B.

Ex S. Congregat. Indulgentiarum

Indulgentiæ conceduntur ad fovendam consecrationem XX^i sæculi SS. Cordi Jesu.

Très Saint Père,

Votre Sainteté a consacré les nations au Cœur de Jésus et nous a dit, dans la glorieuse Encyclique *Annum sacrum*, que le salut du monde était dans ce nouveau Labarum. Afin de faire porter à ce grand acte des fruits de plus en plus abondants, Votre Sainteté daignerait-elle accorder la faveur d'une Indulgence plénière aux fidèles qui communieraient l'année prochaine, le premier vendredi de chaque mois, au jour choisi par Notre-Seigneur lui-même, pour offrir à son divin Cœur le vingtième siècle et le lui consacrer?

Grâce à l'approbation donnée par Votre Sainteté aux pèlerinages de Paray-le-Monial, et à l'appel que j'ai adressé aux Évêques, des milliers de fidèles de tous pays sont venus cette année dans la ville appelée par Votre Sainteté : « La cité très agréable au ciel » *Cœlo gratissimum oppidum* (1). Il y a tout lieu de présumer que ce mouvement continuera et que beaucoup de pèlerins viendront encore en 1901, prier le sacré Cœur dans le sanctuaire où ont eu lieu ses grandes révélations. Pour en attirer un plus grand nombre, j'ose encore demander à Votre Sainteté d'accorder une indulgence plénière à tous ceux qui communieront à Paray, en 1901, dans l'intention de dédier tout spécialement le vingtième siècle au Cœur de Jésus.

Très Saint Père,

Votre Sainteté, par un des plus grands actes qui marqueront la fin du dix-neuvième siècle a consacré le genre humain au Cœur miséricordieux de notre divin Sauveur.

(1) Bref de Sa Sainteté donné pour le couronnement de Notre-Dame de Romay (territoire de Paray-le-Monial), le 17 Juillet 1896.

Les deux faveurs que je sollicite de son inépuisable bonté seront un nouveau bienfait pour le monde, une nouvelle gloire pour Jésus-Christ et son Vicaire, une nouvelle joie pour tous les peuples chrétiens.

Daignez agréer, très Saint Père, l'hommage de la religieuse vénération, avec laquelle je me dis, de Votre Sainteté, le très humble, très obéissant et très aimant serviteur et fils en Notre-Seigneur.

† Adolphe-Louis-Albert Cardinal PERRAUD,
évêque d'Autun, Chalon et Macon.

Sanctissimus Dominus noster Leo Papa XIII, in audientia habita die 6 decembris 1900, ab infrascripto Cardinale Præfecto S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ, piissimum Eminentissimi Episcopi Augustodunensis propositum in supplici libello enunciatum summopere commendans, plenariam Indulgentiam, animabus quoque igne Purgatorii detentis applicabilem, benigne concessit ab universis Christi fidelibus lucrandam :

I. — Qui prima qualibet feria sexta cujusvis mensis anni mox futuri juxta intentionem in precibus expressam vere pœnitentes ac confessi ad sacram synaxim accesserint, simulque aliquo temporis spatio ad mentem Sanctitatis Suæ pias preces effuderint;

II. — Qui infra annum adventurum, eumdem finem superius memoratum persequentes, conjunctim cum devota aliqua peregrinatione Ecclesiam sanctissimo Cordi Jesu in oppido Paray-le-Monial dicatam inviserint, itemque sacramentali Confessione expiati et S. Eucharistia refecti uti supra oraverint.

Præsenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ ex secretaria ejusdem Sacræ Congregationis. die 9 decembris 1900.

S. Card. CRETONI,
Præf.

† FRANCISCUS,
Archiepiscopus Amiden., secretarius.

Adnotationes. Novo hoc privilegio ad annum 1901 restricto non derogatur concessioni generali factæ decreto S. C. Indulg. diei 7 Sept. 1897, vi cujus indulgentiam plenariam lucrari valent fideles qui, quacumque prima feria VI[a] alicujus mensis, rite confessi et S. Communione refecti, paululum meditantur infinitam SS. Cordis Jesu charitatem et ad consuetas intentiones pias fundunt preces. (Cf. *Collat. Brugen.* T. II, p. 630). Præsens enim gratia conceditur intuitu *S. Communionis ad intentionem specialem in libello supplici memoratam susceptæ;* altera vero indulgentia adnexa est *piæ meditationi præfatæ.*

Qui utramque indulgentiam plenariam acquirere cupit, debet a/ vere pœnitens et confessus b/ S. Communionem suscipere ea intentione ut sæculum vigesimum speciali modo consecretur Sacratissimo Cordi Jesu, c/ præterea meditari paululum infinitam SS. Cordis Jesu charitatem, et d/ bis aliquo temporis spatio ad mentem Romani Pontificis orare.

C. C.

Aide-toi le Ciel t'aidera. — Le relèvement de la condition des ouvriers par l'ouvrier lui-même. — Un mot aux ouvriers et à ceux qui aiment l'ouvrier, par CHARLES BEYAERT, — Bruges, 1900. — Edition de propagande, 48 pages, 35 centimes. — Edition spéciale pour livre de prix 120 pages in 8° (1). — (Même ouvrage en flamand.)

L'auteur persuadé à juste titre que le remède à la crise sociale consiste avant tout dans le retour de la société aux croyances et à la pratique de l'Evangile, insiste particulièrement sur le grand moyen de relèvement de la classe ouvrière: la pratique des vertus chrétiennes au foyer et dans la vie publique. Toutefois, il appelle à bon droit l'attention de l'ouvrier sur les diverses institutions économiques destinées à améliorer le sort matériel des travailleurs. Enfin, il indique en termes heureux les devoirs des classes dirigeantes dans cette grande œuvre de relèvement.

Ce tract est écrit avec une persuasion et une chaleur communicatives. Nous sommes persuadé qu'il est appelé à faire beaucoup de bien, non seulement dans les centres industriels où tant d'ouvriers doivent être ramenés au devoir, mais encore dans les régions où ils ne se laissent heureusement pas entraîner dans les rangs des ennemis de la société et de la religion. D'autre part, les hommes d'œuvres et les propagandistes trouveront dans ce petit volume des traits et des développements très utiles pour leurs conférences. Qu'à l'exemple de l'auteur ils ne craignent pas d'insister sur le côté religieux de la question sociale. Ils le feront avec succès s'ils veulent s'instruire à son école.

A. C.

(1) On donne des réductions importantes pour la propagande, d'après l'importance de la commande.

Pensions de vieillesse. — Utilité et nécessité des pensions. — Affiliation à la Caisse générale de retraite sous la garantie de l'État. — Mutualité de retraite. — Loi du 10 Mai 1900, par A. Van der Moere, avocat. — Etterbeek-Bruxelles 1900, pp. 40, prix 50 centimes (1). (Même ouvrage en flamand).

Quelques mois à peine se sont écoulés depuis la promulgation de la loi sur les pensions de vieillesse et déjà les commentaires et les brochures de propagande foisonnent. Grâce aux nombreux avantages accordés par cette loi aux mutualités et à leurs membres, nous assistons à un mouvement de prévoyance libre tellement intense que les prévisions les plus optimistes sont dépassées. Ce merveilleux mouvement doit certes s'accroître et se généraliser encore. Or, parmi toutes les publications utiles concernant les mutualités de retraite, la brochure que vient d'éditer M. l'avocat Van der Moere mérite une mention toute spéciale. L'auteur a réussi, en effet, à condenser avec une précision vraiment remarquable et dans une quarantaine de pages toutes les dispositions légales et tous les renseignements utiles sur la matière. Nous n'y avons relevé aucune inexactitude, et l'exposé est aussi clair que concis. Aussi recommandons-nous chaudement la lecture et la diffusion de cette excellente publication.

A. C.

(1) Réductions importantes en vue de la propagande.

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIII EPISTOLA ENCYCLICA

DE RE SOCIALI

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES

SALTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Graves de communi re œconomica disceptationes, quæ non una in gente jam dudum animorum labefactant concordiam, crebrescunt in dies calentque adeo, ut consilia ipsa hominum prudentiorum suspensa merito habeant et sollicita. Eas opinionum fallaciæ, in genere philosophandi agendique late diffusæ, invexere primum. Tum nova, quæ tulit ætas, artibus adiumenta, commeatuum celeritas et adscita minuendæ operæ lucrisque augendis omne genus organa, contentionem acuerunt. Denique, locupletes inter ac proletarios, malis turbulentorum hominum studiis, concitato dissidio, eo res jam est deducta, ut civitates sæpius agitatæ motibus, magnis etiam videantur calamitatibus funestandæ.

Nos quidem, pontificatu vix inito, probe animadvertimus quid civilis societas ex eo capite periclitaretur; officiique esse duximus catholicos monere palam, quantus in socialismi placitis lateret error, quantaque immineret inde pernicies, non externis vitæ bonis tantummodo, sed morum etiam

probitati religiosæque rei. Huc spectarunt litteræ encyclicæ *Quod Apostolici muneris,* quas dedimus die XXVIII Decembris anno MDCCCLXXVIII. — Verum, periculis iis ingravescentibus majore quotidie cum damno privatim publice, iterum Nos eoque enixius ad providendum contendimus. Datisque similiter litteris *Rerum novarum,* die XV Maii anno MDCCCXCI, de juribus et officiis fuse diximus, quibus geminas civium classes, eorum qui rem et eorum qui operam conferunt, congruere inter se oporteret; simulque remedia ex evangelicis præscriptis monstravimus, quæ ad tuendam justitiæ et religionis causam, et ad dimicationem omnem inter civitatis ordines dirimendam visa sunt in primis utilia.

Nec vero Nostra, Deo dante, irrita cessit fiducia. Siquidem vel ipsi qui a catholicis dissident, veritatis vi commoti, hoc tribuendum Ecclesiæ professi sunt, quod ad omnes civitatis gradus se porrigat providentem, atque ad illos præcipue qui misera in fortuna versantur. Satisque uberes ex documentis Nostris catholici percepere fructus. Nam inde non incitamenta solum viresque hauserunt ad cœpta optima persequenda; sed lucem etiam mutuati sunt optatam, cujus beneficio hujusmodi disciplinæ studia tutius ii quidem ac felicius insisterent. Hinc factum ut opinionum inter eos dissensiones, partim submotæ sint, partim mollitæ interquieverint. In actione vero, id consecutum est ut ad curandas proletariorum rationes, quibus præsertim locis magis erant afflictæ, non pauca sint constanti proposito vel nove inducta vel aucta utiliter; cujusmodi sunt: ea ignaris oblata auxilia, quæ vocant secretariatus populi; mensæ ad ruricolarum mutuationes; consociationes, aliæ ad suppetias mutuo ferendas, aliæ ad necessitates ob infortunia levandas; opificum sodalitia; alia id genus et societatum et operum adjumenta.

Sic igitur, Ecclesiæ auspiciis, quædam inter catholicos tum conjunctio actionis tum institutorum providentia inita est in præsidium plebis, tam sæpe non minus insidiis et periculis quam inopia et laboribus circumventæ. Quæ popularis beneficentiæ ratio nullâ quidem propria appellatione initio distingui consuevit: *socialismi christiani* nomen a nonnullis invectum et derivata ab eo haud immerito obsoleverunt. Eam deinde pluribus jure nominare placuit *actionem*

christianam popularem. Est etiam ubi, qui tali rei dant operam, *sociales christiani* vocantur: alibi vero ipsa vocatur *democratia christiana*, ac *democratici christiani* qui eidem dediti; contra eam quam socialistæ contendunt *democratiam socialem*. — Jamvero e binis rei significandæ modis postremo loco allatis, si non adeo primus, *sociales christiani*, alter certe, *democratia christiana*, apud bonos plures offensionem habet, quippe cui ambiguum quiddam et periculosum adhærescere existiment. Ab hac enim appellatione metuunt, plus unâ de causa: videlicet, ne quo obtecto studio popularis civitas foveatur, vel ceteris politicis formis præoptetur; ne ad plebis commoda, ceteris tamquam semotis rei publicæ ordinibus, christianæ religionis virtus coangustari videatur: ne denique sub fucato nomine quoddam lateat propositum legitimi cujusvis imperii, civilis, sacri, detrectandi. — Qua de re quum vulgo jam nimis et nonnunquam acriter disceptetur, monet conscientia officii ut controversiæ modum imponamus, definientes quidnam sit a catholicis in hac re sentiendum: præterea quædam præscribere consilium est, quo amplior fiat ipsorum actio, multoque salubrior civitati eveniat.

Quid *democratia socialis* velit, quid velle *christianam* oporteat, incertum plane esse nequit. Altera enim, plus minusve intemperanter eam libeat profiteri, usque eo právitatis a multis compellitur, nihil ut quidquam supra humana reputet; corporis bona atque externa consectetur, in eisque captandis fruendis hominis beatitatem constituat. Hinc imperium penes plebem in civitate velint esse, ut, sublatis ordinum gradibus æquatisque civibus, ad bonorum etiam inter eos æqualitatem sit gressus: hinc jus dominii delendum; et quidquid fortunarum est singulis, ipsaque instrumenta vitæ, communia habenda. At vero democratia christiana, eo nimirum quod christiana dicitur, suo veluti fundamento, positis a divina fide principiis niti debet, infimorum sic prospiciens utilitatibus, ut animos ad sempiterna factos convenienter perficiat. Proinde nihil sit illi justitiâ sanctius; jus potiundi possidendi jubeat esse integrum; dispares tueatur ordines, sane proprios bene constitutæ civitatis; eam demum humano convictui velit formam

atque indolem esse, qualem Deus auctor indidit. Liquet igitur *democratiæ socialis* et *christianæ* communionem esse nullam: eæ nempe inter se differunt tantum, quantum socialismi secta et professio christianæ legis.

Nefas autem sit christianæ democratiæ appellationem ad politica detorqueri. Quamquam enim *democratia*, ex ipsa notatione nominis usuque philosophorum, regimen indicat populare; attamen in re presenti sic usurpanda est, ut, omni politica notione detracta, aliud nihil significatum præferat, nisi hanc ipsam beneficam in populum actionem christianam. Nam naturæ et evangelii præcepta quia suopte jure humanos casus excedunt, ea necesse est ex nullo civilis regiminis modo pendere; sed convenire cum quovis posse, modo ne honestati et justitiæ repugnet. Sunt ipsa igitur manentque a partium studiis variisque eventibus plane aliena: ut in qualibet demum rei publicæ constitutione, possint cives ac debeant iisdem stare præceptis, quibus jubentur Deum super omnia, proximos sicut se diligere. Hæc perpetua Ecclesiæ disciplina fuit; hac usi romani Pontifices cum civitatibus egere semper, quocumque illæ administrationis genere tenerentur. Quæ quum sint ita, catholicorum mens atque actio, quæ bono proletariorum promovendo studet, eo profecto spectare nequaquam potest, ut aliud præ alio regimen civitatis adamet atque invehat.

Non dissimili modo a democratia christiana removendum est alterum illud offensionis caput: quod nimirum in commodis inferiorum ordinum curas sic collocet, ut superiores præterire videatur; quorum tamen non minor est usus ad conservationem perfectionemque civitatis. Præcavet id christiana, quam nuper diximus, caritatis lex. Hæc ad omnes omnino cujusvis gradus homines patet complectendos, utpote unius ejusdemque familiæ, eodem benignissimo editos Patre et redemptos Servatore, eamdemque in hereditatem vocatos æternam. Scilicet, quæ est doctrina et admonitio Apostoli: *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis* (1). Quare propter nativam plebis cum ordinibus ceteris conjunctionem, eamque arctiorem ex chri-

(1) Ephes. IV, 4-6.

stiana fraternitate, in eosdem certe influit quantacumque plebi adjutandæ diligentia impenditur; eo vel magis quia ad exitum rei secundum plane decet ac necesse est ipsos in partem operæ advocari, quod infra aperiemus.

Longe pariter absit, ut appellatione democratiæ christianæ propositum subdatur omnis abjiciendæ obedientiæ eosque aversandi qui legitime præsunt. Revereri eos qui pro suo quisque gradu in civitate præsunt, eisdemque juste jubentibus obtemperare, lex æque naturalis et christiana præcipit. Quod quidem ut homine eodemque christiano sit dignum, ex animo et officio præstari oportet, scilicet *propter conscientiam,* quemadmodum ipse monuit Apostolus, quum illud edixit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (1). Abhorret autem a professione christianæ vitæ, ut quis nolit iis subesse et parere, qui cum potestate in Ecclesia antecedunt: Episcopis in primis, quos, integrâ Pontificis romani in universos auctoritate, *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (2). Jam qui secus sentiat aut faciat, is enimvero gravissimum ejusdem Apostoli præceptum oblitus convincitur: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (3). Quæ dicta permagni interest ut fideles universi alte sibi defigant in animis atque in omni vitæ consuetudine perficere studeant: eademque sacrorum ministri diligentissime reputantes, non hortatione solum, sed maxime exemplo, ceteris persuadere ne intermittant.

His igitur revocatis capitibus rerum, quas antehac per occasionem datâ opera illustravimus, speramus fore ut quævis de christianæ democratiæ nomine dissensio, omnisque de re, eo nomine significata, suspicio periculi jam deponatur. Et jure quidem speramus. Etenim, iis missis quorumdam sententiis de hujusmodi democratiæ christianæ vi ac virtute, quæ immoderatione aliqua vel errore non careant; certe nemo unus studium illud reprehenderit, quod, secundum naturalem divinamque legem, eo unice pertineat, ut qui vitam manu et arte sustentant, tolerabiliorem in statum adducantur, habeantque sensim quo sibi ipsi prospiciant; domi atque palam officia virtutum et religionis libere ex-

(1) Rom. XIII, 1, 5.
(2) Act. XX, 28.
(3) Hebr. XIII, 17.

pleant; sentiant se non animantia sed homines, non ethnicos sed christianos esse; atque adeo ad *unum* illud *necessarium*, ad ultimum bonum, cui nati sumus, et facilius et studiosius nitantur. Jamvero hic finis, hoc opus eorum qui plebem christiano animo velint et opportune relevatam et a peste incolumen socialismi.

De officiis virtutum et religionis modo Nos mentionem consulto injecimus. Quorumdam enim opinio est, quæ in vulgus manat, *quæstionem socialem*, quam aiunt, *œconomicam* esse tantummodo: quum contra verissimum sit, eam moralem in primis et religiosam esse, ob eamdemque rem ex lege morum potissime et religionis judicio dirimendam. Esto namque ut operam locantibus geminetur merces; esto ut contrahatur operi tempus; etiam annonæ sit vilitas: atqui, si mercenarius eas audiat doctrinas, ut assolet, eisque utatur exemplis, quæ ad exuendam Numinis reverentiam alliciant depravandosque mores, ejus etiam labores ac rem necesse est dilabi. Periclitatione atque usu perspectum est, opifices plerosque anguste misereque vivere, qui, quamvis operam habeant breviorem spatio et uberiorem mercede, corruptis tamen moribus nullâque religionis disciplina vivunt. Deme animis sensus, quos inserit et colit christiana sapientia; deme providentiam, modestiam, parsimoniam, patientiam ceterosque rectos naturæ habitus: prosperitatem, etsi multum contendas, frustra persequare. Id plane est causæ, cur catholicos homines inire cœtus ad meliora plebi paranda, aliaque similiter instituta invehere Nos nunquam hortati sumus, quin pariter moneremus, ut hæc religione auspice fierent eâque adjutrice et comite.

Videtur autem propensæ huic catholicorum in proletarios voluntati eo major tribuenda laus, quod in eodem campo explicatur, in quo constanter feliciterque, benigno afflatu Ecclesiæ, actuosa caritatis certavit industria, accommodate ad tempora. Cujus quidem mutuæ caritatis lege, legem justitiæ quasi perficiente, non sua solum jubemur cuique tribuere ac jure suo agentes non prohibere; verum etiam gratificari invicem, *non verbo, neque lingua, sed opere et veritate* (1); memores quæ Christus peramenter ad suos habuit: *Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut*

(1) I Joann. III, 18.

et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem (1). Tale gratificandi studium, quamquam esse primum oportet de animorum bono non caduco sollicitum, prætermittere tamen haudquaquam debet quæ usui sunt et adjumento vitæ. Qua in re illud est memoratu dignum, Christum, sciscitantibus Baptistæ discipulis: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* demandati sibi inter homines muneris arguisse causam ex hoc caritatis capite, Isaiæ excitatâ sententia: *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur* (2). Idemque de supremo judicio ac de præmiis pœnisque decernendis eloquens, professus est se singulari quadam respecturum ratione, qualem homines caritatem alter alteri adhibuissent. In quo Christi sermone id quidem admiratione non vacat, quemadmodum ille, partibus misericordiæ solantis animos tacite omissis, externæ tantum commemorarit officia, atque ea tamquam sibimetipsi impensa: *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me* (3).

Ad hæc documenta caritatis utrâque ex parte, et animæ et corporis bono, probandæ, addidit Christus de se exempla, ut nemo ignorat, quam maxime insignia. In re præsenti sane suavissima est ad recolendum vox ea paterno corde emissa: *Misereor super turbam* (4), et par voluntas ope vel mirifica subveniendi: cujus miserationis præconium extat: *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo* (5). — Traditam ab eo caritatis disciplinam Apostoli primum sancte naviterque coluerunt; post illos qui christianam fidem amplexi sunt, auctores fuerunt inveniendæ variæ institutorum copiæ ad miserias hominum, quæcumque urgeant, allevandas. Quæ instituta, continuis incrementis provecta, christiani nominis partæque inde humanitatis propria ac præclara sunt ornamenta: ut ea integri judicii homines satis admirari non queant, maxime quod tam sit proclive ut in sua quisque feratur commoda, aliena posthabeat.

(1) Joann. XIII, 34-35.
(2) Matth. XI, 5.
(3) Ib. XXV, 35-36.
(4) Marc. VIII, 2.
(5) Act. X, 38.

Neque de eo numero bene factorum excipienda est erogatio stipis, eleemosynæ causâ; ad quam illud pertinet Christi: *Quod superest, date eleemosynam* (1). Hanc scilicet socialistæ carpunt atque e medio sublatam volunt, utpote ingenitæ homini nobilitati injuriosam. At enim si ad evangelii præscripta (2), et christiano ritu fiat, illa quidem neque erogantium superbiam alit, neque affert accipientibus verecundiam. Tantum vero abest ut homini sit indecora, ut potius foveat societatem conjunctionis humanæ, officiorum inter homines fovendo necessitudinem. Nemo quippe hominum est adeo locuples, qui nullius indigeat; nemo est egenus adeo, ut non alteri possit qua re prodesse: est id innatum, ut opem inter se homines et fidenter poscant et ferant benevole. — Sic nempe justitia et caritas inter se devinctæ, æquo Christi mitique jure, humanæ societatis compagem mire continent, ac membra singula ad proprium et commune bonum providenter adducunt.

Quod autem laboranti plebi non temporariis tantum subsidiis, sed constanti quadam institutorum ratione subveniatur, caritati pariter laudi vertendum est; certius enim firmiusque egentibus stabit. Eo amplius est in laude ponendum, velle eorum animos, qui exercent artes vel operas locant, sic ad parsimoniam providentiamque formari, ut ipsi sibi, decursu ætatis, saltem ex parte consulant. Tale propositum, non modo locupletum in proletarios officium elevat, sed ipsos honestat proletarios; quos quidem dum excitat ad clementiorem sibi fortunam parandam, idem a periculis arcet et ab intemperantia coërcet cupiditatum, idemque ad virtutis cultum invitat. Tantæ igitur quum sit utilitatis ac tam congruentis temporibus, dignum certe est in quo caritas bonorum alacris et prudens contendat.

Maneat igitur, studium istud catholicorum solandæ erigendæque plebis plane congruere cum Ecclesiæ ingenio et perpetuis ejusdem exemplis optime respondere. Ea vero quæ ad id conducant, utrum *actionis christianæ popularis* nomine appellentur, an *democratiæ christianæ,* parvi admodum

(1) Luc. XI, 41.
(2) Matth. VI, 2-4.

refert; si quidem impertita a Nobis documenta, quo par est obsequio, integra custodiantur. At refert magnopere ut, in tanti momenti re, una eademque sit catholicorum hominum mens, una eademque voluntas atque actio. Nec refert minus ut actio ipsa, multiplicatis hominum rerumque præsidiis, augeatur, amplificetur. — Eorum præsertim advocanda est benigna opera, quibus et locus et census et ingenii animique cultura plus quiddam auctoritatis in civitate conciliant. Ista si desit opera, vix quidquam confici potest quod vere valeat ad quæsitas popularis vitæ utilitates. Sane ad id eo certius breviusque patebit iter, quo impensius multiplex præstantiorum civium efficientia conspiret. Ipsi autem considerent velimus non esse sibi in integro, infimorum curare sortem an negligere; sed officio prorsus teneri. Nec enim suis quisque commodis tantum in civitate vivit, verum etiam communibus: ut, quod alii in summam communis boni conferre pro parte nequeant, largius conferant alii qui possint. Cujus quidem officii quantum sit pondus ipsa edocet acceptorum bonorum præstantia, quam consequatur necesse est restrictior ratio, summo reddenda largitori Deo. Id etiam monet malorum lues, quæ, remedio non tempestive adhibito, in omnium ordinum perniciem est aliquando eruptura: ut nimirum qui calamitosæ plebis negligat causam, ipse sibi et civitati faciat improvide. — Quod si actio ista christiano more socialis late obtineat vigeatque sincera, nequaquam profecto fiet, ut cetera instituta, quæ ex majorum pietate ac providentia jam pridem extant et florent, vel exarescant vel novis institutis quasi absorpta deficiant. Hæc enim atque illa, utpote quæ eodem consilio religionis et caritatis impulsa, neque re ipsa quidquam inter se pugnantia, commode quidem componi possunt et cohærere tam apte, ut necessitatibus plebis periculisque quotidie gravioribus eo opportunius liceat, collatis benemerendi studiis, consulere. — Res nempe clamat, vehementer clamat, audentibus animis opus esse viribusque conjunctis; quum sane nimis ampla ærumnarum seges obversetur oculis, et perturbationum exitialium impendeant, maxime ab invalescente socialistarum vi, formidolosa discrimina. Callide illi in sinum invadunt civitatis: in occultorum conventuum tenebris ac palam in luce, qua voce qua scriptis, multitudi-

nem seditione concitant; disciplinâ religionis abjecta, officia negligunt, nil nisi jura extollunt; ac turbas egentium quotidie frequentiores sollicitant, quæ ob rerum angustias facilius deceptioni patent et ad errorem rapiuntur. — Æque de civitate ac de religione agitur res; utramque in suo tueri honore sanctum esse bonis omnibus debet.

Quæ voluntatum consensio ut optato consistat, ab omnibus præterea abstinendum est contentionis causis quæ offendant animos et disiungant. Proinde in ephemeridum scriptis et concionibus popularibus sileant quædam subtiliores neque ullius fere utilitatis quæstiones, quæ quum ad expediendum non faciles sunt, tum etiam ad intelligendum vim aptam ingenii et non vulgare studium exposcunt. Sane humanum est, hærere in multis dubios et diversos diversa sentire: eos tamen qui verum ex animo persequantur addecet, in disputatione adhuc ancipiti, æquanimitatem servare ac modestiam mutuamque observantiam; ne scilicet, dissidentibus opinionibus, voluntates item dissideant. Quidquid vero, in causis quæ dubitationem non respuant, opinari quis malit, animum sic semper gerat, ut Sedi Apostolicæ dicto audiens esse velit religiosissime.

Atque ista catholicorum actio, qualiscumque est, ampliore quidem cum efficacitate procedet, si consociationes eorum omnes, salvo suo cujusque jure, unâ eademque primaria vi dirigente et movente processerint. Quas ipsis partes in Italia volumus præstet institutum illud, a Congressibus cœtibusque catholicis, sæpenumero a Nobis laudatum: cui et Decessor Noster et Nosmetipsi curam hanc demandavimus communis catholicorum actionis, auspicio et ductu sacrorum Antistitum, temperandæ. Item porro fiat apud nationes ceteras, si quis usquam ejusmodi est præcipuus cœtus, cui id negotii legitimo jure sit datum.

Jamvero in toto hoc rerum genere, quod cum Ecclesiæ et plebis christianæ rationibus omnino copulatur, apparet quid non elaborare debeant qui sacro munere fungantur, et quam variâ doctrinæ, prudentiæ, caritatis industria id possint. Prodire in populum in eoque salutariter versari opportunum esse, prout res sunt ac tempora, non semel Nobis, homines e clero allocutis, visum est affirmare. Sæpius autem per litteras ad Episcopos aliosve sacri ordinis viros, etiam pro-

ximis annis (1), datas, hanc ipsam amantem populi providentiam collaudavimus, propriamque esse diximus utriusque ordinis clericorum. Qui tamen in ejus officiis explendis caute admodum prudenterque faciant, ad similitudinem hominum sanctorum. Franciscus ille pauper et humilis, ille calamitosorum pater Vincentius a Paulo, alii in omni Ecclesiæ memoria complures, assiduas curas in populum sic temperare consueverunt, ut non plus æquo distenti neque immemores sui, contentione pari suum ipsi animum ad perfectionem virtutis omnis excolerent. — Unum hic libet paulo expressius subjicere, in quo non modo sacrorum administri, sed etiam quotquot sunt popularis causæ studiosi, optime de ipsa, nec difficili opera, mereantur. Nempe, si pariter studeant per opportunitatem hæc præcipue in plebis anima fraterno alloquio inculcare. Quæ sunt: a seditione, a seditiosis usquequaque caveant; aliena cujusvis jura habeant inviolata; justam dominis observantiam atque operam volentes exhibeant; domesticæ vitæ ne fastidiant consuetudinem multis modis frugiferam; religionem in primis colant, ab eaque in asperitatibus vitæ certum petant solatium. Quibus perficiendis propositis sane quanto sit adjumento vel Sanctæ Familiæ Nazarethanæ præstantissimum revocare specimen et commendare præsidium, vel eorum proponere exempla quos ad virtutis fastigium tenuitas ipsa sortis eduxit, vel etiam spem alere præmii in potiore vita mansuri.

Postremo id rursus graviusque commonemus, ut quidquid consilii in eadem causa vel singuli vel consociati homines efficiendum suscipiant, meminerint Episcoporum auctoritati esse penitus obsequendum. Decipi se ne sinant vehementiore quodam caritatis studio; quod quidem, si quam jacturam debitæ obtemperationis suadeat, sincerum non est, neque solidæ utilitatis efficiens, neque gratum Deo. Eorum Deus delectatur animo qui, sententiâ sua postposita, Ecclesiæ præsides sic plane ut ipsum audiunt jubentes; iis volens adest vel arduas molientibus res, cœptaque ad exitus optatos solet benignus perducere. — Ad hæc accedant consentanea virtutis exempla, maxime quæ christianum

(1) Ad Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum, die XXV nov. an. MDCCCLXXXXVIII.

hominem probant osorem ignaviæ et voluptatum, de rerum copia in alienas utilitates amice impertientem, ad ærumnas constantem, invictum. Ista quippe exempla vim habent magnam ad salutares spiritus in populo excitandos; vimque habent majorem, quum præstantiorum civium vitam exornant.

Hæc vos, Venerabiles Fratres, opportune ad hominum locorumque necessitates, pro prudentia et navitate vestra curetis hortamur; de iisdemque rebus consilia inter vos, de more congressi, communicetis. In eo autem vestræ evigilent curæ atque auctoritas valeat, moderando, cohibendo, obsistendo, ut ne, ullâ cujusvis specie boni fovendi, sacræ disciplinæ laxetur vigor, neu perturbetur ordinis ratio quem Christus Ecclesiæ suæ præfinivit. — Recta igitur et concordi et progrediente catholicorum omnium operâ, eo pateat illustrius, tranquillitatem ordinis veramque prosperitatem in populis præcipue florere, moderatrice et fautrice Ecclesia; cujus est sanctissimum munus, sui quemque officii ex christianis præceptis admonere, locupletes ac tenues fraterna caritate conjungere, erigere et roborare animos in cursu humanarum rerum adverso.

Præscripta et optata Nostra confirmet ea beati Pauli ad Romanos, plena apostolicæ caritatis, hortatio: *Obsecro vos... Reformamini in novitate sensus vestri... Qui tribuit, in simplicitate; qui præest, in sollicitudine; qui miseretur, in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono: Caritate fraternitatis invicem diligentes; honore invicem prævenientes: Sollicitudine non pigri: Spe gaudentes; in tribulatione patientes; orationi instantes: Necessitatibus sanctorum communicantes; hospitalitatem sectantes. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: Idipsum invicem sentientes: Nulli malum pro malo reddentes: Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus* (1).

Quorum auspex bonorum accedat Apostolica benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, Clero ac populo vestro amantissime in Domino impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XVIII Januarii anno MDCCCCI, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

LEO PP. XIII.

---

(1) XII, 1-17.

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. V, pag. 660).

ARTICULUS IV.

De omnipotentia Dei.

217. Cum Deus sit actus purus et perfectus, nulla in eo est potentia passiva sed est activa, non quidem ut distincta ab actu seu principium actionis, siquidem actio Dei est ejus essentia, sed ut principium effectus. Et hæc Dei potentia, quæ realiter non distinguitur ab ejus essentia, etiam proinde non differt secundum rem a scientia et voluntate, sed solum secundum rationem, in quantum scilicet potentia importat rationem principii exsequentis id quod voluntas imperat et quod scientia dirigit, quæ tria Deo secundum idem conveniunt. Unde etiam dici posset scientiam vel voluntatem divinam, secundum quod est principium effectivum, habere rationem potentiæ.

Igitur consideratio scientiæ et voluntatis præcedit in Deo considerationem potentiæ, sicut causa præcedit operationem et effectum (1). Ideo post explicatam Dei scientiam, Deique voluntatem ac liberum arbitrium, breviter jam agemus de omnipotentia divina, ut statim deinde transeamus ad ipsam operationem Dei ad extra considerandam, et ita concludamus primum caput præliminare hujus secundæ partis meditationum theologicarum, quo via strata ac plana patebit ad scrutandam, quantum licet, æternam rerum prædefinitionem (2).

218. Cum essentia divina, per quam Deus agit, sit

(1) Cf. S. Thomas, I, q. XXV, art. 1, præs. ad 3m et 4m.
(2) Vid. supra n. 144 et sqq., tom. IV, pag. 139 et sqq.

infinita, sequitur quod ejus potentia sit infinita. Ita S. Thomas, eadem q. XXV, art. 2, ubi ad 2m hæc merito notanda profert: « Manifestum est quod Deus non est agens univocum. Nihil enim aliud potest cum eo convenire neque in specie, neque in genere... Unde relinquitur quod effectus ejus semper est minor quam potentia ejus. Non ergo oportet quod manifestetur infinita potentia Dei in hoc quód producat effectum infinitum. Et tamen etiam si nullum effectum produceret, non esset Dei potentia frustra: quia frustra est quod ordinatur ad finem, quem non attingit. Potentia autem Dei non ordinatur ad effectum, sicut ad finem, sed magis ipsa est finis sui effectus ». — Cæterum, potentia Dei infinita etiam se manifestat, in producendo effectu finito, nempe per creationem, quæ est actio Deo soli propria et requirens virtutem infinitam: « oportet enim universaliores effectus in universaliores et priores causas reducere. Inter omnes autem effectus universalissimum est ipsum esse. Unde oportet quod sit proprius effectus primæ et universalissimæ causæ, quæ est Deus. » (1). Et « si tanto major virtus requiritur in agente, quanto potentia (passiva) est magis remota ab actu, oportet quod virtus agentis ex nulla præsupposita potentia, quale agens est creans, sit infinita: quia nulla proportio est nullius potentiæ ad aliquam potentiam, quam præsupponit virtus agentis naturalis, sicut non entis ad ens (2) ».

219. Est igitur infinita Dei potentia vere omnipotentia, quatenus Deus potest omnia absolute possibilia, id est quidquid rationem entis habere potest, seu quidquid non implicat seu non opponitur rationi entis, quale est solum non ens. Re quidem vera, omnipotens ad efficiendum seu actu essendi donandum quidquid rationem

(1) S. Thomas, 1, q. XLV, art. 5 in corp.
(2) Ibidem, ad 3m.

entis habere potest, et solus quidem omnipotens est, qui ipse ab æterno est actu ipsum esse. Eo enim quod sit ipsum esse actu, seu plenitudo esse, intelligitur tum negative nihil esse independenter ab ipso, secus enim non esset plenitudo esse, tum positive ipsum esse fontem omnis esse extra se. Unde omnipotentia duo importat : absolute, quod plenitudo essendi sit, independens ; relative, fons omnis esse finiti, plane dependentis ab ipso.

Modo vidimus Deum creando manifestasse suam omnipotentiam, non sine fructu utilitatis ac jucunditatis heic inserimus quomodo dicatur Deus omnipotentiam suam parcendo maxime et miserendo manifestare. Quod delectabiliter exponit Angelicus Præceptor duplici in loco.

Primo quidem respondendo quæstioni : utrum misericordia sit maxima virtutum. « Aliqua virtus potest esse maxima dupliciter. Uno modo secundum se, alio modo secundum comparationem ad habentem. Secundum se quidem misericordia maxima est : pertinet enim ad misericordiam quod aliis effundat, et quod plus est, quod defectus aliorum sublevet ; et hoc maxime superioris est. Unde et misereri ponitur proprium Deo. Et in hoc maxime dicitur ejus omnipotentia manifestari. Sed quoad habentem, misericordia non est maxima, nisi ille qui habet sit maximus. Ei enim qui supra se aliquem habet, majus est et melius conjungi superiori, quam supplere defectum inferioris. Et ideo quantum ad hominem, qui habet Deum superiorem, charitas, per quam Deo unitur, est potior quam misericordia, per quam defectus proximorum supplet. Sed inter omnes virtutes, quæ ad proximum pertinent, potissima est misericordia, sicut etiam potioris est actus. Nam supplere defectum alterius, in quantum hujusmodi, est superioris et melioris » (1).

Alter locus Angelici est hac q. XXV, a. 3, ad 3m :

(1) 2. 2, q. XXX, art. 4. Cf. Cajetan. in h. l.

« Dei omnipotentia ostenditur maxime in parcendo et miserendo : quia per hoc ostenditur Deum habere summam potestatem, quod libere peccata dimittit. Ejus enim, qui superioris legi astringitur, non est libere peccata condonare. Vel, quia parcendo hominibus et miserendo perducit eos ad participationem infiniti boni, qui est ultimus effectus divinæ virtutis. Vel quia effectus divinæ misericordiæ est fundamentum omnium divinorum operum. Nihil enim debetur alicui nisi propter id quod est datum ei a Deo non debitum. In hoc autem maxime divina omnipotentia manifestatur, quod ad ipsum pertinet prima institutio omnium bonorum ».

Notemus materiam pulcherrimam instructionis de misericordia, necnon ædificationis propriæ ut opera misericordiæ tum corporalia, tum maxime spiritualia frequenter et perfecte exerceamus, nos præprimis, qui omnipotentiæ Dei in condonandis peccatis participamus, quam miserendo manifestare debemus.

220. Igitur Deus est omnipotens, ita ut de potentia absoluta seu secundum se considerata possit omne illud in quo potest salvari ratio entis. Quoniam autem potentia Dei, quæ est essentia ejus, in re idem est cum sapientia et voluntate divina, si potentia consideratur secundum quod exequitur liberrimam Dei voluntatem, prælucente divina sapientia, non potest esse quod Deus aliqua faciat quæ non præsciverit et præordinaverit se facturum, seu de potentia ordinaria seu ordinata non potest esse quod faciat non præscita ac præordinata, quamvis possit de potentia absoluta alia facere quam quæ præscivit et præordinavit : quia ipsum facere subjacet præscientiæ et præordinationi, non autem ipsum posse, quod est naturale. Ideo enim Deus aliquid facit, quia libere vult ; non ideo potest, quia vult, sed quia talis est in sua natura (1).

Unde simpliciter dicendum est Deum posse alia facere

(1) Cf. hac q. XXV, art. 5, ad 1m.

quam quæ facit. « Nam ordo a divina sapientia rebus inditus... non adæquat divinam sapientiam sic, ut divina sapientia limitetur ad hunc ordinem. Manifestum est autem, quod tota ratio ordinis, quam sapiens rebus a se factis imponit, a fine sumitur. Quando igitur finis est proportionatus rebus propter finem factis, sapientia facientis limitatur ad aliquem determinatum ordinem. Sed divina bonitas est finis improportionabiliter excedens res creatas. Unde divina sapientia non determinatur ad aliquem ordinem rerum, ut non possit alius cursus rerum effluere. Unde dicendum est simpliciter, quod Deus possit alia facere quam quæ facit ». (1).

221. Remanet quæstio an Deus possit meliora facere quam quæ facit, unde etiam resolvetur aliud quæsitum an et quo sensu ordo præsens sit optimus.

Respondetur ad priorem quæstionem cum Doctore Angelico : quoad bonum essentiale rei, Deum non posse facere eamdem meliorem, quia jam non esset res talis ; quoad bonum vero accidentale, potest Deus unamquamque rem facere meliorem. Simpliciter autem loquendo, qualibet re a se facta potest facere aliam meliorem. Nec tamen ex parte facientis, potest melius facere quam facit, quia non potest facere ex majori sapientia et bonitate.

Quod præsens universum attinet, positis istis rebus uti sunt, non potest esse melius propter decentissimum ordinem rebus inditum. Quorum si unum aliquod esset melius, corrumperetur proportio ordinis (2). Et licet sapientia Dei sit infinita, tamen res non sunt capaces nisi ordinis finiti, et ipsa sapientia summa summum dat ordinem quam habere possunt, ut Bonaventura advertit, l. 1, dist. 44, q. 3. Unde posset Deus de potentia absoluta plura vel et meliora huic universo addere, vel posset

(1) Ibid. in corpore. — De hac quæstione, et sequente in num. 221, cum delectatione leges magistrum Hugonem Victorinum, *de Sacram. christianæ fidei*, l. 1, p. II, c. XXII.

(2) Ead. q. XXV, art. 6, in corp. et ad 1m et 3m.

alias res facere et meliores ita ut aliud universum melius effluereret, sed, posito hoc universo, de potentia ordinata non potest plura vel meliora facere, quoniam omnia cum numero, pondere et mensura, perfecta proportione fecit. Et in hoc quidem præsenti statu, attento nempe ordine supernaturali, quædam sunt absolute optima, v. g. « humanitas Christi ex hoc quod est unita Deo, et beatitudo creata ex hoc quod est fruitio Dei, et beata Virgo ex hoc quod est mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus: et ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo ». (1). Cæterum in eodem statu præsenti, plura sunt in certa serie seu certo ordine optima, de quibus infra fusius.

222. Pulchre S. Bonaventura ordinem universi explicat: « Est ordo partium in toto et est ordo partium in finem. Primus ordo respicit sapientiam, secundus ordo respicit bonitatem, et sunt isti duo ordines ita conjuncti ut unus alteri conformetur, et ordo partium in universo est propter ordinationem ad finem. Si autem loquamur de ordine partium in universo, aut hoc est quantum ad partes primas et substantiales, et sic absque distinctione optime sunt ordinatæ, ita quod melius ordinari non potuerint, quia in eis consistit ordo substantialis et pulchritudo universi immutabilis. Vel quantum ad partes corruptibiles et remotas. Et hoc dupliciter. Aut ut absolute et ut nunc: et sic potuerunt melius ordinari, aliquando erunt melius ordinatæ. Aut simpliciter et in relatione ad finem: et sic sunt res optime ordinatæ in universo, secundum quod convenit ordini in finem. Similiter optime ordinatæ sunt res in finem, salvo ordine universi: quia universum est tamquam pulcherrimum carmen, quod decurrit secundum optimas consonantias, aliis partibus succedentibus aliis, quousque res perfecte ordinentur in finem. Unde sicut

(1) Ibid., ad 4^{m}.

in productione rerum manifestatur potentia, sed in comparatione sive in ordine non entis ad ens ostenditur summa potentia ex nihilo; sic ordo rerum in universo in se ostendit sapientiam et ordo ad finem bonitatem, sed in comparatione unius ad alterum ostenditur summa sapientia et summa bonitas: quia nihil potest hunc ordinem deordinare, sicut melius infra patebit » (1), ubi S. Doctor explicat quare Deus mala permittat et quomodo mala vertat in bonum, in *distinctionibus* sequentibus.

Ex dictis habes quomodo vere optimi sit optima adducere, ut ait Dionysius.

223. Finem imponimus huic brevi tractatui de omnipotentia Dei, recitando quæ præclara habet Catechismus Concilii Tridentini, p. I, c. II, in symbolo cur Deus proponatur credendus *Omnipotens*, et quæ sit hujus fidei utilitas:

« Recte autem sapienterque factum parochus ostendat, ut, prætermissis aliis nominibus quæ de Deo dicuntur, hoc unum nobis credendum in symbolo proponeretur. Nam, cum Deum omnipotentem agnoscimus, simul etiam fateamur necesse est eum omnium rerum scientiam habere, omnia item ejus ditioni et imperio subjecta esse. Cum vero omnia ab eo fieri posse non dubitemus, consequens omnino est, ut cetera etiam explorata de illo habeamus; quæ si desint, quo modo omnipotens sit, prorsus intelligere non possumus. Præterea nulla res tam ad fidem et spem nostram confirmandam valet, quam si fixum in animis nostris teneamus, nihil non fieri a Deo posse; quidquid enim deinceps credere oporteat, quamvis magnum et admirabile sit, rerumque ordinem ac modum superet, illi tamen facile humana ratio, postquam Dei omnipotentis notitiam perceperit, sine ulla hæsitatione assentitur: quin potius, quo majora sint quæ divina oracula doceant, eo libentius fidem eis

(1) Lib. I, dist. 44, q. 3.

habendam esse existimat. Quod si boni etiam aliquid expectandum sit, numquam animus rei magnitudine, quam exoptat, frangitur; sed erigit sese atque confirmat, sæpe illud cogitans, nihil esse, quod ab omnipotenti Deo effici non possit. Quare hac fide præcipue munitos nos esse oportet, vel cum admiranda aliqua opera ad proximorum usum et utilitatem edere cogimur, vel cum a Deo precibus impetrare aliquid volumus. Alterum enim ipse Dominus docuit, cum apostolis incredulitatem objiciens diceret: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi hinc illuc, et transibit; et nihil impossibile erit vobis.* (1). De altero autem sanctus Jacobus ita testatus est: *Postulet in fide, nihil hæsitans; qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur: non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.* (2). Multa præterea hæc fides commoda atque utilitates nobis præbet: in primis vero ad omnem animi modestiam et humilitatem nos instituit; sic enim inquit princeps apostolorum: *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei.* (3). Monet etiam non esse trepidandum, ubi non sit timor; sed unum Deum timendum esse, in cujus potestate nos ipsi nostraque omnia posita sunt: ait enim Salvator noster: *Ostendam vobis, quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* (4). Utimur deinde hac fide ad immensa erga nos Dei beneficia cognoscenda et celebranda; nam, qui Deum omnipotentem cogitat, tam ingrato animo esse non potest, quin sæpius exclamet: *Fecit mihi magna, qui potens est* (5). »

(Continuabitur).

---

(1) Matth. 17. 19.
(2) Jacobi 1, 6.
(3) I. Pet. 5, 6.
(4) Luc. 12, 5.
(5) Luc. 1, 49.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Aprilis.

I

Quid intelligis nomine *angelorum septem Ecclesiarum*, de quibus Apoc. I, 20; II et III; probando responsum.

II

Explica cur Beata Maria Virgo, formaliter quatenus est *Mater Dei*, honoretur cultu *absoluto*.

III

Explica quodnam sit munus donorum Spiritus sancti in generali œconomia virtutum supernaturalium?

IV

Explica quo sensu virtutes supernaturales dicantur in medio consistere.

V

Describe effectus Indulgentiæ.

VI

An et qualem censuram incurrit parochus vel sacerdos qui, sine debita licentia, alterius parochiæ sponsos matrimonio jungit aut eis benedictionem nuptialem impertit?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Januarii 1901 propositas.

—

I

Q. Explana Jud. v. 8: *Similiter et hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant.* v. 9. *Cum Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ: sed dixit: Imperet tibi Dominus.* v. 10 *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant: quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.*

R. v. 8. *Similiter* i. e. sicut Sodoma, et Gomorrha, et finitimæ civitates exfornicatæ sunt, et post carnem alteram abierunt (v. 7). Græcè additur μέντοι, *tamen*, i. e. quamvis hæc horrenda divinæ vindictæ documenta coram oculis habeant, iis tamen nihil commoti *et*, etiam *hi*, scilicet pseudodoctores qui subintroierunt (v. 4). Græcè additur ἐνυπνιαζόμενοι, *somniantes*, insomniis immersi, i. e. similes somniantibus ac sopitis, in quibus ratio honesti dormit, sed omnia cogitant et operantur secundum instinctum imaginationis et appetitus animalis, ut bruta animantia.

Unde Clemens Alex. *somniantes* interpretatur eos *qui somniant imaginatione sua libidines et reprobas cupiditates*, quasi dicat Apostolus: Non aliud somniant quam spurcas libidines: toti sunt in illis. — *Carnem quidem maculant*, i. e. corpus suum nefandis libidinibus conspurcant: nam *qui fornicatur*, ait S. Paulus I Cor. VI, 18, *in corpus suum peccat.* S. Judæ concinit S. Petrus Epist. II, cap. II, 10: *post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant.* Hoc autem intelligendum est

de omnigena libidine, etiam contra naturam. — *Dominationem autem spernunt.* Similiter S. Petrus l. c.: *dominationemque contemnunt. Dominationis* nomine alii intelligunt angelos; alii magistratus civiles; alii prælatos ecclesiasticos; alii universalem dominationem Dei qua mundum instituit et gubernat; alii tandem probabilius supremam Christi dominationem, quam contemnebant qui Christo angelos ad Deum mediatores substituebant: hanc S. Paulus vocat *religionem angelorum* Col. II, 18. Favet huic interpretationi v. 4, ubi post taxatam, uti hic, pseudodoctorum *luxuriam*, addit: *et solum Dominatorem, et Dominum nostrum Jesum Christum negantes.* Suffragatur etiam II Petr. II, 1: *introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant.* Abstractum porrò: *dominationem*, pro concreto: *dominum*, hic positum esse, in propatulo est. — *Majestatem autem blasphemant.* Græcè loco *majestatem* in singulari, legitur in plurali δόξας, *glorias, dignitates, majestates.* Pariter in II Petri II, 10: δόξας (*glorias* seu *majestates) non metuunt blasphemantes* seu *blasphemare.* Per *majestates* autem alii utrobique intelligunt majestatem Dei, alii Christum, alii principes civiles, alii præpositos ecclesiasticos, alii demum cælestes virtutes, seu angelos Dei ministros, de quibus, ad eorum injuriam et contumeliam, multa indigna et absurda veteres hæretici confinxerunt. « Probabiliter alludit, ait Van Steenkiste, ad errores Gnosticorum, qui seriem infinitam emanationum ex Deo admittebant, et emanationes illas continuo imperfectiores vocabant *Æones* vel *Angelos.* Quando de Æonibus inferioris ordinis loquebantur, multa dicebant quæ indigna veris Angelis erant, quæque respectu eorum erant *blasphemiæ* ». Expositioni de *Angelis* non parùm favet quod hic v. 9 refertur de Michaële Archangelo, non auso inferre diabolo judicium blasphemiæ, necnon quod II Petri II, 11 immediatè subjungitur de angelis non audentibus portare adversum se execrabile judicium.

v. 9 *Cum Michaël...* Audaciam eorum qui glorias seu Angelos blasphemabant, arguit Apostolus ex comparatione ejus quod fecit Michaël Archangelus. « Porro, ait Estius, argumentum hujus loci tale est: Si Michaël angelorum princeps noluit maledicere diabolo, quamvis pessimo, et æternis suppliciis addicto, ac omnium maledictione dignissimo; sed modestissimè ei restitit, tantùm utens his verbis, *Increpet te Deus:* quæ igitur audacia et superbia est, homines terrenæ fragilisque naturæ, conviciis incessere spiritus illos angelicos qui sunt in cælestibus, et tanti sunt apud Deum, ut *gloriæ* seu *majestates* appellentur? » — *Michaël.* Nomen illud significat: *quis ut Deus?* Erat autem Michaël olim princeps et protector Synagogæ (Cf. Dan. X, 21), uti nunc princeps et custos est Ecclesiæ. *Archangelus* vocatur, non quod sit ex ordine archangelorum, sed quod sit omnium angelorum princeps; namque in Apocalypsi XII, 7 Diabolo seu Gatanæ et angelis ejus opponitur Michaël cum angelis suis; unde in officio ecclesiastico primas cælestis exercitus, atque angelicæ militiæ princeps appellatur. — *Cum diabolo*, i. e. ait Fromondus, « cum Lucifero, sive principe dæmonum, qui specialiter diabolus, id est, calumniator vocatur, quia omne ejus studium est Dei majestatem calumniari, et homines per se vel per suos ministros cacodæmones, ad calumnias et blasphemias similes excitare. Nomen autem diaboli esse ei appropriatum patet ex Matth. 25, v. 41. *Qui paratus est diabolo et angelis ejus:* item Apoc. 12, v. 9. *Serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas* ». — *Disputans altercaretur de Moysi corpore* sive clam sive palam sepeliendo. « Quæritur, ait Estius, quænam aut qualis fuerit hæc altercatio seu disputatio Michaëlis cum diabolo super Moysi corpore. Respondeo colligendum id esse ex iis quæ de morte et sepultura Moysi scribuntur Deut. ult. Ubi cum dixisset Scriptura mortuum esse Moysen servum Domini *jubente Domino,* subjunxit: *Et sepelivit eum* (utique Dominus) *in valle terræ Moab*

contra Phogor: et non cognovit homo sepulchrum ejus usque in hodiernum diem. Quod enim dicitur *Dominus* Moysen sepelivisse, factum intellige (quod præsens locus indicat) ministerio Michaelis archangeli, qui ductor erat populi per desertum, et introductor in terram promissam... Sic autem sepelivit, ut hominibus incognitum maneret ejus sepulchrum. Cujus facti rationem hanc reddunt interpretes, eamque meo judicio verissimam, ne populus Israeliticus, qui ad idololatriam valde propensus erat, corpori Moysis, tanti prophetæ, tam clari signis et prodigiis, et per quem tanta beneficia acceperat, divinos honores impenderet. Hoc quippe diaboli studium erat, obstrepentis occultationi sepulchri, et ex adverso contendentis (quasi qui pro honore Moysi sollicitus esset) tanti viri sepulchrum celebre apud homines ac venerabile esse debere. Hac igitur de re inter Archangelum Michaelem et diabolum altercatio fuit. Cum autem de altercatione Michaelis cum diabolo in Scriptura aut apud Rabbinos nulla fiat mentio, merito conjiciunt Interpretes hanc ex traditione orali à S. Juda desumptam fuisse ». — *Non est ausus*, veritus est, cum tamen posset, sed maluit creatorem in nobilissima sua creatura quantumvis peccatrice, revereri, nimirum ut nobis exemplum daret modestiæ, ne faciles essemus ad maledicendum cuiquam. — *Judicium inferre blasphemiæ*, jacere in eum sententiam maledicti, i. e. maledictum seu convicium.

Conferendus est hic locus cum II Petri II, 11: *Ubi angeli fortitudine et virtute cum sint majores, non portant adversum se execrabile judicium.* Inde enim intelligitur, uti notat Estius « eadem esse hæc duo, *portare judicium execrabile*, et, *inferre judicium blasphemiæ*, sive judicium blasphemum ac maledicum, id est, exsecrari, maledictum impingere, verba maledica ingerere. Quæ maledictio *judicium* vocatur, quia qui maledicit alteri, hoc ipso judicat eum et condemnat, sive convicium dicat, sive mali aliquid imprecetur ». — *Sed dixit* (non maledicendo ei, sed sermone molliori impudentiam et im-

portunitatem ejus comprimendo): *Imperet tibi Dominus.* Græcè: *Increpet te Dominus*, i. e. Deus te coerceat, et conatum tuum prohibèat. Hoc autem non erat maledicere, sed tantum imprecari a Deo maligni conatûs impedimentum. Alludit Auctor ad Zachar. III, 2; « *Increpet Dominus in te, Satan* ».

v. 10 *Hi autem* impii pseudodoctores (v. 4) *quæcumque quidem ignorant*, nimirum glorias seu majestates (v. 8), *blasphemant*, maledictis et conviciis incessunt. Repetit enim Apostolus id quod v. 8 dixerat: *majestatem autem blasphemant;* estque hæc connexio: Michaël angelorum princeps veritus est maledicere nequissimo diabolo: hi autem, homunciones lutei et spurcissimi, ipsos bonos angelos, longè supra ipsos positos, maledictis insectari haud verentur. Consonat II Petri II, 12: *Hi vero... in his quæ ignorant blasphemantes...* Ad hæc appositè notant Interpretes hanc esse hæreticorum indolem, ea quæ non noverunt nec intelligunt, mordere et blasphemare. Pergit autem Apostolus: *Quæcumque autem naturaliter*, i. e. solis sensibus, solo naturæ instinctu, *tamquam muta* (græcè: ἄλογα, irrationalia) *animalia*, *norunt*, notitia sensitiva et experimentali, maximè gustûs et *tactûs*, qualem habent etiam animalia rationis expertia, *in his,* per hæc, nempe per commessationes et ebrietates, et varias libides *corrumpuntur*, sese perdunt totos, nimirum fœdando et vitiando sua corpora et mentes turpi gula et obscenis libidinibus, instar canum et porcorum, imo turpius quam sues et canes; ea namque intelligenda est corruptio, qua dignitas humanæ conditionis in corpore dehonestatur et læditur, quod sanè faciunt peccata carnalia. Hisce repetit et explicat Apostolus quod v. 8 dixerat: *carnem quidem maculant.* Idem occurrit II Petri II, 12: *Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, et in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione suâ peribunt.*

G. V. D. P.

II

Q. *Accurate determina notionem cultus* absoluti *et* relativi.

R. Hæc cultus divisio hîc sumitur in sensu maxime proprio et communiter usurpato, quo scilicet *absolutus* dicitur cultus quando alicui supposito propter propriam sibique insitam excellentiam exhibetur; *relativus* vero quando defertur alicui supposito propter excellentiam alterius, quocum id quod colitur specialem nexum habet. (1)

Hanc definitionem ulterius explicemus: 1/ objectum formale cui seu ratio propter quam cultus tribuitur est aliqua excellentia: si hæc excellentia inest ipsi supposito quod colitur, tunc cultus ibi sistit, et dicitur absolutus; si vero hæc excellentia non inest supposito quod colitur, tunc cultus non ibi sistit, sed ulterius transit ad illud suppositum in quo est excellentia propter quam exhibetur honor, et tunc cultus dicitur relativus. Hæc exemplo illustrari possunt: sanctus colitur propter suam supernaturalem sanctitatem: hæc perfectio ipsi sancto inest: cultus ad sanctum dirigitur et ibi sistit. Sed colitur etiam imago sancti, non propter aliquam excellentiam imagini intrinsecam, sed quia imago repræsentat sanctum, qui honore dignus est propter supernaturalem sanctitatem: inde honor qui imagini defertur non ibi sistit sed ulterius transit ad ipsum sanctum, cui inest excellentia, quæ est ratio formalis propter quam cultus tribuitur, et ad sanctum ultimo terminatur. Inde cultus,

---

(1) Quidam auctores huic divisioni, præter significationem supra expositam, etiam aliam tribuunt, qua nempe *absolutus* diceretur ille solus cultus qui Deo competit ob Ejus imparticipabilem excellentiam, *relativus* vero omnis alius cultus qui creaturæ exhibetur ob ejus a Deo participatam excellentiam. (Cf. Jungmann, De Verbo Incarnato, n. 357; Lambrecht, De Incarnatione, p. 100). Sed ad hanc distinctionem exprimendam melius, ut videtur, dicitur cultus *supremus* et cultus *subordinatus*. Cf. Haine, De Hyperdulia, p. 6.

quo ipse sanctus colitur, est *absolutus*, *relativus* vero cultus qui sancti imagini defertur.

2. Ex præcedentibus liquet rationem differentiæ inter absolutum cultum et relativum esse *diversam terminationem cultus ad objectum:* nempe cultus absolutus ad objectum terminatur ita ut in eo ultimo sistat; relativus vero ad objectum suum terminatur ita ut ulterius transeat ad aliud suppositum.

Præter hanc differentiam, nulla alia est quærenda inter cultum absolutum et relativum. a/ Non est inter illos differentia *specifica:* nam ratio specificans cultum est excellentia propter quam exhibetur honor: jamvero, ut ex supra dictis patet, eadem prorsus excellentia est propter quam et absolutus et relativus defertur cultus. In hoc enim quod cultu relativo colitur *nulla inest excellentia* quæ sit ratio cultus relativi: quod clare indicat Concilium Tridentinum docens « imaginibus debitum honorem et venerationem impertiendam, *non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ.* » (1)

b/ Nec inter absolutum et relativum cultum datur *numerica* differentia, sed idem numero cultus dicitur absolutus vel relativus secundum quod uno vel altero modo ad objectum terminatur: eodem actu, v. gr. quo Christi imaginem colo (relative), ipsum Christum colo (absolute). « Quod iterum plane consonat cum doctrina Concilii Tridentini, (l. c.) dicentis imagines coli « quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; ita ut *per imagines*, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, *Christum adoremus et Sanctos*, quorum illæ similitudinem gerunt, *veneremur.* »

Ex præcedentibus sequitur quod cultus *absolutus* nequit exhiberi nisi *personæ*, sc. supposito intellectualis

(1) Sess. XXV, De invocatione et veneratione et reliquiis Sanctorum, et sacris imaginibus, apud Denzinger, *Enchir.*, n. 861.

naturæ. Cultus enim est exhibito reverentiæ seu actus subjectionis ad agnitam alterius excellentiam : unde non nisi *a persona* tribui potest cultus. Sed persona non potest juxta dignitatem suam se alteri rei submittere nisi ob excellentiam aliquam ordinis intellectualis: quum autem talis excellentia non nisi *personæ* inesse possit, ideo cultus absolutus non nisi *personæ* exhiberi potest.

J. V. D. M.

III

Q. Quonam momento, *ad valorem dispensationis, existere debent causæ allegatæ?*

R. 1°/ Communiter non requiritur ut causæ subsistant *tempore quo supplica Romam mittitur vel ad Episcopum dirigitur.* Ratio est quia conditio, in actu concessionis expressa vel subaudienda, circa veritatem expositorum, non afficit sollicitationem gratiæ, sed ipsam ejus elargitionem. Cæteroquin, uti docet Smalzgrueber, in l. IV Decret., ad tit. XVI, n. 159, « veritas precum ad id solum requiritur, ne dispensatio a rectitudine deficiens sit dissipatio ; talis autem jam non est, quando causa in supplicatione allata, tempore concessionis vera est ». « Hinc si pro causa allegetur quod puella 24^{m} ætatis annum excesserit, sufficit ut id verum sit quando dispensatio conceditur, etsi illam ætatem non attigisset, quando petitio missa fuit ». Theol. Mechl., *De matrim.*, ed. 1894, p. 367 (1).

2°/ Debent existere causæ *momento quo dispensatio*

(1) Advertunt tamen nonnulli, aliter esse loquendum de valore dispensationis, si causa, tempore supplicationis falsa, *malitiose* sit verificata ante tempus concessionis, puta si falso allegata copula, post missas preces, sit admissa eo fine ut preces veritate niterentur tempore concedendæ dispensationis. Cf. Pompen, *Tract. de dispensat.*, n. 111, in nota; Théphany, *Traité des Dispenses,* n. 427; Feye, *De Imped. matr.*, n. 724.

conceditur, uti manifeste continetur in ratione modò subjecta et eruitur ex l. IV Decr., tit. XIV, *De Consanguin.*, Cap. 6°. Unde

a/ ubi agitur de dispensatione *in forma gratiosa*, uti contingit, saltem in diœcesi Brugensi, quotiescumque Episcopus dispensat, opus est, omnium consensu, ut verificentur preces *data qua Litteræ expediuntur*, gratiam gratiose elargientes.

b/ ubi dispensatur *in forma commissoria,* quæ forma est in usu pro dispensationibus Romanis, requiritur et sufficit ut vera sint exposita, *saltem* eo instanti quo *executor dispensationem exequitur seu fulminat* (1).

Quod sub b/ *requiratur* veritas in causis, fulminationis momento, id, quod sciam, diffitetur nemo. Atvero non pauci sunt qui negant id *sufficere* et *ulterius* postulant ut veritate nitantur causæ allatæ etiam quo tempore Romæ Litteræ expediuntur, quibus a Pontifice vel a Maj. Pœnitentiario executori munus committitur cum oratoribus dispensandi. Ita Sanchez, *De matrimon.*, l. VIII, disput. XXX, n. 4 et 15; Carrière, *De matrim.*, n. 1121; Van de Burgt, *Tractat. de Dispens. matrim.*, n. 94; Planchard, *Dispenses matrim.*, n. 191; Théphany, op. cit., n. 427; Theol. Mechl., l. c., in hoc sequens Feye, *De Imped. Matrim.*, n. 724, cui præplacet hæc opinio etsi non negaverit aliam sententiam « posse praxi inservire ».

Quibus non obstantibus, practice tutam censemus sententiam benigniorem, sub b/ propositam, juxta quam *sufficit* preces veritate niti solo momento fulminationis, ita ut falsitas expositorum, tempore quo mandatum est

---

(1) Ita, uti docet Reiffenstuel, in Append. ad l. IV Decr., n. 222, dispensatio esset invalida « si puella, quæ ob defectum dotis petiit et obtinuit Romæ dispensationem, postea, sed antequam delegatus dispensavit, alia via, donatione v. gr., hæreditate etc., sufficientem obtinuit dotem »; item: « casu quo ex causa augustiæ petita ac etiam obtenta est Romæ dispensatio, si ante ejus executionem a delegato factam, æqualis vir mulierem pro matrimonio expetit ».

injunctum, non noceat valori dispensationis. Et sane, uti eruitur ex ipsa notione formæ commissoriæ, de qua tom. V, p. 670, executor est qui dispensat, non dispensationis auctor, qui mere facultatem concedit et mandatum dispensandi. Insuper conditio in rescriptis Romanis sedulò apposita circa precum veritatem, non attingit actum pontificium sed ipsam afficit fulminationem: mandat enim Pontifex ut de precibus diligenter sese informet executor, et, si vera sint exposita, ad dispensationis executionem procedat.

Cui opinioni favent præ cæteris Pyrrhus Conrad., *Praxis dispensat. Apostol.*, l. VII, cap. VI, n. 24 et 25; Reiffenstuel, *Append.* ad l. IV Decret., n. 223; Smalzgr., l. c., n. 162; Giovine, *De Dispensat. matrim.*, tom. I, parte 1ª, p. 117; Santi, in *Append.* ad l. IV Decr., n. 34 et 35; Gasparri, *De Matrim.*, I, n. 353, in nota; Zitelli, *De dispensat. matrim.*, p. 70; Putzer, *Comment. in facult. Apost.*, n. 44; Pompen, op. cit., n. 111.

3°/ Practice licet sequi sententiam quæ tenet dispensationem non irritari et ad matrimonium posse procedi, casu quo causæ, tempore executionis veræ, jam cessant existere ante matrimonium. Cui interpretationi, inter auctores quos, in controversia sub 2°, ad b/, in diversum sensum adduximus, nullum, excepto Sanchez, l. c. n. 74, contradicentem invenimus (1).

Conclusio. Donec contrarium authentice doceamur, censemus, ad dispensationis valorem, *requiri* et *sufficere* ut causæ, existant eo momento quo conceditur dispensatio gratiosa, vel momento quo fulminatur dispensatio in forma commissoria impertita.

A. D. S.

---

(1) Notat tamen Giovine, op. cit., I, p. 121: « verumtamen si dispensatio impertita sit super impedimento inducto a jure divino vel naturali, uti in vinculo matrimonii rati non consummati, aut in voto, si post relaxationis executionem et antequam contrahatur matrimonium, causa omnino cesset, probabilius esse putamus cum Sanchezio, quod etiam dispensationis valor cesset ».

IV

Q. *Expone jus, tum commune, tum diœcesanum, circa necessitatem* sacramentaliter confitendi *ante matrimonii celebrationem.*

R. I. **Jure divino** per se non est imponenda confessio nupturientibus. Est quidem matrimonium sacramentum vivorum, et ideo jure divino est in statu gratiæ suscipiendum, sed præterquam quod in justis gratia supponitur, peccatores graviter rei eam possunt contritione perfecta sibi procurare, et aliunde nullibi positivo præcepto præscribitur ut, in præparationem ad sacramentum matrimonii, *per sacramentalem confessionem* justitiam recuperent, quemadmodum exstat peculiare mandatum in ordine ad S. Communionem suscipiendam.

II. In **jure ecclesiastico communi** pariter desideratur strictum præceptum. Et ita Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. I *De Reformatione matrimonii*, conjuges *hortatur* quidem sed non cogit « ut, antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem (1),

(1) Sanctæ Synodi exhortatio ad confessionem et communionem præcipue dirigitur contra maleficia eorum, qui tunc temporis, uti ferebatur, non raro impediebant coitum vel procurabant sterilitatem mulierum vel abortum; quibus maleficiis in efficax remedium opponebant Patres Tridentini devotam frequentationem sacramentorum, et ideo insistunt ut, si non ante ipsum contractum matrimonialem, saltem triduo *ante consummationem*, ad hanc sese præparent per devotam confessionem et communionem, præ oculis habentes monita angeli Raphaelis ad Tobiam, in libro Tobiæ, cap. VI, sub fine.

Hæc nimirum maleficia, medio ævo sicut et diu postea, reputabantur frequentia, ac variis pœnis plectebantur in plerisque statutis diœcesanis, uti exponitur apud *Nouv. Rev. théol.*, V, p. 304 et seq. In specie inter casus olim pro diœcesi Brugensi reservatos, recensetur in tractatu circa annum 1752 edito, p. 112, *Ligatura* seu ligula, species nempe maleficii, quam flandrice vocabant « den nestelink knopen », gallice « nouer l'aiguillette », qua damnabili et execranda praxi, uti ibidem monetur, « solent homines conjugatos reddere frigidos et maleficiatos, hoc est, ad actum conjugii inidoneos, et faciunt hoc nectendo certam ligulam cum certis verbis quæ proferunt », vel etiam « provocant abortus, partus difficiles, occidunt proles ante Baptismum »; quam praxim auctor reputat tunc fuisse « frequentiorem, præsertim ruri, inter petulantes æmulantesque juvenes quam regulariter homines simplices et timorati sibi queant persuadere ».

peccata diligenter confiteantur et ad SS. Eucharistiæ sacramentum pie accedant ». Rituale autem Romanum, *De sacram. Matrim.*, n. 17, vult ut a parocho « *admoneantur* conjuges ut, antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur et ad SS. Eucharistiam, atque ad Matrimonii sacramentum suscipiendum pie accedant ». Quæ admonitio a parocho facienda, attenta Conc. Trident. disciplina, non importat pro conjugibus verum præceptum, uti fatetur Baruffaldi, *Commentaria ad Rit. Rom.*, tit. XLI, n. 181.

III. **Jure diœcesano**, in diœcesi Brugensi, statuitur: « Moneantur conjugandi, ut saltem triduo ante matrimonii solemnizationem sua peccata confiteantur et pridie communicent. Illos insuper monebit (parochus) ut ante matrimonii celebrationem testimonium adferant de instituta a se sacramentali confessione » cf. *Librum Manualem*, ed. 1ª, p. 166, ubi additur: « Desiderium quoque nostrum est ut, ad vitanda varia incommoda et fructuosiorem procurandam sacramenti Matrimonii susceptionem, RR. DD. Parochi suadeant sponsis accessum ad sacramenta, die qua primum eorum banna proclamabuntur, quæ dies solemnis eis est ».

Non parum profectò inservit utraque hæc confessio opportune instituta ad detegenda occulta impedimenta matrimonio opposita, et signanter ad vitandum casum perplexum, quo nempe, instantibus nuptiis, impedimentum detegitur dirimens.

Porro dubitatur utrum disciplina diœcesana, quoad confessionem matrimonium immediate præcedentem, sit *præceptiva* an vero *directiva et suasiva* tantum. Quod dubium insolutum relinquit *Nouv. Rev. théol.*, V, p. 314. Attamen ex una parte, inspecto tenore, non cogimur in dicta disciplina strictum agnoscere præceptum pro nupturientibus instituendi confessionem, sub pœna prohibitionis a nuptiis; et ex alia parte juris principiis magis conformis est interpretatio, juxta quam statutum nostrum directivum sit dumtaxat et non stricte præceptivum.

Et requidemvera, uti modo vidimus, neque vi juris divini, neque vi juris communis ecclesiastici, matrimonii celebrationi necessario est præmittenda confessio, nec eam omittentes absolute et sine distinctione sunt illico repellendi, putà illi qui nullius peccati mortalis sibi sunt conscii. Jamvero Episcopus non valet nova impedimenta matrimonium impedientia statuere, quemadmodum agnoscit Bened. XIV, *De Synodo diœcesana*, l. VIII, cap. XIV, n. 5.

Cæteroquin ordinationes episcopales et synodales, testimonium de peracta confessione exigentes, non semel in hunc sensum Romæ sunt approbatæ aut moderatæ, ut fidem nimirum confessionis expostulent *ad modum suadentis*, non autem *ad modum cogentis,* nec adeo renuentes a matrimonio excludendos curent. Cf. decr. S. C. de P. F., 21 Sept. 1840 (Collectan., n. 197) (1); collatis decreto ejusdem S. Congr. 17 Apr. 1820 (ibidem in nota, et n. 1521), necnon decr. S. C. C., 28 Aug. 1852, apud *Analecta Jur. Pont.*, I, p. 704 et seq., et apud Bangen, *Instructio practica de spons. et matr.*, II, p. 233 et seq.; Cf. etiam De Becker, *De Spons. et matr.*, p. 257 et 253.

Merito igitur censemus nupturientes confiteri renuentes *per se* et *ex solo hoc capite,* vi dicti statuti episcopalis, a nuptiarum solemnitate non prohiberi, nec, ob hanc solam rationem, a parocho esse arcendos illicò.

Attamen *de facto* rarissime continget quod sponsi sacramentum Pœnitentiæ recipere recusent, quin *aliunde* Episcopo et parocho juridica præsto sit ratio ut obsistant, saltem provisorie, matrimonii celebrationi. Et sane hujusmodi confessionis denegatio vix non semper importabit sacramenti despectum, vel scanda-

---

(1) Sacra scilicet Congregatio, postulata ut probaret decretum in quo exigebatur testimonium peractæ confessionis, respondit: « quoad fidem confessionis, *suadendum* ut exhibeant; sed si renuant non ideo a matrimonio excludendi ».

lum provocabit, vel non procedet nisi ab illis qui alias officia christiana negligere solent et tanquam publice indigni sunt tractandi.

Jamvero jus habet et officium Episcopus, et, proportione servata parochus, obsistendi, infra limites apud *Collat. Brug.*, tom. V, p. 88 et seq., assignatos, matrimonio publici peccatoris vel officia christiana adimplere negligentis, sicut et cuicumque matrimonio, ex cujus celebratione prævidentur vel timentur oriunda scandala vel alia gravia mala. Hac enim ratione, uti argumentatur Bened. XIV, l. c., nullum de novo ponitur impedimentum, sed illud explicatur et inculcatur quo iidem sponsi jam detinentur; et passim auctores, quorum nonnulli ibidem citantur, non solum in Episcopo sed in parocho facultatem agnoscunt impediendi, saltem ad tempus, matrimonium ex aliqua rationabili causa, putà ad sedandum scandalum, donec causa auferatur vel cesset. Cf. De Becker, op. cit., p. 251-253 et p. 275-278; Gasparri, *De Matrim.*, I, n. 197 et seq.; Bangen, l. c.

Occurrente igitur casu quo parochus obviam habet nupturientes quorum alteruter vel uterque confiteri renuit, *ordinarie* et *plerumque* sunt tractandi juxta normam sequendam cum peccatoribus publicis, quæ norma exponitur apud *Collat.*, V, p. 88 et seq. Nimirum, si tempus sit, parochus opportune consulet Episcopum; si autem res moram non patiatur, putà si ex improviso sese præsentent statim contracturi, absque confessionis fide, illos non admittet nisi proportionata de causa, juxta ibidem notata.

A. D. S.

V

Q. *Expone præcipua statuta legis civilis Belgicæ circa* consensum parentum *ante matrimonium requisitum.*

R. I. Quoad **Legitime natos**:

A/ *Ante ætatem 21 annorum plene adeptam*,

1°/ Filius et filia nequeunt matrimonium civile valide (1) inire absque prævio consensu parentum (2); ita tamen ut

a/ dissentiente matre, sufficiat consensus patris

b/ defuncto patre vel matre, vel alterutro absente, vel ad voluntatem manifestandam impedito, sufficiat unius consensus (3).

2°/ Utroque parente defuncto vel absente vel ad manifestandam voluntatem impedito, requiritur consensus avorum vel aviarum, ea rursus lege ut

a/ dissentiente avia sufficiat consensus avi in respectiva linea, materna vel paterna, et

b/ dissensus inter ascendentes unius et ascendentes alterius lineæ æquivaleat consensui (4).

3°/ Si deficiunt parentes et avi et aviæ (et, uti videtur, etiam proavi et proaviæ), vel absunt, vel voluntatem suam declarare non valent, requiritur consensus consilii familiæ (5).

Circa quæ **nota**

1°/ Consensus, de quo supra, vel præstatur oraliter

---

(1) Defectus consensus præscripti non reddit matrimonium civile *inexistens*, sed *nullum* in sensu a jure nostro civili intento, nempe locum dat actioni in nullitatem a judice pronuntiandam, quæ actio competit personis art. 182 et 183 determinatis, infra limites ibidem delineatos. Cf. Ill. ac Rev. Waffelaert, *De Justitia*, I, n. 350 et 351.

(2) Art. 148, modifié par la loi du 8 Mai 1896, art. 1er, Moniteur 1896, p. 1753. Ante 1896 *filius* (non filia) expositæ disciplinæ erat obnoxius usque ad ætatem *25 annorum*.

(3) Art. 149 du Code, modifié par la loi du 18 Mai 1896, art. 2.

(4) Art. 150 du Code, remanié par la même loi de 1896, art. 3.

(5) Art. 160 du Code, modifié par la même loi de 1896, art 7.

coram officiali civili, ipso contractus momento, vel consignatur in actu authentico, lequel acte « contiendra les prénoms, nom, profession et domicile du futur époux, et de tous ceux qui auront concouru à l'acte, ainsi que leur degré de parenté ». Art. 73.

« En cas d'indigence, l'acte de consentement prescrit par l'art. 73 du Code civil pourra être reçu par l'officier de l'état civil du domicile ou de la résidence de l'ascendant, et à l'étranger, par les autorités, qui ont compétence pour recevoir cet acte, par les agents diplomatiques, les consuls et vice-consuls de Belgique ». (1)

2°/ Le dissentiment dont il est question au 1° et au 2°/ « peut être constaté par acte notarié, par exploit d'huissier, par procès-verbal dressé par l'officier de l'état civil, ou par lettre de refus adressée à ce dernier par la mère (2).

3°/ L'impossibilité dans laquelle se trouve l'ascendant de manifester sa vonlonté « peut être constatée par une déclaration faite par le futur époux, dont l'ascendant est incapable, et par quatre témoins majeurs de l'un ou de l'autre sexe », dans les conditions déterminées pour la constatation de l'absence (3).

4°/ « L'absence de l'ascendant, dont le consentement... est requis, est constatée par la représentation du jugement, qui aurait été rendu pour la déclarer, ou à défaut de ce jugement, de celui qui aurait ordonné l'enquête. S'il n'est point

---

(1) Loi du 16 Août 1887, art. 4, interprètée par la loi du 26 Déc. 1891. (Monit., 1887, p. 2685 et Mon., 1891, p. 3829).

(2) Cf. *Revue Communale*, Juillet 1896, p. 198, sub 5/, ubi exponitur alius modus quo constare posset de dissensu matris vel aviæ.

(3) Art. 149, amendé par la loi de 1896. « Il va de soi, disait M. Woeste, (Chambre des Repr., Séance du 27 Mars 1896, *Ann. Parlem.*, p. 981-982) que la déclaration dont parle la rédaction nouvelle qui nous est soumise ne constituera pas l'unique moyen d'établir l'impossibilité de manifester la volonté des parents. Je suppose, par exemple, que le père ou la mère soit atteint d'aliénation mentale ; il est manifeste qu'on pourra, soit par un jugement d'interdiction, soit par un certificat médical constater l'impossibilité dans laquelle ils se trouvent de manifester leur volonté.

En d'autres rermes la disposition qui est proposée ne constitue qu'un moyen nouveau destiné à faciliter aux parties la possibilité de constater que leurs parents sont incapables de manifester leur volonté ».

intervenu pareils jugements, il y est suppléé par une déclaration faite sous serment par le futur époux dont l'ascendant est absent, et par quatre témoins majeurs de l'un ou de l'autre sexe. Cette déclaration atteste que la demeure de l'ascendant est inconnue et que, depuis plus de six mois il n'a plus donné de ses nouvelles. Elle peut être faite au moment de la célébration du mariage, devant l'officier de l'état civil, qui en fera mention dans l'acte.

Elle peut également être reçue avant cette célébration par l'officier de l'état civil du domicile ou de la résidence de l'un des futurs époux ou de l'un des témoins. Elle peut être faite simultanément par le futur époux ou séparément par chacun d'eux. L'officier de l'état civil dresse procès-verbal de la prestation de serment et de l'affirmation tant du futur époux que des témoins ».

B/ *Post ætatem 21 annorum plene adeptam,*

1°/ Non jam indigent *consensu*, sed tenentur (1), per actum reverentialem et formalem, *petere consilium patris et matris.*

2°/ Si dicti parentes voluntatem suam manifestare non valent, ad nihil jam obligantur filius et filia (2).

3°/ Si non obtinetur consensus hac ratione sollicitatus, potest nihilominus ad matrimonium procedi *post mensem* (3).

Attamen, antequam filius vel filia attigerunt ætatem 25 annorum, pater vel, hujus defectu, mater possunt, infra spatium 15 dierum inde a notitia ipsis facta computandum, actui reverentiali legaliter obsistere (4).

---

(1) Omissio actus reverentialis prævie ad matrimonium præstandi, reddit contractum civilem *illicitum* tantùm.

(2) Art. 141 du Code, remanié par la loi de 1887, art. 3 et par la loi de 1896, art. 4.

(3) « Il va de soi que, lorsque le consentement du père aura été obtenu par un enfant majeur, il pourra être *immédiatement* procédé à la célébration, sans attendre l'expiration d'un mois à partir de la notification de l'acte respectueux à la mère ». Rapport de la commission spéciale de la ch. des Repr. — *Docum. parlem.*, 1896, p. 72.

(4) Art. 152 et 153, modifiés par la loi de 1887, art. 3, et par la loi de 1896, art. 4. Avant 1887 les articles 152 et 153 portaient : « Depuis la

4°/ Eximuntur ab obligatione consilium petendi filius et filia inopes, quorum parentes non habent notam sedem in Belgio; post *mensem*, inde a dictæ absentiæ legali notificatione, possunt ad matrimonium devenire (1).

Quocirca **nota**

1°/ « L'acte respectueux sera notifié... par deux notaires, ou par un notaire et deux témoins; et dans le procès-verbal qui doit en être dressé, il sera fait mention de la réponse ». Art. 154 du Code civil. « Le futur époux qui justifie de son indigence peut faire dresser l'acte respectueux par l'officier de l'état civil de son domicile ou de sa résidence. Cet acte doit être notifié dans la huitaine au père ou à la mère par l'officier de l'état civil du domicile ou de la résidence de ceux-ci ou par son délégué. A cet effet l'officier de l'état civil qui dresse l'acte respectueux doit, le cas échéant, en transmettre immédiatement une copie certifiée conforme à l'officier de l'état civil du domicile ou de la résidence du père ou de la mère » (2).

2°/ Circa modum quo constare debeat de impossibilitate manifestandi voluntatem applica dicta sub A/, nota 3° et 4°.

3°/ Le recours qui est ouvert aux père et mère contre l'acte respectueux, si le fils ou la fille n'a pas 25 ans accomplis, « est formé par assignation à jour fixe devant le tribunal civil de 1re instance du domicile ou de la résidence de l'enfant.

« Le délai de comparution est de huitaine; le jugement n'est pas susceptible d'opposition, mais il peut être frappé d'appel dans la quinzaine du prononcé, s'il est contradictoire,

---

majorité fixée par l'art. 148, jusqu'à l'âge de 30 ans accomplis pour les filles, l'acte respectueux... sur lequel il n'y aurait pas de consentement au mariage, sera renouvelé deux autres fois, de mois en mois; et un mois après le 3e acte, il pourra être passé outre à la célébration du mariage ». — « Après l'âge de 30 ans, il pourra être, à défaut de consentement sur un acte respectueux, passé outre, un mois après, à la célébration du mariage ».

(1) Loi de 1887, art. 3, et loi de 1896, art. 4.

(2) Loi de 1896, art. 4.

ou de la signification, s'il est par défaut; le délai de comparution devant la cour est de huitaine.

« Le tribunal et la cour instruisent la cause d'urgence et entendent le procureur du roi ou le procureur général en chambre du conseil; ils statuent en séance publique. Le ministère des avoués n'est pas requis; les parties sont tenues de comparaître en personne; elles peuvent se faire assister d'un conseil.

« Si les motifs du refus sont reconnus fondés, le juge ordonne de surseoir à la célébration du mariage (1) ».

4°/ Le fait que le père ou la mère n'a pas de demeure connue en Belgique « sera attesté sous serment par le futur époux, dont l'ascendant n'a pas de demeure connue en Belgique, et par 4 témoins majeurs de l'un ou de l'autre sexe.

« Cette attestation sera reçue par l'officier de l'état civil du domicile ou de la résidence de l'un des futurs époux ou de l'un des témoins. Elle pourra être faite simultanément par le futur époux et les témoins ou séparément par chacun d'eux.

« L'officier de l'état civil dressera procès-verbal de la prestation de serment et de l'affirmation tant du futur époux que des témoins. Copie de ce procès-verbal sera envoyée, dans les trois jours, au procureur du roi » (2).

5°/ « Les pouvoirs conférés aux officiers de l'état civil par les art. 148, 150, 153 et 155, sont exercés, à l'étranger, par les agents diplomatiques, consuls et vice-consuls de Belgique » (3).

II. Circa illegitime natos:

A/ *Legitimati,*

1°/ *ante ætatem 21 annorum* indigent *consensu parentum*, iisdem sub restrictionibus quæ habentur sub I, A, ad 1°/; defuncto autem utroque parente vel ad manifestandam voluntatem impedito, postulatur consensus non avorum et aviarum, sed *tutoris ad hoc*. Art. 158 et 159.

2°/ *post ætatem 21 annorum,* subsunt legislationi legitime natorum. Ibidem.

---

(1) Loi de 1896, art. 4.
(2) Ibidem.
(3) Loi de 1896, art. 5.

B. Pro *non legitimatis,* ætatem 21 annorum nondum plene adeptis, requiritur prævius consensus *tutoris ad hoc*, ac nihil ultra. Art. 159.

A. D. S.

VI

Quænam in administratione Extremæ Unctionis specialiter servanda, tum quoad unctiones, tum quoad preces et ritus præscriptos, casu quo ægrotus in extremis laborat et periculum est ne moriatur, antequam unctiones omnes finiantur?

R. 1° In casu necessitatis, quando timetur ne ægrotus decedat ante finitas unctiones, si sacramentum cum omnibus ritibus et precibus administretur, omittuntur preces quæ unctiones præcedunt usque ad orationem *Exaudi nos* inclusive, juxta Rubricam Ritualis positam tit. V, cap. 2 *Ordo administrandi Extremam Unctionem*, n° 6: « Quæ orationes, si tempus non patiatur, ex parte, vel in totum poterunt omitti »; præmissa ergo Confessione generali vel saltem Absolutione, si opus sit (Rit. l. c. n° 4), incipitur à recitatione *Confiteor:* « de more, pergit Rub. n° 6, facta Confessione generali, latino vel vulgari sermone sacerdos dicat *Misereatur* etc., *Indulgentiam* etc. » et « mox dicat: *In nomine Patris* etc. »

2° Si autem periculum instantis mortis nec has preces recitare permittat, sacerdos statim, his omissis, incipit unctiones, prout disponit Rubrica, Tit. V, cap. I, *de Sacr. Extr. Unct.*, n° 10: « Si quis autem laborat in extremis, et periculum immineat, ne decedat antequam finiantur unctiones, cito ungatur, incipiendo ab eo loco: *Per istam sanctam unctionem etc.*, ut infra *(cap. II, n. 8)*.

In utroque casu, si ægrotus supervivat, orationes omissæ supplendæ sunt immediate post unctiones rite

factas, usque ad *Confiteor* exclusive (1), deinde recitantur preces quæ unctiones subsequuntur, juxta eamdem rubricam (cap. I, nº 10) supra citatam et sequentem : « deinde, si adhuc supervivat, dicantur orationes prætermissæ, suo loco positæ. Si vero dum inungitur, infirmus decedat, Presbyter ultro non procedat, et prædictas orationes omittat ».

3º Si autem tempus non suppetat, aut, quod idem est, si timetur, ne moriatur ægrotus antequam unctiones quinque sensuum sub formulis unicuique sensui propriis finiri possint, (postremæ unctiones pedum et renum certe non sunt necessariæ ad validam sacramenti confectionem), Theologi communiter docent (2) in casu unicam posse fieri unctionem (juxta plures sub conditione), in aliquo sensu vel parte corporis magis exposita et consultius in capite, in fronte, sub forma universali omnes sensus complectente : « Per istam sanctam unctionem etc. indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per *sensus*, visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum. Amen. » « Quæ forma compendiosa, ut ait Baruffaldus (Tit. XXVII, nº 125), ob casum necessitatis, utique valet sed à Rituali non indicatur, et a consuetudine est tantummodo introducta et approbata. » Verbum *deliquisti* præmittitur, ne eo postposito, si interim infirmus moriatur, irrita prorsus fuerit peracta unctio (3). Additur etiam verbum *sensus*, quia, cum generalis forma forte sufficiat, sacramentum probabiliter jam valeret, etiamsi infirmus decederet ante singulorum sensuum expressionem. Ita certe esset agendum in necessitatis casu, quo nisi unum organon vel membrum attingi posset. Sed quum sententia docens unicam

---

(1) De Herdt, tom. III, n. 287; Ill. Vanderstappen *de admin. Sacram.* q. 253.

(2) Cfr. O'Keane *Explication des Rubriques du Rituel Romain*, nº 870; S. Alphons. lib. VI, nº 710; Bened. XIV *De Syn. Diœc.* lib. VIII, cap. III, 4 et 5.

(3) Bucceroni *de Extr. Unct.* nº 869; S. Alph. l. c.

unctionem sufficere ad essentiam Sacramenti non sit certa, ideo in casu unicæ unctionis factæ, si æger supervivat et jam reliqua organa sensuum attingi valeant, hæc singula ungi debent modo ordinario sub forma unicuique propria, sub conditione. Conditio autem sive expressa, sive mentalis est: *si non valeat unctio facta* vel alia æquivalens. (1)

Si autem in instanti periculo caput vel organa quinque sensuum attingi possunt, *tutior* et in praxim deducendus modus traditur ab auctoribus: sub forma scilicet generali semel recitata omnes sensus *distincte* complectente, sub concepta conditione (ut ait Suarez Disp. 41, Sect. III, nº 8), celeriter liniuntur absque signo crucis (quod essentiale non est) alterutrum ex organis paribus (ad valorem enim unius ex paribus organi unctio sufficit) et reliqui sensus; ad vocem *sensus* minister ungit frontem, ad vocem *visum* oculum, ad vocem *auditum* aurem et sic porro singulos sensus (Lehmkuhl P. II, L. I, Tract. VI, cap. I, § 2, V). Quidam indicant maxillam pro sensu tactus ungendam, sed ut notat O'Keane, (l. c., nº 872) sæpe ipsa manus eodem tempore recipere potest unctionem. « Hoc modo ministrando sacramentum videtur tam brevi tempore perfici posse, ut cuilibet necessitati moraliter occurrenti sufficienter subveniatur » (2). Notandum est loca inuncta abstergi duntaxat post omnes unctiones factas, nec ordinem unctionum in Rituali indicatum esse de essentia et consequenter eum inverti posse si necessitas postulet. De modo indicato administrandi sacramentum dicit Lehmkuhl l. c. « vix non moraliter certo valere unctionem, » et addit: « Quam formulam, in instanti periculo adhibere summopere suadendum est, atque ita quidem, ut forma prolata jam sensum quemdam completum habeat ante singulorum sensuum expressionem (probabile enim est dictis

(1) O'Keane l. c. nº 873.
(2) Suarez tom. XXII, disp. 41, sect. III, nº 7.

verbis « deliquisti per sensus » factaque unctione in fronte tanquam in summa omnium sensuum sede, sacramentum jam valere ; multo etiam probabilius, postquam celeriter modo explicato singuli sensus uncti fuerint.) Inclinandum tamen est, saltem si ægrotus alia sacramenta secure suscipere non potuit, in repetitionem conditionalem unctionum singularum sub suis formis particularibus. Nam licet internam rationem nullitatis Sacramenti vix ullam videam, extrinsecus accita auctoritas aliquorum Theologorum, qui de valore talis modi *dubitanter* loquuntur, ratio sufficiens est, cur Sacramentum, quod adeo necessarium esse possit, *conditionate* repetatur. (Subdubitant enim de valore Reuter, Gury, Mazzotta, Lacroix, Coninck, Suarez). » (1)

Post unctiones rite factas, si infirmus supervivat, preces omissæ supplendæ sunt ut superius diximus.

4° « Si, dum inungitur, infirmus decedat, presbyter ultra non procedat et prædictas orationes omittat. Quodsi dubitet an vivat adhuc *(prout sæpe contingere potest, cum difficile sit certo scire momentum præcisum mortis),* unctionem prosequatur sub conditione pronuntiando formam, dicens: *Si vivis, per istam sanctam unctionem etc.* » Rit. l. c. cap. I, n. 11 et 12. Rubrica videtur supponere sacerdotem administrare Sacramentum faciendo unctiones in diversis organis modo ordinario. Sed ex superius dictis concludendum est, juxta doctrinam Theologorum, ipsum, statim ac dubitet de morte, debere immediate facere unam unctionem sub forma *generali* et sub conditione *si vivis,* dein, resumendo a loco quo pervenit, ungere sub eadem conditione singulos sensus sub forma generali expressos (2).

H. V. D. W.

(1) Cfr. etiam Aertnys lib. VI, tract. VI, n. 357; O'Keane l. c., n. 873.
(2) O'Keane l. c, n. 875.

De Privilegiis Jubilæi.

Per constitutionem *Temporis quidem sacri* (1), 25 Decembr. 1900, ad universum catholicum orbem extenso Jubilæo Anni Sancti, plenissima conceditur indulgentia omnibus christifidelibus lucranda, ea lege ut peculiaria quædam opera adimpleant, quæ in ejusdem Constitutionis priori parte accurate describuntur, nonnullis admissis mitigationibus opportunis de quibus aliàs agetur speciatim. Præsens tractatio unice spectat alteram laudatæ Constitutionis partem, in qua (inde a p. 107, sub fine) confessariis indulgentur facultates amplissimæ, quibus varia impedimenta, fideles a pleniori consecutione indulgentiæ retardantia, e medio tollere valeant, facta simul fidelibus licentia sibi eligendi, servatis servandis, confessarium in ordine ad lucrandum Jubilæum. Porro ab hoc altero privilegio ordimur.

CAPUT PRIMUM

De Facultate eligendi Confessarium.

I/ **Moniales** earumque novitiæ, ad effectum lucrandi Jubilæi, possunt eligere confessarium quemcumque, ad excipiendas *monialium* confessiones ab actuali Ordinario loci approbatum.

Explicatur.

1°/ Intelliguntur moniales *stricte dictæ*, votorum scil. solemnium; inter quarum censum non connumerantur nostræ religiosæ Belgii, etiam illæ quæ profitentur in illis religionibus quæ ex jure communi vota solemnia habent, uti v. gr. Carmelitæ. Cfr. De Brabandere-Van Coillie, *Comp. Juris Canon.*, n. 576.

Quæ interpretatio nititur tum ipsa voce « monialis », quæ communiter solis appropriatur votorum solemnium

(1) *Collat. Brug.*, VI, p. 105 et seq.

professis, tum distinctione providè servata inter moniales et reliquas religiosas in Bullis RR. Pont. de hac materia tractantium, quemadmodum sponte apparet in Bullis Benedicti XIV: *Paterna Charitas* (1), conferendo § 1 cum § 8; *Benedictus Deus* (2), conferendo § 3 cum § 4; *Celebrationem* (3), § 9; necnon in Constitutione Leonis XIII, *Æterni Pastoris* (4), imo in ipsa Bulla præsenti, collato alinea secundo, p. 107 cum alinea tertio. Favet autem responsum S. Pœnitentiariæ 11 Jan. 1900 (5).

Cæterum si hæc disciplina applicaretur universim religiosis votorum simplicium, esset potius libertatis coarctatio quam extensio, cum, coram jure communi Pontificio, solæ moniales stricte dictæ debeant confiteri confessario *speciali* approbatione munito.

2°/ Dicitur: « possunt eligere confessarium ad audiendas confessiones *monialium* approbatum ». Unde non sufficit simplex approbatio *pro sæcularibus* utriusque sexus, sed *specialiter* debent approbari confessarii, ab illis eligendi, in ordine ad excipiendas confessiones *monialium*.

Attamen contra jus statutum in Constit. Clementis X, *Superna*, per præsentes, dictis monialibus fit facultas eligendi confessarium approbatum pro monialibus *monasterii non sui*, vel pro monialibus *in genere*. Et sane, uti ratiocinatur Bened. XIV, *Convocatis*, § 11 « si monialibus necesse esset confessarium pro earum dumtaxat monasterio approbatum eligere, frustraneum fere

---

(1) Parvum Bullarium Bened. XIV, tom. VIII, p. 178.

(2) Ibidem, p. 194.

(3) Ibidem, p. 206.

(4) *Collat. Brug.*, V, p. 42.

(5) Ad quæstionem propositam a Cardinali Vicario circa religiosas votorum simplicium, S. Pœnitentiaria respondit: « ad moniales quoque simplicia vota professas spectare beneficia Bullæ *Æterni Pastoris*, eisque licere confessarium sibi semel eligere ex *simpliciter* approbatis ad audiendas confessiones personarum sæcularium ». *Analecta Eccles.*, VIII, p. 25.

remaneret privilegium hoc tempore eisdem concessum ». *P. Bullarium Bened. XIV*, VII, p. 337.

3°/ Dicitur : « ab *actuali Ordinario loci* ». Nimirum

a/ *ex una parte* non proficit approbatio obtenta ab actualis Ordinarii prædecessore quovis, ab actuali Episcopo non confirmata, et *ex alia parte,* quod prima fronte mirum videtur, sat communiter non requiritur ut approbatio illa specialis ab actuali Ordinario concessa adhuc perseveret, ita ut sacerdoti suffragetur approbatio pro monialibus olim accepta, licet revocata, modò nunquam ob demerita, quæ ipsas confessiones spectant, expresse fuerit reprobatus. Hoc enim ultimum aperte docet Bened. XIV, ibidem, a cujus Pontificis interpretatione, in hac materia, non est recedendum, juxta responsum S: Congr. Indulg. 6 Febr. 1852 (1), donec illi non adversatur Bulla Jubilæi. (2). Cf. etiam resp. *S. Pœnitentiariæ*, 10 Martii 1850, apud Loiseaux, *Traité théorique et pratique du Jubilé*, p. 365.

b/ *Ordinarius loci* intelligitur Ordinarius loci *in quo confessiones excipiuntur* ad normam principii generalis in jure communi admissi, et juxta expressam declarationem Benedicti XIV, *Celebrationem*, § 10, urgentis dictum juris principium etiam pro tempore Jubilæi.

4°/ Dicitur : « ad effectum lucrandi Jubilæi ». Hoc autem importat moniales præsenti libertate, præter juris communis limites, eligendi confessarium, uti non posse nisi in ordine ad lucrandum Jubilæum et cum animo serio et sincero indulgentiam Jubilæi consequendi et opera necessaria adimplendi.

II. **Regulares**, quos rursus intellige regulares stricte dictos, cum votis solemnibus, possunt, quin ad hoc indigeant superioris licentia, in ordine ad Jubilæum, eligere vel

---

(1) *Nouv. Rev. théol.*, XVIII, p. 27.

(2) Sic. in Bulla Jubilæi 1886, electio erat facienda *ex actu approbatis*, cui tenori adversatur interpretatio Benedictina. Cf. N. R. th., XVIII, p. 28.

1°/ presbyterum tam *sæcularem* quam *cujusvis ordinis* et instituti etiam diversi *regularem*, ab *Ordinario loci* ad audiendas personarum *sæcularium* confessiones approbatum; vel

2°/ confessarium *regularem* « *proprii* ordinis... a *Prælato regulari* ad *suorum religiosorum* audiendas confessiones approbatum » (1).

Quod statutum firmum ratumque est habendum non obstantibus « privilegiis, indultis et Litteris Apostolicis (variis Institutis et Ordinibus) concessis, præsertim in quibus caveatur expresse, quod alicujus Ordinis, Congregationis et Instituti professores extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur (2): quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio facienda, vel alia exquisita forma ad id servanda foret, hujusmodi tenores pro insertis et formas pro exactissime servatas » habens, pro hac vice et ad præmissorum effectum dumtaxat plenissime sese derogare monet Pontifex; cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Ex Bulla Leonis XIII, § *Præsentes Litteras*, p. 110.

III. **Christifideles** utriusque sexus reliqui omnes, tam laici quam ecclesiastici, non exceptis mulieribus religiosis vota simplicia professis (3), tertiariis, oblatis,

(1) Hæc moderantur disciplinam in pluribus anterioribus Bullis ac etiam in Constit. *Æterni Pastoris* pro Anno Sancto 1900, hucusque servatam, vi cujus regulares, *si volebant frui favoribus et privilegiis confessario electo concessis*, debebant eligere presbyterum approbatum ad Ordinario, denegata facultate eligendi confessarium regularem à Prælato approbatum, qua moderatione simul occurritur difficultati practicæ, quam memorat Loiseau, op. cit., p. 357. Cf. decisiones S. Pœnitentiariæ circa Jubilæum 1875, n. III, apud *Nouv. Rev. théol.*, VII, p. 338, collato tom. XVIII, p. 69, 91 et 103.

(2) Cf. Const. Bened. XIV, *Inter præteritos*, § 35 et § 36.

(3) Non refert utrum pertineant ad consociationem diœcesanam, seu Episcoporum approbationem dumtaxat nactam, vel ad sodalitatem cujus Sedes Apost. vel leges recognovit vel institutum commendavit

puellis et mulieribus in monasteriis piisque domibus vitam communem agentibus, possunt « ad eumdem effectum sibi eligere quemcumque presbyterum confessarium tam sæcularem quam... regularem ab Ordinario actuali loci ad audiendas personarum *sæcularium* (utriusque sexus) confessiones approbatum », Ex Bulla extensionis, p. 108.

Exceptio. Nulla prorsus pœnitenti competit facultas eligendi confessarium *complicem in peccato turpi,* cui confessario manet, etiam favente Jubilæi tempore, subtracta jurisdictio in ordine ad pœnitentem complicem ab hujusmodi crimine absolvendum, ad tramites disciplinæ statutæ a Bened. XIV in Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ* et Constit. *Apostolici Ministerii* (1); in hunc namque sensum expresse mentem suam aperit Leo XIII, in præsenti Bulla, monens se nolle « ulli confessario facultatem tribuere absolvendi complicem in quolibet inhonesto contra sextum præceptum peccato; aut complici licentiam impertiri eligendi confessarium hujusmodi ad effectum præsentium ».

Quocirca **Nota:**

1°/ Approbatio Ordinarii loci, quam supra vidimus in

(Constit. Leonis XIII, *Conditæ,* apud *Collationes,* hoc tomo, p. 97); ad illas, quæcumque sint, absolvendas non opus est sacerdoti electo *speciali* illa approbatione, quæ, ordinario tempore, ab Episcopo Brugensi exigitur ad valorem pro claustratis, ad liceitatem pro reliquis. Huic conclusioni ex dictis sub I logice deductæ contradicit *Canoniste Contemporain;* 1900, p. 245, necnon Theol. Mechl., *De Indulgentiis,* ed. 1897, p. 68, post Lehmk., *Theol. Mor.,* II, n. 550; quorum interpretationi nobis contradicenti faventes invenimus nonnullas Epistolas pastorales pro variis diœcesibus, occasione hujus Jubilæi, editas, et signanter priores Litteras pastorales pro diœcesi Metensi, quas Litteras mox subsecuta est altera Epistola priorem sententiam practice retractans.

(1) Pro ampliori intelligentia hujus disciplinæ severioris remittimus ad *Collat. Brug.*, IV, p. 77 et seq., quo loco latius exponuntur conditiones quæ verificentur oportet ad hoc ut confessarius complex jurisdictione careat in pœnitentem complicem, juxta interpretationem quam menti et tenori Constitutionis Benedictinæ conformiorem putamus, et quam, occasione data, conabimur vindicare contra illam impugnantem *Nouv. Rev. théol.*, XXXI, p. 143 et seq.

sacerdote requiri ad hoc ut eligi valeat, et electus privilegiis Jubilæi existat munitus, non postulatur ut *expresse detur in ordine ad Jubilæum*, seu in favorem fidelium qui gratiam Jubilæi consequi intendunt. Hoc enim obtinet dumtaxat quando hujusmodi approbatio explicite exigitur a R. Pontifice, quemadmodum contigit, secus ac nunc, pro Jubilæis 1851 et 1858, uti testatur *Nouv. Rev. théol.*, XIII, p. 258-259, collato Loiseaux, op. cit., p. 327-329.

2°/ Quæ dicta sunt de necessitate approbationis Episcopi loci intellige ad normam principiorum generalium, juxta quæ illi qui gaudent jurisdictione *ordinaria* illa approbatione non egent, ac valent in confessarios, etiam in ordine ad Jubilæum, eligi a respective subditis, ubicumque ipsos versari contingit.

3°/ Confessarii approbati in diœcesi in qua non viget Jubilæum utpote ab Episcopo nondum canonice promulgatum vel jam extinctum, possunt eligi a pœnitentibus advenientibus ex alia diœcesi in qua Jubilæum ex promulgatione Episcopali jam vigorem obtinet. Quod plane consentaneum est principiis generalibus, circa exercitium jurisdictionis sacramentalis, ac ab illis solis logice negaretur qui approbationem specialem pro Jubilæo necessariam esse contendunt.

CAPUT SECUNDUM.

De Facultatibus Confessarii.

Antequam a facultatum, quæ hujus Jubilæi tempore confessariis conceduntur, descriptione incipiamus, utile ducimus nonnulla præmittere principia quæ dictarum facultatum interpretationem et usum regunt ac moderantur. Porro iterum monemus in hoc commentario non agi de facultate Ordinariis concessa, commutandi, per medios confessarios, opera ad lucrandum Jubilæum præscripta, sed de facultatibus dumtaxat directe confessario electo impertitis ad auferenda varia impedi-

menta quibus fideles a pleniori Indulgentiæ consecutione retardentur, de facultatibus scilicet absolvendi a censuris et casibus reservatis, commutandi vota ac dispensandi ab irregularitate et ab impedimentis matrimonii. Sit igitur

ARTICULUS PRIMUS.

De Facultatibus Confessarii in genere.

I/ Eo ipso quod sacerdos debitis in conditionibus a pœnitente in confessarium eligitur, *ipso facto* peculiaribus facultatibus Jubilæi potitur relate ad pœnitentem a quo eligitur.

II/ Ad hoc ut per dictam electionem ipsi obveniant illa privilegia, oportet, juxta superius jam notata, ut a pœnitente eligatur **in ordine ad lucrandum Jubilæum**, ab habente scilicet animum serium et sincerum Indulgentiam consequendi et opera ad id præscripta adimplendi.

Hujusmodi intentio expressis verbis expostulatur in tenore nostræ Bullæ extensionis § *Cæterum siqui*, p. 110, et antea plus semel fuit declarata necessaria, signanter a Benedicto XIV in variis supra laudatis Bullis (1), necnon in responsis S. Pœnitentiariæ (2).

Attamen, subdit Leo XIII in citata paragrapho, « siqui post obtentas absolutiones a censuris, aut votorum commutationes seu dispensationes prædictas, serium illud ac sincerum ad id aliàs requisitum propositum ejusdem Jubilæi lucrandi, ac cætera necessaria opera adimplendi mutaverint ; licet propter id ipsum a peccati reatu immunes vix censeri possint, nihilominus hujusmodi absolutiones, commutationes et dispensationes ab ipsis cum prædicta animi dispositione obtentas, in suo

---

(1) Cf. Bullas *Convocalis*, § 24 ; *Inter præteritos*, § 62 ; *Benedictus Deus*, § 6 ; *Celebrationem*, § 8.

(2) Ita responsa 1 Junii 1869, apud N. R. th., I, 566 ; 15 Januarii 1886, ibidem, XVIII, p. 18.

vigore persistere decernimus ac declaramus ». Cf. etiam Bened. XIV, *Convocatis*, § 54; *Inter præteritos*, § 86, ac *Monita* circa usum facultatum, excerpta et edita a S. Pœnitentiaria 1 Nov. 1899 (*Analecta Ecclesiastica*, 1899, p. 497), ad § XX, ubi idem ac in nostra Bulla Leonis XIII enuntiatur principium circa sic elargitas absolutiones, exceptis utique illis « *quæ datæ sint ad reincidentiam* » (1).

III. **Quoties** autem confessarius, Jubilæi tempore, dictis facultatibus erga eumdem pœnitentem uti valeat, quæstio est in diversum sensum agitata, ad cujus solutionem en quæ proponenda opinemur:

Duplicem nimirum distinguimus *hypothesim*; vel enim pœnitens ad ipsum accedens jam lucratus est Indulgentiam Jubilæi, omnibus ad id præscriptis operibus rite adimpletis, vel non:

In 1ª hypothesi, ulterius nequit confessarius erga ipsum facultatibus uti Jubilæi, sive in confessione ad Jubilæum lucrandum instituta illis privilegiis fruitus sit pœnitens, sive non.

Primum sat communiter admittitur et cæteroquin non semel authentice fuit declaratum et aperte docetur in *Monita*, § XIX.

Alterum, hujusmodi nempe pœnitentem jam non posse frui favoribus Jubilæi, etiamsi illorum nondum factus fuerit particeps, illud, inquam, deducere non dubitamus ex ipsis dispositionibus Constitutionis nostræ Pontificiæ.

Et profectò, uti modò vidimus, non conceduntur privilegia *nisi intuitu Indulgentiæ lucrandæ*, ad hoc scil. ut omnia ad illam impedimenta e medio tolli queant, et ideo solis suffragantur pœnitentibus confessarium adeuntibus cum animo serio et sincero lucrandi Jubilæum et opera injuncta implendi.

---

(1) Ita concessa censetur *ad reincidentiam* facultas absolvendi violantes clausuram monialium ad malum finem, necnon regulares a suo ordine apostatas vel fugitivos. Cf. *Monita*, § VI et IX.

Jamvero cum ex una parte, ex hypothesi, supponantur Jubilæi Indulgentiam jam lucrati, et ex alia parte, vi tenoris Bullæ extensionis, non possit Indulgentia lucrifieri nisi *semel* (1), ulterius nequeunt fideles confessarium eligere et confessionem instituere ad effectum lucrandi Jubilæi, nec ulterius possunt habere requisitum propositum illud assequendi, adeoque inepti existunt qui rursus privilegiis Jubilæi fruantur.

Hanc sententiam tenendam ducimus non obstante auctoritate plurium Auctorum etiam modernorum, qui confidenter docent pœnitentem in casu posse ulterius favorum Jubilæi participem reddi, Jubilæo licet jam adepto, quia nondum illis gratiis est usus, quibus semel fruendi omnibus fidelibus copia est facta (2). Ita, inter alios, Loiseaux, op. cit., p. 126 et seq., p. 405 et seq., et p. 650; collatis *Nouv. Rev. théol.*, I, p. 555 et seq.; VII, p. 469; VIII, p. 303; XIII, p. 260; Haine, *Théol. Moralis,* ed. 3ia, IV, p. 340; *Revue Ecclesiastique de Metz,* 1901, p. 98; quibus accedere videtur, licet minus clare loquatur, Bastien, *Tractatus de Jubilæo Anni Sancti*, 1901, p. 158-159.

Aliud esset si Indulgentia Jubilæi posset *pluries* obtineri, uti contigit pro Jubilæo Anni Sancti 1900, quo durante præsto erat Indulgentia lucranda *pluries* Romæ, et *bis* extra Urbem pro personis privilegiatis; hoc namque supposito ultro concedimus fideles qui, 1a vice qua Jubilæum acquirunt, favoribus non indigent, eis posse frui in confessione instituta in ordine ad Jubilæi Indul-

---

(1) Cf. Bullam initio.

(2) Quinimo sunt inter antiquiores nonnulli, ut Gobat, *De Jubilæo*, Tract. XXXII, a. 243, dico III; Ferraris, V° Jubilæum, art. II, n. 24 et 51, qui contendunt hæc privilegia hujusmodi pœnitentibus posse suffragari ultra terminum Jubilæo assignatum, etiam post decem et viginti annos. « Et ratio est, ait, Ferraris, l. c., n. 51, quia Jubilæum semel obtentum dat jus omni tempore, etiam post Jubilæum, eligendi confessarium pro iis gratiis acquirendis quæ tempore Jubilæi obtineri poterant, et tamen obtentæ non fuerunt; tale enim privilegium non est alligatum tempori, sed natura sua est perpetuum ».

gentiam denuo consequendam: uti cæteroquin expressis verbis habetur in *Monita* § XIX, et authentice fuit declaratum a S. Pœnitentiaria, 1 Jan. 1873, pro Jubilæo tunc vigente (*Nouv. Rev. théol.*, XVIII, p. 62); in qua declaratione additur, in confirmationem interpretationis propositæ, ad hoc ut Titius, de quo quæritur, hucusque privilegia Jubilæi nondum factus particeps, posset a reservatis absolvi, oportere ut rursus opera præstet (vel saltem præstare intendat), quæ ad Jubilæum consequendum injuncta sunt (1).

In 2ª hypothesi, potest confesarius in ordine ad Jubilæum electus, illis facultatibus uti erga pœnitentem, sive huic jam profuerint dictæ facultates sive non, adeo ut, toto Jubilæi tempore, privilegiis Jubilæi possint frui fideles indistinctim, *donec, adimpletis omnibus operibus Jubilæi, Indulgentiam sint consecuti.*

Cui propositioni contradicunt Auctores admodum multi (2), facultatem favoribus Jubilæi fruendi concedentes quidem pœnitenti nondum illorum favorum participi effecto, eam vero denegantes fidelibus, qui, postquam privilegiis usi sunt, ad confessarium redeunt, *etiam ante operum executionem,* ut absolutionem, commutationem vel dispensationem expostulent.

Nimirum nimis urgent verba Bened. XIV, interpretantis vocem « *hac tantum vice* », in Bulla *Convocatis*, § 52 (3).

---

(1) Alia est quæstio, quæ infra movebitur, utrum illi qui inculpabiliter omiserunt peccata reservata in confessione, possint, post acquisitum Jubilæum, ab eis, sublata reservatione, per communem confessarium absolvi.

(2) Cf. Auctores citatos apud Loiseaux, op. cit., p. 128, 408 et 647, collatis N. R. th., I, p. 554 et seq.; VII, p. 229; XI, p. 101; XIII, p. 262; XVIII, 56 et seq. Ibidem etiam docetur per usum unius facultatis minime exhauriri facultates reliquas et posse v. gr. absolutum a censuris adhuc dispensari in irregularitate etc.

(3) Declaratur « neminem posse nisi semel, id est prima tantum vice, frui, seu potiri favoribus huic Jubilæo adjunctis » et additur: « quare post primam vicem nullus gaudere amplius poterit beneficio aut absolu-

Præterea provocant ad varia responsa Romana, signanter S. Congr. Indulg., 10 Julii 1869 (N. R. th., I, p. 577), et S. Pœnitentiariæ 1 Junii 1869 (N. R. th., I, p. 566); 25 Jan. 1875 (N. R. th., VII, p. 111); 26 Febr. 1879 (N. R. th., XI, 137); 25 Martii 1881 (N. R. th., XIII, 158); et præ cæteris anni 1875, apud *Acta S. Sedis,* VIII, p. 359, ubi ad quæstionem: « an confessarii absolvere possint pœnitentem qui jam a reservatis et a censuris absolutus in ea denuò inciderit, antequam opera impleverit ad Jubilæum acquirendum præscripta? » respondetur: « virtute Jubilæi posse una vice tantum absolvi a reservatis et a censuris; seu negative ».

Atvero, pro præsenti saltem Jubilæo, rem dirimit in sensum modò propositum novissima declaratio S. Pœnitentiariæ, quæ, mandante SS° D^nu^, die 25 Jan. 1901, *affirmative* respondit ad dubium: « An tempore præsentis Jubilæi liceat Confessariis pluries uti facultatibus extraordinariis eisdem concessis erga eumdem pœnitentem, qui nondum omnia opera injuncta adimplevit ad Jubilæi indulgentiam lucrandam ».

Quæ cæteroquin declaratio conformior videtur toti œconomiæ in hac materia vigenti: et sane congruum videtur ut variæ facultates, utpote quæ dantur intuitu indulgentiæ Jubilæi, atque ad hoc ut hæc plenius et facilius obtineatur, congruum, inquam, videtur, ut prodesse valeant pœnitentibus usque ad ipsam indulgentiæ consecutionem, nec adeo denegentur fidelibus, ante operum impletionem, relapsis v. gr. in peccata reservata jam absoluta, eo vel magis quod nova ipsis imponatur confessio instituenda si Jubilæi gratiam sibi comparare velint. Cf. *Monita,* § XIV.

Cæterum allatum S. Pœnitentiariæ responsum textui

---

tionum a novis censuris et casibus reservatis de novo fortasse contractis, aut commutationum aut dispensationum in facultatibus superius positis contentarum ».

Bened. XIV haud ægre accommodatur, præ oculis habita interpretatione quam ipse laudatus Pontifex proponit in Bulla *Inter præteritos,* § 84, et quam adhuc illustrant *Monita* XIX : « qui semel illarum gratiarum particeps factus est prima vice *qua Jubilæum consecutus est seu omnia præscripta opera implevit,* iterum earum particeps fieri non poterit, si *post primam Jubilæi acquisitionem,* iterum in censuras incurrerit, aut casus reservatos commiserit, vel novis votorum dispensationibus aut commutationibus indigeat ». Non obscure enim innuitur illum dumtaxat a favoribus excludendum fore, qui *postquam omnia injuncta opera impleverit,* iterum censuras incurrerit etc.

Conclusio ad III/: Potest confessarius electus facultatibus Jubilæi uti erga pœnitentem, quotiescumque illis indigeat, donec opera implevit et Jubilæum adeptus est; nullatenus vero ultra.

IV/ Confessarius nequit a censuris absolvere, dispensare et vota commutare nisi **in actu sacramentalis confessionis tantùm.** Id non eruitur ex hoc solo quod sint impertiendæ « in foro dumtaxat conscientiæ » (1), quia de se extrasacramentaliter possunt concedi hujusmodi absolutiones et dispensationes pro solo foro interno valentes, sed quia, uti ratiocinatur Theodorus a Spir. S°, *Tractatus de Jubilæo,* cap. IX, § III, n. 13 « juxta mentem S. Pont. connectitur (clausula inserta) cum absolutione a peccatis quæ conferri non potest nisi intra Pœnitentiæ sacramentum ».

Confirmatur ex oppositione quæ habetur ad facultatem commutandi opera pro Jubilæo injuncta, quæ commutari posse declarantur « etiam extra sacramentalem confessionem ». Accedunt præterea declarationes Bened. XIV: *Convocatis,* § 25; *Inter præteritos,* § 62, collato *Convocatis,* § 40. Cf. N. R. th., XVIII, p. 63-64.

---

(1) Omittimus argumentum quod forsan deduci posset ex usu vocis *in* loco vocis *pro,* quæ infra semper usurpatur.

Quocirca *nota*.

1°/ Ad analogiam illorum quæ olim sunt dicta de dispensationibus matrimonialibus vi rescripti vel indulti, in actu sacramentalis confessionis impertiendis, non requiri ad usum facultatum Jubilæi ut confessionem sacramentalis absolutio consequatur. Quamobrem si contingat absolutionem sacramentalem differri, et aliunde urget necessitas censuras relaxandi vel dispensationem elargiendi aut voti commutationem, id posset confessarius si aliunde bene sit dispositus pœnitens et omnia ad Jubilæum requisita observare intendat: posset tunc postea per communem confessarium a suis peccatis, censura sublata et reservatione, sacramentaliter absolvi (1).

2°/ Absolutiones a censuris et dispensationes pœnitentibus non suffragantur *pro foro externo,* adeo ut coram foro fori, si in publicam notitiam veniant censuræ vel irregularitates vel impedimenta, possint a judice ecclesiastico haberi tanquam non absoluti vel dispensati, attento tamen monito Bened. XIV, quod apud *Collat. Brugenses*, V, p. 352, in nota, retulimus. Cf. etiam N. R. th., XVIII, p. 65.

V. Ad tempus quod spectat, quo durante confessarii facultatibus muniantur extraordinariis, limitatur ad tempus quod patet lucrandæ Indulgentiæ, adeoque, in casu, ad sex menses a die publicationis in qualibet diœcesi faciendæ computandos; quod rursus, contra Auctores de quibus p. 205, in nota, sponte sequitur ex eo quod dictis privilegiis non valeant frui nisi in ordine ad Jubilæum lucrandum. Excipitur casus quo Jubilæum in gratiam certarum personarum prorogatur, quemadmodum obtinet in nostra Bulla pro navigantibus et iter facientibus (2).

---

(1) In hunc etiam sensum loquitur Beringer, *Les Indulgences*, tom. I, p. 497, n. 70.

(2) Hæc prorogandi facultas, anno 1881, indulgebatur in gratiam illo-

VI. Quoad **locum** in quo privilegiis gaudeant iidem confessarii jubilares, attendendi sunt limites approbationis ab Episcopo loci concessæ, nec adeo excedere possunt confessarii territorium pro quo respective sunt approbati confessarii in diœcesi, nisi peculiari statuto, in ordine ad Jubilæum, limites extendi contingat, exceptis semper parochis relate ad parochianos, quos ubique iidem absolvere valent.

(Sequetur).

A. D. S.

rum qui carcere, infirmitate corporis, aut alia qualibet justa causa ab implendis, tempore opportuno, operibus impediebantur. Cf. Theol. Mechl , op. cit., p. 66.

Fabriques d'église

Séance légale du mois d'Avril.

Les *conseils* de fabrique sont tenus de se réunir au premier dimanche d'Avril (art. 10 du décret du 30 Décembre 1809). — Dans cette séance, après avoir complété, s'il y a lieu, le conseil et le bureau par le remplacement des membres décédés, démissionnaires etc., on procède à l'élection des dignitaires du conseil, soit du président et du secrétaire (art. 9 du décret), ainsi qu'au remplacement ou à la réélection du marguillier le plus ancien en exercice (art. 11, 15 et 17 du décret).

Le même dimanche, le *bureau* des Marguilliers doit s'assembler aux fins de nommer son président, son secrétaire et son trésorier. (Cfr. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et jur. can.-civ. comp.* (ed. 1899), tom. II, n. 1034).

Pour plus amples renseignements sur les opérations de cette séance légale, voir *Collat. Brug.* T. I, p. 205; T. II, p. 143; T. III, p. 178.

Cfr. *Calendarium liturgicum* ad usum diœcesis Brugensis an. 1901, p. 114, sub VII.

Ex Secretaria Brevium

Conceduntur Indulgentiæ ad promovendum cultum S. Donatiani.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam. Cum, sicut Nobis exponendum curavit Venerabilis Frater Gustavus Josephus, Episcopus Brugensis, in suo Cathedrali templo nuper fidelium venerationi propositum sit simulacrum S. Donatiani Episcopi, præfati templi titularis nec non diœcesis ac civitatis Brugensis cœlestis Patroni, Nos, ut fidelium pietas erga ipsum gloriosissimum Præsulem magis magisque amplificetur, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. Ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis ex utroque sexu fidelibus, qui admissorum Confessione expiati atque Angelorum Pane refecti Cathedralem eamdem ecclesiam die quartadecima mensis Octobris, qua festum agitur S. Donatiani, vel uno quo cuique eorum libeat ex septem continuis immediate subsequentibus diebus, quotannis visitaverint, ibique ante Sancti ipsius statuam pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo ex hisce die id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iisdem vero fidelibus, corde saltem contritis, quo per annum die ante dictum simulacrum ter Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam et invocationem « *Sancte Donatiane, ora pro nobis* » devote recitent, in forma Ecclesiæ solita de pœnalium dierum numero ducentos expungimus. Denique largimur fidelibus ipsis liceat, si malint, plenaria ac partialibus hisce indulgentiis functorum vita labes pœnasque expiare. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Præsentibus in perpetuum valituris. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXVI Januarii MDCCCCI, Pontificatus Nostri Anno Vigesimotertio.

Pro Dno Card. MACCHI,
N. Marini, Subs.

L. ✠ S.

Ex S. Pœnitentiaria

Dubia circa Jubilæum ad universum orbem extensum.

I. An tempore præsentis Jubilæi liceat Confessariis pluries uti facultatibus extraordinariis eisdem concessis erga eundem pœnitentem, qui nondum omnia opera injuncta adimplevit ad Jubilæi indulgentiam lucrandam?

SS^{mus} respondendum mandavit: Affirmative.

II. An in locis ubi processiones in viis publicis non permittuntur, possint, ad effectum reducendi visitationum numerum, processionibus æquiparari coadunationes corporum moralium et aliorum fidelium qui in designatis Ecclesiis, hora præstituta, sub proprii Moderatoris et respective sub proprii Parochi vel alterius Sacerdotis ab eo deputati ductu, colliguntur, ut ibidem una simul visitationes peragant?

SS^{mus}, attentis præsentium temporum adjunctis, ex speciali gratia benigne indulget ut, in locis in quibus processiones non permittuntur, visitationes prout exponitur peractæ habeantur tamquam processionaliter factæ.

III. An pro iis qui degunt in locis ab Ecclesia Parochiali valde dissitis possit ab Ordinario alia Ecclesia vel publicum Oratorium facilioris accessus ad visitationes peragendas designari?

R. De speciali gratia SS^{mi}: Affirmative.

IV. An sex menses ad quos extensum est Jubilæum extra Urbem debeant necessario esse continui, vel possint ab Ordinario interpolari et dividi per partes infra annum?

R. Affirmative ad 1^{am} partem: negative ad 2^{am}. Nihilominus SS^{mus} benigne indulget ut Ordinarii, interveniente gravi et legitima causa, possint pro suo prudenti arbitrio semestris tempus in partes dividere; ita tamen ut una tantum vice Jubilæum acquiri valeat, licet opera ipsa injuncta possint distribui per designatos ab Ordinario menses.

V. Nonnullis Episcopis gratiam implorantibus ut unica Confessione et Communione satisfieri possit præcepto Eccle-

siæ et operi injuncto ad Jubilæum lucrandum, SS^mus^ minime annuendum censuit.

Datum Romæ in S. Pœnitentiaria die 25 Januarii 1901.

S. Card. VANNUTELLI pœnitentiarius major.
R. Celli *S. Pœnitentiariæ Substitutus.*

Ex S. R. et U. Inquisitione

Circa absolutionem a censuris S. Sedi reservatis, in casu urgentiori.

Beatissime Pater,

Relate ad censurarum absolutionem Summo Pontifici reservatarum, S. C. R. et U. Inquisitionis, die 9 Novembris 1898 sequentia decrevit: « Quando neque confessarius neque pœnitens epistolam ad S. Pœnitentiariam mittere possunt, et durum sit pœnitenti adire alium confessarium, in hoc casu liceat confessario pœnitentem absolvere etiam a casibus S. Sedi reservatis absque onere mittendi epistolam. »

His statutis, Episcopus N. N. ad pedes S. V. provolutus, humiliter expostulat: An, ut onus epistolam mittendi cesset, scribendi impedimentum adstringere debeat confessarium simul et pœnitentem; vel sufficiat, sicuti aliqui interpretati sunt, quod pœnitens scribendi impar, eidem confessario a quo vi decreti 1886 et 1897 absolutus fuerit, se præsentare nequeat, et ipsi durum sit alium confessarium adire; licet confessarius absolvens, pro pœnitente, epistolam ad S. Sedem mittere posset.

Quod et Deus, etc.

Feria IV, die 5 Septembris 1900.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab EE^mis^ et RR^mis^ DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus habita, exposito prædicto dubio, præhabitoque RR. DD.

Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Sequenti vero feria VI, die 7 ejusdem mensis et anni, in solita audientia SS^mi^ D. N. Leonis Div. Prov. Pp. XIII a R. P. D. Adsessore habita, SS^mus^ resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI, *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

Adnotationes. Occasione præsentis decreti juvat uno conspectu exponere, variis ex documentis collectam, integram disciplinam servandam pro absolutione a censuris Rom. Pontifici reservatis, in casibus urgentioribus, signanter quoad onus pœnitenti imponendum recurrendi infra mensem ad S. Sedem.

Nimirum, vi decreti C. S. O., 23 Junii 1886, quotiescumque confessarius debita facultate non munitus a censuris etiam *simpliciter* tantum Papæ reservatis absolvit, in casibus urgentioribus (1), pœnitenti sic absoluto debet onus imponere recurrendi, infra mensem, ad S. Sedem ac standi ejusdem mandatis, idque sub pœna reincidentiæ in easdem censuras (2). Cf. decr. C. S. O., 17 Junii 1891 et 13 Jan. 1892, apud N. R. th., XXIV, p. 158 et 170.

Porro dicto oneri *triplici ratione* potest fieri satis: vel 1°/ recurrendo ad ipsam S. Sedem seu ad Majorem Pœnitentiarium, a quo rescriptum expostuletur conces-

---

(1) Illi intelliguntur casus urgentiores, « in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiæ », juxta decretum 1886, apud N. R. th., XVIII, p. 378; vel etiam in quibus « nec infamia nec scandalum est in absolutionis dilatione, sed durum valde est pro pœnitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis », juxta decretum C. S. O. 16 Junii 1897, apud *Collationes Brugenses*, II, p. 594, collatis tom. IV, p. 234 et V, p. 148.

(2) Simile onus est injungendum pœnitenti quem, in articulo mortis, absque speciali facultate confessarius absolvit a censuris *speciali modo* Rom. Pontifici reservatis. Cf. *Collat. Brug.*, IV, p. 32, collatis decretis ibidem citatis.

sam absolutionem confirmans, salvis certis conditionibus adimplendis; vel 2°/ redeundo ad eumdem confessarium qui, impetrata intereà opportuna facultate, pœnitentem denuò absolvat; vel 3°/ adeundo alium confessarium debitis facultatibus instructum, qui novam absolutionem elargiatur. Cf. decretum C. S. O. 19 Aug. 1891, ad 2m; collato decreto ejusdem S. Congr., 30 Martii 1892 ad 1m; apud N. R. th., XXIV, p. 166-169 et p. 391.

Recursus ad M. Pœnitentiarium, sic providente decreto 1886, instituitur per epistolam et per medium confessarii: confessarius scilicet conficit epistolam, facta mentione absolutionis in urgenti casu acceptæ, litterasque dirigit ad Cardinalem Pœnitentiarium (1), qui rescriptum mittet *in forma commissoria,* in actu sacramentalis confessionis executioni mandandum a « confessario ab oratore electo vel eligendo ». Cf. *Rev. théol. franç.*, 1896, p. 92-105.

Difficultates autem recursus Romani poterit vitare confessarius si Episcopus, uti in nostris regionibus obtinet, indultum (2) habet absolvendi, per se vel per alium, a censuris Pontificiis, non excepta, saltem in diœcesi Brugensi, censura adnexa absolutioni complicis: sufficit nempe ut confessarius pro delegatione ad Episcopum recurrat et pœnitentem moneat ut infra mensem sese præsentet ad novam absolutionem consequendam.

Tertius vero modus agendi, ut scilicet dirigatur pœnitens ad alium confessarium facultatibus instructum, sæpe sæpius minus opportunus est, cum plerum-

(1) Alloquitur M. Pœnitentiarium, personam induens pœnitentis, et fictis adhibitis nominibus.

(2) Notum est Episcopis a jure competere facultatem absolvendi a solis censuris R. Pontifici *simpliciter* reservatis, iisque *occultis* tantum. Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 6 *De Reformatione*, collata Constitutione *Apost. Sedis*, § *Firmam.* cf. Vandervelden, *Principia Theol. Mor.*, ed. Piat, tom. III, p. 934 et seq.

que pœnitentibus durum sit gravissima peccata coram alio confessario iterata vice accusare ; nec illud onus ipsis est imponendum.

Sæpissime igitur erit negligenda hæc tertia solutio et prima vel potissimum secunda est utendum.

Atvero in hac utravis hypothesi supponitur quod pœnitens suum confessarium valet rursùm adire in foro sacramentali, cum, juxta dicta, vel nova sit concedenda absolutio vel rescriptum Romanum sit exequendum *in actu sacramentalis confessionis.*

Jamvero non semel hujusmodi sunt adjuncta ut reditus sit impossibilis aut saltem perdifficilis, quia vel confessarius, putà tempore missionis, ad dissitum locum mox est profecturus, vel pœnitens peregrinus non potest ibidem commorari donec Romà recipiatur rescriptum vel præsto sit necessaria facultas.

Harum autem circumstantiarum rationem habuit S. Pœnitentiaria et permisit ut *ipse pœnitens per seipsum* Romam recurrat, ipsique rescriptum concedatur *in forma gratiosa,* adeo ut jam non egeat intermedio confessarii qui rescriptum executioni mandet. Resp. S. Pœnitentiariæ 28 Martii et 7 Nov. 1888 (1), apud N. R. th., XXII, p. 411 et p. 363, collatis *Rev. théol. fr.,* 1899, p. 454, et *Collat. Brug.,* IV, p. 231 et seq.

Quodsi contingat, uti natum est fieri, pœnitentem non

(1) Juxta responsum 28 Martii 1888 potest pœnitens recurrere « per seipsum directe, quando intercedit rationabilis causa, mentito nomine ».

Juxta responsum, 7 Nov. 1888, ad VI, « quando missionario occurrit pœnitens censuris innodatus et transiens obiter, ita ut missionarius non possit iterum pœnitentem videre, sufficit, posito casu urgentiori absolutionis, exigere a pœnitente promissionem scribendi, tacito si vult nomine, ad S. Pœnitentiariam infra mensem et standi illius mandatis, quin confessarius ipse scribat ».

Ulterius autem, referente *Rev. théol. fr.,* 1899, p. 454 censuit S. Pœnit. ut in hujusmodi casu pœnitentem moneat confessarius « eumdem posse libere per seipsum sub mentito nomine recurrere ad hanc S. Pœnitentiariam, quæ *providebit per rescriptum in forma gratiosa* ».

Circa quam formam gratiosam usurpandam latius disseritur apud N. R. th., XXII, p. 410 et seq. ; et *Rev. théol. fr.,* 1899, p. 449 et seq.

posse per seipsum epistolam mittere Romam, decrevit C. S. O., 9 Nov. 1898, licere « confessario pœnitentem absolvere etiam a casibus S. Sedi reservatis *absque onere mittendi epistolam* », modó aliunde, uti supponitur, dicto pœnitenti sit impossibile ut iterum sese sistat coram suo confessario et simul ipsi durum sit adire alium confessarium. N. R. th., XXXI, p. 191.

Quam tamen scribendi incapacitatem non admittit S. Pœnitentiaria, juxta decretum ejusdem C. S. Officii, 7 Junii 1899 (apud N. R. th., XXXI, p. 666), penes pœnitentem *sacerdotem,* putà qui, urgente necessitate, est absolvendus a censura quam incurrit propter absolutionem complicis : si nempe ad confessarium qui eum absolvit redire nequit, et renuit ad alium confessarium accedere, tenetur per epistolam ad M. Pœnitentiarium recursùm suum habere, petendo, juxta modò dicta, ut provideatur per rescriptum in forma gratiosa.

Tandem præsens decisio confirmat decretum 9 Nov. 1898, illudque interpretatur in sensum expositum, declarans cessare obligationem pœnitenti imponendi onus recurrendi Romam, statim ac pœnitens, cui durum est alium adire confessarium, ex una parte per seipsum scribendi est impar, et ex alia parte iteratò sese præsentare nequit eidem, a quo vi decreti 1886 vel 1897 fuit absolutus, confessario, ut hic ipsum denuò absolvat vel rescriptum *in forma commissoria* acceptum in confessionis actu exequatur; posset quidem confessarius pro pœnitente ejusque loco conficere epistolam eamque Romam mittere sollicitando rescriptum *in forma gratiosa,* adeo ut res componatur absque novo interventu confessarii, sed ad hoc confessarium non teneri decrevit S. Congr., sublata potius necessitate recursus.

A. D. S.

Institutiones Philosophicæ — *concinnovit* ÆMILIUS DE JAEGHER, *Phil. ac S. Theol. Doctor, in minori Seminario Rollariensi Philosophiæ Professor.* — Rollarii, Typis Julii De Meester. — 6 fr.

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi desiderio obtemperans, auctor, ab annis non paucis cursus Philosophiæ tradendi munere summa cum laude perfungens, nuper edidit opus illud: in quo invenire est compendiose simul ac dilucide propositam medullam amplæ scientiæ quam auctor pro acutissimo ingenio indefessoque labore sibi comparavit, maxime ex assidua lectione et meditatione operum Summorum Magistrorum, Aristotelis præprimis et S. Thomæ. Sed et recentiores philosophos novit auctor et illos qui nostra etiam ætate egregie de rebus philosophicis scripserunt: horum omnium scripta opportune in prælaudato opere citantur.

Materiæ divisionem admittit auctor consuetam, omittitur theologia naturalis.

Nexus rerum per totum opus perfecte indicatur, præsertim in iis quæ singulis capitibus præmittuntur. Multa, maxime e S. Thoma desumpta, scitu utilissima, ne exponendæ doctrinæ claritati, vel propositionum demonstrationis rigori noceant, in notis ad calcem paginarum referuntur.

Inter multas dotes quibus opus gaudet una præclare eminet: cura scilicet auctoris ut de omni re *distinctam* omnino et exactam ideam proponat: inde quotiescumque de aliquo scibili agere incipit præmittit *notionem* vel *notiones:* quo sub titulo, subtiliter et vere cujuscumque notionis diversas rationes vel notas discernit, et in lucem profert. Non solum ut *res* perspiciatur vult auctor, sed etiam ut *nomen* rem significans plane intelligatur. Nemo non videt quantam hæc allatura sint utilitatem, alumnis præsertim studium philosophiæ incipientibus, qui a confusis quæ in eorum mente latent

conceptibus paulatim sunt liberandi, et dirigendi in acquirendis distinctis ideis.

Tandem dictio auctoris ubique pressa est, accurata et vere scholastica.

Quædam nunc specialiter indicanda videntur: notatu digna est completa expositio et disquisitio de argumento *inductionis* (n. 74 et seq.), cui utiliter adjungitur consideratio de argumentatione *ex analogia* aut *per exemplum* (n. 76); perutilis etiam est appendix de *ratione disputandi* (n. 84) ubi præmissa *disputationis* notione, scholasticæ disputationis, quæ tantum juvat ad artis logicæ praxim acquirendam, regulæ exponuntur.

In *Logica materiali,* egregia omnino est paragraphus *de certitudine*, (n. 96 et seq.), et ampla disputatio de *conceptuum nostrorum objectivo valore* (n. 106 et seq.): quæ disputatio duas habet partes quarum prima est de objectivitate nostræ cognitionis *universim*, altera de objectivitate *conceptuum universalium:* quam quæstionem faciemus, ait auctor, tripartitam, ut intelligamus: 1. *Quid* sit universale; 2. *Unde* sit, seu quibus causis fiat; 3. *Quale* sit, seu quæ sint ejus proprietates. Concluditur Logica materialis articulo cujus titulus est *de Scientia:* in quo præmissa scientiæ notione, et accurata expositione de sensu quo scientia dici possit *rei cognitio per causas* (n. 183) proponitur scientiæ divisio, specificatio, etc., et tandem *partitio scientiarum* (n. 188): ibi facta distinctione inter esse *reale* et esse *intentionale* exponitur totius humanæ scientiæ naturalis divisio in quinque scientias, scilicet *Physicam, Mathematicam, Metaphysicam, Logicam* et *Moralem;* declaratur deinde quare illæ complexivo nomine Philosophiæ honestentur, iisque subordinentur scientiæ omnes particulares (n. 189).

Metaphysica generalis incipit a notione entis communissimi: clare exponit auctor distinctionem summi omnino momenti inter esse *reale* (alii mallent dicere *physicum*) et esse *intentionale,* deinde esse realis divi-

sionem in essentiam et existentiam. « Nimirum ens reale resultare concipitur ex duobus internis principiis invicem intime connexis; ex *Essentia* scil. qua unaquæque res constituitur in convenienti sibi gradu realitatis, ab aliisque rebus distinguitur; et *Existentia,* qua quæque res propriæ suæ realitatis fungitur actuali exercitio ut sistatur extra mentem et (si de re causata sermo sit) extra causas..... Existentia accedit ad essentiam plene jam formaliter constitutam, tamquam *perfectio* seu *actus novi ordinis, physici* scil. *realitatis exercitii;* et ex essentia ita resultat, ut quamquam non per existentiam formaliter res diversificentur, naturis tamen seu essentiis singulis proportionatus sit et existendi modus. » (n. 197). Notemus dissertationem de *ordine* (n. 228) et de variis modis *prioritatis* (n. 232). Perdifficilis quæstionis de *relationum realitate extra animam* status optime enucleatur, (n. 260).

Valde dignum est notatu proœmium in Tractationem primam Metaphysicæ specialis, in quo proœmio præ oculis ponitur tum *objectum* tractationis quod est natura corporea (n. 300), tum *methodus* sequenda, quæ est mixta, scil. empirica-rationalis (n. 301) tum *quo fine* et *animo* naturæ studium sit aggrediendum (n. 302) « ut scilicet per contemplationem eorum quæ facta sunt promoveamur in cognitione, admiratione, amore Ejus cujus sapientia, potentia et bonitate cuncta subsistunt atque reguntur. » Doctrina scholastica de corporum essentiali compositione ex materia prima et forma substantiali accurate proponitur et propugnatur (nn. 304-327). Post tractationem *de quantitate* (nn. 328-338) agit auctor de *loco et spatio:* ibi, si mentem aperire licet, minus placent quæ dicuntur de admittenda *locali præsentia præcise a quovis coexistente et ambiente termino extrinseco* (n. 340) et de non repugnantia admittendi inesse corpori potentiam obedientialem ad accipiendas ubicationes *simultaneas in locis adæquatis pluribus* (n. 346).

Tandem tractationem *de Anima rationali* (nn. 386-

456) pro summo rei momento conficit auctor summa cum cura: ibi etiam plures objectiones contra sanam doctrinam, nostris præsertim temporibus, prolatas exponit atque dissolvit. Hujus eruditæ disputationis singula recensere nimis foret longum: unum indicamus articulum, scil. de animæ humanæ immortalitate seu perpetuitate (n. 405 et seq.): duplex ibi invenitur propositio: 1. *Anima humana est natura sua incorruptibilis;* 2. *Ex attributis supremi Legislatoris, creaturas etiam liberas, efficaciter moventis in finem, apparet fore ut animæ rationales* 1/ *superstites sint corpori,* 2/ *vivant perpetuum* (n. 410): utraque propositio invicte demonstratur, et argumentorum vis perpenditur.

Denique appendicem quæ raro in Institutionibus philosophicis invenitur, et quæ tamen summopere juvat ad recte cogitandum de multis rebus quotidie in vita occurrentibus, adjicit auctor: nempe de *naturæ ordine et legibus;* cujus corollarium est: ergo *possibile est miraculum* (nn. 457-464).

Nullus eorum quibus, nostra præsertim in diœcesi, juventutis in disciplina philosophica institutio cordi est, non gaudebit de egregio opere quod in utilitatem alumnorum confecit cl. auctor, nec votum faciet ut a philosophiæ professoribus et studiosis prælaudatæ *Institutiones* ubique legantur atque præ manibus habeantur.

J. V. D. M.

Quæstiones de Justitia ad usum hodiernum scholastice disputatæ ab A. VERMEERSCH, S. J. (Opus auctum literis Illustrissimi Episcopi Brugensis ad scriptorem). Brugis, Sumptibus *Beyaert* 1901, in 8° pp. XXXII et 662 — pret. 6 fr. 50.

In ipso operis limine scribit doctissimus auctor: « Hoc itaque volumine non omnia complectimur in quibus versari soleat *De jure et justitia,* verum ea tantum quæ existimavimus aditum parare ad responsa particularia, vel maxime ad hodiernas controversias interesse. Quo delectu habito, fit, ad summam, ut res sint numero pauciores, copiosior tamen et uberior valeat esse singularum expositio ». Ut autem materiarum expositarum opportunitas patescat quæstiones tractatas recensemus: De virtute Justitiæ ejusque partitione; — de legali et de distributiva justitia; — de jure suffragii et de tributis; — de vitio injustitiæ et de restitutione; — de socialismo et de privata rerum possessione; — de possessoris privilegiis; — de contractibus in universum; — de justa permutatione et de justo pretio; — de mutuo et usuris; — de locato-conducto operarum; — de æquitate; — de gratia seu grato animo.

Variæ illæ quæstiones, logice dispertitæ, distinctis thesibus proponuntur. Statu quæstionis theseosque sensu nitide expositis doctrinæ demonstrationem aggreditur eruditissimus Auctor, solidaque semper affert rationum momenta; et, quod sibi proposuit consilium rite exsequitur; aliorum sententias quam fidelissime refert earumque argumenta æqua ponderat lance. Methodo usurpatæ summeque cæterum laudandæ hoc unum forte nocet quod, in fine theseos hinc inde addantur doctrinæ supplementa quæ nonnunquam in corpore doctrinæ opportuniori loco tradenda censeres.

In summis autem Justitiæ principiis indagandis hodiernisque rerum adjunctis adaptandis jure merito auctor superioris ætatis peritissimos adiit theologos,

et præ cæteris Doctorem Angelicum, quin tamen recentiores scientiæ moralis, juridicæ et œconomicæ magistros interrogare neglexerit. Varia etiam Leonis XIII documenta atque imprimis præclarissimas ejus *de conditione opificum* encyclicas literas acuto ingenio pervolvit doctrinamque pontificiam presse sequitur. E genuinis illis fontibus tanta eruditionis ac scientiæ profluxit copia recto semper ac perspicaci judicio digesta, quantam apud recentiores auctores plerosque frustra quæreres.

Disquisitionem præ cæteris latiorem instituit auctor *de socialismo et privata bonorum possessione* (p. 187-325). Qua in disputatione, dissolutis præprimis hodierni socialismi placitis, solide vindicatur jus proprietatis privatæ necnon jus testandi ac hæreditaria successio. Dein, statutis juris proprietatis limitibus, clara, perfecta simul ac christiana hujus juris notio apparet. Hanc tractationem, ampla eruditionis copia refertam, iis omnibus commendamus quorum in hodiernis societatis adjunctis interest momentosæ hujus quæstionis notitiam acquirere solidam.

Ut commodis legentium consuleret auctor, modernas minime aspernatus artes, non tantum ad rerum disparitatem accommodare contendit varietatem typorum et libri figuras, sed (haud satis laudando conatu) volumen suum pluribus *Indicibus* locupletavit. (Præf. p. IX).

Opus auctum fuit literis summopere laudatoriis Illustrissimi Episcopi Brugensis, cujus peritissimi judicis hæc exscribimus verba: « Egregium sane opus, tum copia doctrinæ et singulari in rebus dijudicandis sapientia, tum opportunitate rerum expositarum ».

A. C.

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. VI, pag. 165).

ARTICULUS V.

De ipsa operatione Dei ad extra, in se considerata.

224. Explicatis scientia, voluntate et omnipotentia Dei, quæ singulæ suo modo sunt causa rerum, jam actum Dei ad extra in se inspiciemus, quo compleatur præliminare caput tractans de attributis divinis in ordine ad prædefinitionem rerum consideratis, et proxime præparetur caput secundum hujus secundæ partis meditationum, in quo ipsa æterna prædefinitio totius ordinis naturæ ac gratiæ exponetur.

§ I.

Operatio Dei ad extra generatim explicatur.

225. Deus, ut vidimus, est actus purus infinitæ scientiæ et liberrimæ ac omnipotentis voluntatis seu perfecti et efficacis amoris. Actus autem ille infinitus, seu summa res quæ Deus est, potest considerari a nobis tripliciter: primo quidem, ut est una, absoluta, non multiplicabilis essentia; secundo vero, ut sunt tres ejusdem essentiæ relativi subsistentes seu personæ; et tertio tandem, ut est actus ad extra operans. Et sub hoc tertio respectu nunc Deum consideramus.

Igitur, præ oculis habita insigni Cajetani doctrina supra relata (1), dicendum quod actus purus infinitus,

(1) Vid. supra num. 133, tom. III, pag. 552.

qui Deus est, seu summa illa res et ratio formalis una, quæ eminentissime et formaliter continet quidquid absolutæ perfectionis est, et quidquid Trinitas respectiva exigit, est etiam realiter et formaliter actus ad extra, siquidem actio Dei est ipsa divina substantia seu essentia.

Cum autem eadem actio terminum extrinsecum habeat, non sub formali ratione relativorum ad intra seu Personarum ad invicem, qui est actus ad intra, Deus ad extra operari intelligitur; sed sub ratione tribus communis et unius essentiæ, secundum tamen quod comprehendit appropriata, non secundum quod in omnimoda absolutione consideratur: Deus enim est causa finitorum per essentiam suam, ratione appropriatorum, quæ sunt essentialia considerata in personis, ut exponit Bonaventura, in I, dist. 36, p. I, q. II. Et cf. supra nostrum n. 162.

226. Porro, eadem actio ad extra, quæ est divina essentia, est formaliter immanens: « Duplex est actio, *ait S. Thomas* (1), una quæ manet in agente et est perfectio ipsius, ut videre; alia quæ transit in exteriora et est perfectio facti, sicut comburere in igne. Divina autem actio non potest esse in genere earum actionum, quæ non sunt in agente, cum sua actio sit sua substantia. Oportet igitur quod sit de genere earum actionum, quæ sunt in agente et sunt quasi perfectio ipsius. Hujusmodi autem non sunt nisi actiones cognoscentis et appetentis. »

Eadem Dei actio ad extra in se formaliter immanens, virtute et habitu dicitur transiens, id est, æquivalet actioni quæ in se esset transiens, quia summa et infinita perfectione sua par est producendi quæ causa finita, motu seu influxu ex ipsa exeunte in aliud, producit extra se in subjecto in quod operatur, imo quæ causa finita pluribus successivisque actionibus producere va-

(1) *Contr. Gent.*, l. II, c. 23, n. 4.

let. Quare in ipsa perfectione actus habetur fundamentum, quo ratio distinguat atque secernat actum in se atque multiplicem ipsius habitum ad plura ac diversa objecta. Non igitur duplex est actio distincta; nec una formaliter transiens simul ac immanens; nec una virtualiter tantum immanens simul et transiens; sed una formaliter immanens, virtute tantum transiens seu continens virtualiter transeuntem munusque exercens transeuntis. Neque igitur est aliqua actio Dei media inter actionem Dei immanentem et effectum, sicut in nobis actio virtutis motivæ est media inter actum voluntatis et effectum, sed eadem una Dei actio est formaliter immanens, ipsaque Dei substantia, et virtualiter transiens seu æquivalens influxui exeunti in effectum eminenterque continens hunc influxum seu motum (1).

227. Quemadmodum actus ad extra, qui est in se ipsa divina substantia, est formaliter immanens et virtute tantum transiens, quatenus eminenter continet actionem transeuntem, estque omnipotens, plane independens a quovis extrinseco, a præjacente materia, a quavis actione intermedia, a medio disponente, aliove quovis prærequisito: ita idem actus, qui est ipsa agens seu pure actuosa substantia divina, est formaliter in se ab omni contingentia et accidente remotissimus, absoluta immutabilitatis necessitate necessarius simulque libertate absolute, ut sic, liberrimus, et virtute tantum liber libertate electiva, quatenus respectu termini extrinseci ac finiti munus exercet et functionem eligendi (vid. supra, n. 214), semota omni imperfectione electionis, tum ex parte judicii, ubi omnis dubitatio et proprie dicta consultatio excluditur, tum ex parte ipsius omnipotentis volitionis.

Et ex parte quidem volitionis, diligenter inspiciamus discrimen cum nostra volitione et libera electione. Quod ut rite fiat, prævie definiendi sunt termini infinite ab

(1) Cf. S. Thomas, *Contra Gent.*; l. II, cap. 35.

invicem distantes, respectu quorum dicitur et est formaliter solum immanens, vel formaliter immanens et virtute tantum transiens actio divina.

Itaque Deus eodem actu, ut vidimus, vult et se et alia, se quidem ut finem non propter aliud, immutabilitatis necessitate, alia vero ut convenientia, nullo modo necessaria, ad finem, adeoque propter seipsum et ad se, sine ulla necessitate ex parte termini finiti sed plena libertate electiva. Aliis verbis, idem actus, qui est ipsa divina essentia, quique, infinite fœcundus ad intra, est identice unaquæque ex tribus divinis personis et tres simul personæ divinæ Trinitatis, est simul etiam infinite fœcundus ad extra, attenta tamen omnimoda diversitate terminorum: ad intra enim termini sunt infinite perfecti et ipse Deus; ad extra sunt omnes limitatæ et finitæ perfectionis, suntque solum multitudine infiniti, scilicet omnia possibilia, seu extensione potestatis omnipotenti, eique soli, subjecti, atque primum produci debent, si producantur, quoad ipsam substantiam, quoad ipsum esse, seu ex nihilo, et eatenus intensive sunt virtutis nonnisi infinitæ producibiles effectus.

Igitur respectu termini ad extra, finiti cujuscumque, quem solum nunc consideramus, actus divinus intelligitur potentia pure activa, infinita, ad utrumlibet se habens, scilicet ad finitum quodvis efficiendum, vel non, licet non sit *in potentia* ad utrumque, cum sit semper in actu ad unum oppositorum. Nostra vero volitio in libera electione est potentia finita, se habens ad utrumlibet eidem potentiæ voluntatis subjectorum, atvero simul est in potentia ad utrumlibet volendum, aliquando neutrum volens actu. Unde voluntas nostra determinari debet; divina vero voluntas seipsam determinat effective, objective vero determinatur a divino intellectu, qui a divina voluntate, divinaque essentia non realiter sed ratione tantum distinguitur, ita ut nihil sit ab extrinseco.

Actio igitur Dei ad extra terminum quidem externum

habet, nullatenus vero ab eo movetur, et semper liberrime ad eum terminatur, ita ut terminus non debeat nec proprie possit vocari objectum, nec terminus ille *qua talis* præsupponatur actioni divinæ, cum hæc, utpote infinite efficax, vel ipsum esse det termino, ut in creatione, vel æquivalenter det esse ut in conservatione, vel det agere ut in concursu cum creatura agente. Unde actio Dei in se æterna, immutabilis, necessaria; terminatio vero contingens, libera, terminus finitus, initium habens et in ipso tota mutatio improprie dicta seu initium essendi; dum actio creaturæ, etiam immanens, ipsa est mutabilis, successiva, temporaria, ipsa contingens, et vel libera vel a natura determinata.

Actio igitur Dei ad extra plane independens a termino et alia quavis re extrinseca, sed propria virtute omnipotens, absque adjutorio et exigentia aliena, absque indigentia propria, ac proin liberrime se terminare potest ad effectum finitum. Ut autem reipsa se terminet ad existentiam creaturæ vel effectum quempiam finitum, requiritur ratio, quia sicut sapiens arbitrarie, i. e. sine ratione et motivo non agit, ita infinite sapientis Dei actio non se terminat ad effectum vel talem effectum sine ratione; requiritur item finis ad quem destinatur opus seu terminus productus, quoniam sapiens non agit cœce.

228. Ex modo disputatis habemus eumdem actum divinum ad extra, qui est ipsa divina essentia, formaliter immanentem, virtute tantum transeuntem, simul esse in se immutabilitatis necessitate invariabilem ac absolute sumpta libertate liberrimum, simulque virtute et habitu, respectu cujuscumque rei finitæ, libertate electiva plenissima liberum. Sic ergo nobis apparet divina omnipotentia et infinita fœcunditas ad extra, respectu omnium possibilium, simul in se immutabili necessitate perfecta et simul eminenter continens virtute liberam eligendi facultatem. Quemadmodum autem supra distinximus in Deo potentiam absolutam, et

potentiam ordinatam seu ordinariam, prælucente sapientia et præordinante bonitate, ita heic attendendum est divinam electionem esse omnipotentiæ ordinatæ, prælucente in intellectu divino ratione efficiendi aliquid ad extra, et voluntate præordinante rem in finem Deo dignum, ita ut duo includat libera electio divina: scilicet ex omnibus possibilibus quædam ex convenientiæ ratione, pro divina sapientia; et eadem certo ordine disposita in finem Deo dignum, pro divina bonitate ac sanctitate: sic, ut sit ordo partium in toto et ordo partium in finem, quemadmodum exponit S. Bonaventura, supra nostro num. 222.

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Maii.

—

I

Explica Apoc. II 20-23: « Sed habeo adversus te pauca, quia permittis mulierem Jezabel quæ se dicit propheten, docere et seducere servos meos, fornicari et manducare de idolothytis. Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, et non vult pœnitere a fornicatione sua. Ecce mittam eam in lectum, et qui mœchantur cum ea in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint. Et filios ejus interficiam in morte, et scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans renes et corda ».

II

Quæritur an et cur cultus *hyperduliæ* qui tribuitur B. Mariæ V., quatenus hæc est Mater Dei, sit *specifice* diversus a cultu duliæ qui cæteris Sanctis defertur.

III

Expone quomodo virtutes morales per se infusæ secundum suam essentiam sint ad invicem *connexæ?*

IV

An virtutes per se infusæ *diminui* possunt? Proba responsum.

V

Explica *modum* quo indulgentia effectum suum operatur.

VI

Quibusnam ritibus et precibus impertienda est Benedictio Apostolica in articulo mortis 1° si immediate post Extremam unctionem datur, 2° in casu quo mors proxime urgeat?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Februarii propositas.

—

I

Q. Explica Eccl^ci V, 4: *Ne dixeris: Peccavi; et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.* 5 *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum.* 6 *Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* 7 *Misericordia enim et ira ab illo citò proximant, et in peccatores respicit ira illius.*

R. v. 4. *Ne dixeris: Peccavi, et quid mihi accidit triste?* Alloquitur Sapiens peccatorem cui divinæ vindictæ dilatio est ulterius peccandi et omnem vindictæ metum excutiendi occasio; eumque monet ut ne propter pœnæ dilationem sibi polliceatur impunitatem, adeoque pœnitentiam differat ac liberius peccet: *Ne dixeris,* ait: *Peccavi, et quid mihi accidit triste?* (1) i. e. nihil mihi accidit mali: ergo sine ullo timore pœnæ in peccato perseverabo. Noli, ait, allucinari: *Altissimus*, adeoque omnituens et omnipotens (græcè: ὁ κύριος, *Dominus*) *enim est patiens* (græcè: μακρόθυμος, *longanimis*) *redditor* seu retributor (2). Quòd ergo pœna non illicò secuta sit culpam, id non Dei ignorantiæ, impotentiæ, aut incuriæ tribuendum est, sed unicè ejusdem longanimitati, dissimulantis peccata hominum propter pœnitentiam, impœnitentes autem acrius punituri, ac supplicii tarditatem gravitate compensaturi. Locus parallelus est

(1) Illud *triste* græcè deest, sed sensum rectè exprimit.

(2) Græcè abest *redditor;* Complutensia ejus loco habent: *non te dimittet*, i. e. quamvis sit longanimis, non tamen te dimittet impunitum, sed eo acrius puniet, quo tardius.

Rom. II, 3: *Existimas autem hoc... quia tu effugies judicium Dei? 4 An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? 5 Secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.*

v. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum.* Græcè: *De propitiatu* seu propitiatione, nempe peccatorum, *non sis sine metu, adjicere,* ut adjicias *peccatum super peccata.* Hoc autem accipi potest de propitiatione *præterita,* aut de propitiatione *futura.* De *præterita* accipiunt plerique cum Vulgata, et quidem passim hoc sensu et nexu: De obtenta propitiatione seu remissione peccatorum non sis securus, sed adhuc metuas, tùm quòd de remissione non sis omnino certus (nam *nescit homo utrum amore an odio dignus sit,* Eccles. IX, 1), tùm etiam quòd impetrata remissione, digna pœnitentiæ opera sint in timore Dei peragenda, quo pœnas temporales remissis etiam peccatis debitas effugias; metuas, inquam, nec sis ita securus ac si certus esses illa tibi esse remissa, ut hac persuasione fias confidentior ad iterandum peccatum, adque adjicienda peccata peccatis; quia nempe tibi persuades, pari facilitate et certitudine, illa quoque tibi esse condonanda. Vult igitur Ecclesiasticus ut ne præsumptio remissionis peccatorum præteritorum pariat præsumptionem remissionis peccatorum futurorum adeoque et ipsa peccata futura. Probabilem esse hanc sententiam, satis apparet ex variis argumentis ab à Lapide allatis. — Minus placet sententia Smitsii, qui locum hunc pariter de propitiatione peccatorum *præteritorum* accipit, sed hoc sensu: « Quod tibi aliisve peccata quondam condonata esse cognoscas, ne inde, omni metu deposito, de Dei misericordia præsumas, et pristinis alia addas. Conf. sqq. Noxia ergo damnatur securitas, et quæ in præsumptionem degenerat confidentia ». — Parùm etiam arridet nobis expositio eorum qui hic intelligunt propitiationem peccatorum *facien-*

dam, quasi diceret Sapiens: De propitiatione facienda non sis absque cura et sollicitudine. — Probabilius enim nobis videtur hic agi de propitiatione peccatorum *futura*, *non facienda*, *sed obtinenda.* Sententiam hanc egregiè exponit ac probat Jansenius Gandavensis: « Quod dicitur, ait, de propitiatione peccatorum noli esse sine metu, intelligi potest de propitiatione et venia obtinenda, ut significetur neminem nimis securum esse debere de remissione consequenda, quasi ea facillimè, et cùm quis volet, etiamsi non pœniteat, obtineatur, cum ea singulari Dei gratia donetur, et plerisque non contingat, nec nisi pœnitentibus. Cui intelligentiæ magis convenit quod sequitur: *Neque adjicias peccatum super peccatum,* aut, ut habent Græca, *non sic sis sine metu, ut adjicias peccata peccatis.* Item quod sequitur v. 7: *Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* Itaque, postquam superiori sententia (v. 4) resecavit libertatem peccandi ex præsumptione impunitatis, propter vindictæ dilationem, jam hac sententia eam libertatem resecat ex præsumptione facilis misericordiæ divinæ, quam quia plerique se facilè et statim consecuturos confidunt, liberè peccata peccatis adjiciunt. Duo enim sunt quæ faciunt homines libere peccare, dilatio scilicet vindictæ divinæ, et præsumptio de faciliter obtinenda Dei misericordia... Proindè hic locus etiam secundum hunc intellectum, qui probabilior est, multum facit erga hæreticos nostri temporis, qui non solum de *obtenta,* sed etiam de *obtinenda* venia suos jubent esse securos, semper contra nostri Sapientis doctrinam illud prædicantes: *Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum nostrorum miserebitur* ».

v. 6. *Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* « Non prohibet Ecclesiasticus dicere, misericordiam Dei magnam esse; revera enim magna est misericordia Domini, et major quàm verbis explicari aut cogitatione à nobis compre-

hendi potest, et omnis Scriptura sacra nobis peccatoribus commendat magnitudinem misericordiæ Dei; sed prohibet hoc dici ex securitate illa, et præsumptione remissionis peccatorum obtinendæ. Nempe, sicut alibi Scriptura commendans misericordiam Dei, erigit peccatores pœnitentes in spem veniæ; ita hic locus peccatores in peccato perseverantes, et nihilominus de misericordia Dei confidentes, terret; ut potius justitiam Dei considerent, quàm misericordiam. Et hoc est quod sequitur: *Misericordia enim...* Ubi per peccatores intelligit in peccatis permanentes, et pœnitentiam differentes » Estius.

v. 7. *Misericordia enim et ira ab illo citò proximant, et in peccatores respicit* (græcè: requiescet) *ira illius*. Hisce verbis rationem exponit Sapiens cur dici vetet: *Miseratio Domini magna est* etc. Sensus autem est: « Verum quidem est misericordiam Dei non difficilem se præbere hominibus, sed citò eam advenire illis ab ipso: sed simul etiam verum est iram ab illo festinare; eaque a Deo missa respicit ad peccatores, atque super eos quiescit, perficiens quod jussa est, ac proinde ad illos non pertinet misericordia, sed tantum ad justitiæ studiosos. Peccatores enim hic vocat eos qui in peccatis suis animo sunt obfirmati, quos frustra significat de Dei misericordia præsumere, cum ad tales non misericordia, sed gravissima Dei vindicta pertineat » Jans. Gand. Unde prosequitur Sapiens v. 8: *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.* 9 *Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.*

G. V. D. P.

II

Q. Explica Judæ v. 22: *Et hos quidem arguite judicatos: 23 illos vero salvate, de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore: odientes et eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.*

R. Hisce verbis præscribit Apostolus varios modos quibus christiani secundum spiritum discretionis uti debent in corripiendis pseudo-doctorum asseclis. Distinguit autem triplicem categoriam peccatorum. Prima classis complectitur hæreticos publicos, obstinatos, adeoque desperatos: *Et hos quidem*, ait, *arguite*, ελεγχετε, redarguite, castigate, pœnâ excommunicationis plectite, (ne saltem plures corrumpant, si ipsi resipiscere nolint,) utpote *judicatos,* διακρινομενους, i. e. *se segregantes,* vel *judicatos* seu *condemnatos.* Qui autem *se segregat* ab Ecclesia hæreticus aut schismaticus, proprio suo judicio *condemnatus est.* (Tit. III, 11). Inde apparet affinitas inter utramque illam istius græci participii versionem. — Altera classis comprehendit illos qui nondum sunt hæresi vitiisque inextricabilibus immersi, sed tamen periculo proximi ut irrevocabiliter in hæc mala incidant: *illos vero,* pergit Apostolus, *salvate,* servate ab imminenti ruina in hæresim, libidines et perditionem, *de igne rapientes*, nimirum celeriter ac violenter eos ex instante pernicie eripientes, perinde ut hominem igne correptum et ambustum, illico violenter et injecta manu ex eo abripimus.

« Oportet, ait Van Steenkiste *in h. l.* istos summa cum diligentia et per media efficacissima, puta per severam reprehensionem et admonitionem, quasi invitos ad sanam doctrinam revocare; quemadmodum vi arripimus homines è medio igne eosque salvamus ». Idem hic est *de igne rapere* ac de præsentissimo perditionis periculo eripere. Perditionis autem nomine in recto venit obstinatio in hæresi atque omnigenâ libidine,

consequenter verò ignis æternus hujusmodi peccatoribus præparatus. — Tertia demùm classis eorum est qui decepti in hæresim variaque peccata inciderunt ex ignorantia, aut infirmitate potius quàm pravâ suâ voluntate, quibusque errores et vitia sua jam displicent: *aliis autem,* inquit Apostolus, *miseremini*, misericordiam exhibete in Spiritu lenitatis, rationibus monitisque eos ad viam rectam suaviter reducere conemini, *in timore,* nimirum incusso timore et terrore Dei vindicis et ignis æterni; seu potius, cum timore sancto ne et vobis aliquid tale contingat, adeoque caventes ne ipsi seducamini. Hoc est quod monet S. Paulus *ad Galatas*, VI, 1: *Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris.* Id magis explicans addit Apostolus: *odientes* i. e. abhorrentes veluti rem exosam ac periculosam, *et*, i. e. etiam *eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.* Græcè paulo clàrius: *odientes et à carnè maculatam tunicam*, i. e. exosam habentes turpem eorum conversationem morumque sorditudinem, ne scilicet eorum familiaritate et imprudenti commercio spiritualem eorum scabiem contrahatis. Quemadmodum enim à contactu non solùm corporis sed etiam tunicæ seu vestis interioris (χιτων = vestis interior, quæ nudo corpori induitur) leprosi ceteri homines abhorrent, ne contagium contrahant, ita qui peccatorum conversioni adlaborant, cavere debent ne pravis eorum moribus vitiisque inficiantur, quibus mederi student. Meritò a Lapide: « Moraliter, docet hic Judas charitatem fidelium debere esse prudentem et circumspectam, ne dum alios volunt salvare, seipsos perdant. Quare qui conversantur cum peccatoribus, præsertim confessarii, qui fœdissima scelera audiunt, præmuniant se oratione, atque odio et execratione maculatæ tunicæ, puta omnis vitii et sordis ».

N. B. Locum hunc esse obscurissimum diffitetur nemo. Alias ejus interpretationes reperire est apud

varios interpretes. Sunt etiam hic multæ aliæ lectiones, quibus tamen omnibus præferenda nobis videtur lectio Vulgatæ.

G. V. D. P.

III

Q. *Quæritur quodnam sit in cultu sanctorum* objectum formale cui, h. e. ratio propter quam cultus defertur, *et utrum ille cultus sit* absolutus *an* relativus.

R. Nomine *Sanctorum*, hic designantur tum generatim omnes qui æterna felicitate, scilicet intuitiva Dei visione gaudent in cœlis, tum speciatim illi qui ob heroïcum virtutum exercitium fuerunt ab Ecclesiæ auctoritate *Sancti* declarati aut *Beati*. « Possunt quidem per se coli etiam sancti in terra degentes dummodo sufficienter constet de eorum sanctitate; sed quia incerta est eorum finalis perseverantia, et quia ratio habenda est humilitatis eorum, Ecclesia sanctos ante eorum mortem non colit » (1).

I. In cultu publico Sanctorum objectum formale cui seu ratio propter quam cultus defertur est ipsa *sanctitas supernaturalis,* quæ formaliter consistit in rectitudine voluntatis circa ultimum finem supernaturalem. (2)

Hanc esse excellentiam propter quam cultus defertur Sanctis constat:

1/ ex orationibus et lectionibus quæ ad Sanctos colendos recitat Ecclesia in Officio et Missa: ideo enim laudantur Sancti quia excellentiori modo coluerunt virtutes supernaturales et per hoc visionem Dei intuitivam meruerunt, quæ est consummatio sanctitatis;

2/ ex hoc quod Ecclesia quando Sanctum proponit venerationi, intendit ut colentes eamdem excellentiam

(1) Pesch, *Tractatus Dogmatici*, T. IV, n. 629.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, T. V, p. 294.

imitentur propter quem laudant Sanctum: « Qui sanctorum merita religiosa caritate miratur, quique justorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos atque justitiam imitetur: quoniam quem delectat Sancti alicujus meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium. Quare aut imitari debet, si laudat; aut laudare non debet si imitari detrectat » (1). « Fidelis quippe sermo, et omni acceptione dignus: ut quos solemni veneratione prosequimur, etiam simili conversatione sequamur: quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota aviditate curramus » (2). Jamvero sanctitas est id quod nobis imitandum proponitur: ergo etiam sanctitas est id propter quod laudantur Sancti.

Nota. Quando auctores statuunt excellentiam propter quam honorantur Sancti consistere « in donis gratiæ et gloriæ, in amicitia Dei, in conjunctione cum Deo, etc. » (3) non aliam intendunt excellentiam quam sanctitatem supernaturalem. Et re quidem vera: gratia est causa formalis sanctitatis, gloria sc. visio Dei intuitiva, est consummatio sanctitatis; quoad amicitiam Dei: si in hoc consideratur directe amor Sancti erga Deum, hic amor est supernaturalis charitas quæ essentia est perfectionis moralis, si vero consideratur amor Dei erga Sanctum hic amor sub alia et alia consideratione præsupponit sanctitatem et est ejus causa: amor Dei erga sanctum ideo huic affert excellentiam præcise quia hic amor vel supponit vel confert sanctitatem. (4)

---

(1) S. Joannes Chrysostomus, *Serm. de Martyribus*, in Brev. Rom, lect. IV in die VII infra Octavam omnium Sanctorum.

(2) S. Bernardus, *Serm. II de Festo Omnium Sanctorum*, in Brev. Rom. lect. IV in die VI infra Octavam omnium Sanctorum.

(3) Bouquillon, *De Virtute Religionis*, n. 75.

(4) Etiam in societate civili amor Regis erga aliquem subditum huic in tantum affert excellentiam in quantum ejus amor vel supponit bona v. gr. scientiam, virtutem in amato, vel causa erit bonorum ipsi amato communicandorum.

Notemus præterea excellentiam quæ in supernaturali sanctitate consistit variis rationibus posse considerari et explicari: sancti v. gr. considerari possunt ut excellentiori modo filii adoptivi Dei, hæredes Dei et cohæredes Christi, conjuncti cum Deo cognitione et amore: hæc autem omnia non sunt diversæ excellentiæ, sed unius ejusdemque excellentiæ notæ constitutivæ. Tandem ad ipsam formalem sanctitatem et essentialem beatitudinem quæ est sanctitatis consummatio, consequuntur in Sanctis quædam aliæ dotes: v. gr. sunt potentes ut intercedendo obtineant a Deo bona hominibus, gaudent societate B^ae Mariæ V., cælorum Reginæ, etc.: sed illa sunt proprietates ipsius sanctitatis consummatæ, et ad hanc excellentiam reducuntur.

II. Uti supra (p. 179) exposuimus, absolutus est cultus quando aliquis honoratur propter excellentiam ipsi propriam et insitam; atqui sanctitas, ut patet, est excellentia Sancto propria et insita. Ergo cultus publicus qui ab Ecclesia defertur Sanctis est *absolutus*.

Verumtamen non repugnat Sanctos coli *relativo* cultu: etenim Sancti, considerari possunt ut imagines et templa Dei. Jamvero « si Sanctum formaliter consideres ut relatum ad Deum, seu Deum consideras in ipso, et intendas eum sic colere ut templum et imaginem Dei, sic est cultus latriæ, sed relativus prout Sanctum attingit » (1). Tunc enim ratio formalis propter quam tribuitur cultus est divina excellentia quæ quidem Sancto non inest sed ad quam dicit relationem.

Tamen ille cultus relativus latriæ ab Ecclesia non tribuitur, ne errori detur locus: et sane: quum *persona* digna sit quæ secundum se honoretur, propter excellentiam ipsi propriam et insitam, fieri posset ut populus non sufficienter perspiciens distinctionem inter absolutum et relativum cultum, Sanctos coleret cultu latriæ

---

(1) Illmus ac Revmus Waffelaert, *Confessarius rite institutus ad impugnandam blasphemiam*, n. 26.

absoluto: quod periculum minime existit quando imagines Dei pictas vel sculptas relativo latriæ culto honorantur: quippe quæ imagines nullo modo propter se ipsas sunt colendæ, sed tantum secundum quod referunt prototypum. Ad rem S. Thomas: « Creaturæ rationali debetur reverentia propter seipsam: et ideo si creaturæ rationali, in qua est imago Dei, exhiberetur adoratio latriæ (relativa) posset esse erroris occasio: ut scilicet motus adorantis sisteret in homine in quantum est res quædam, et non referretur in Deum, cujus est imago: quod non potest contingere de imagine sculpta vel picta in materia sensibili » (1).

J. V. D. M.

IV

Q. Da notionem Indulgentiæ.

R. Potest indulgentia describi: Relaxatio reatus pœnæ temporalis per applicationem ab Ecclesia factam satisfactionum Christi et Sanctorum.

Explicatur.

Dicitur 1°/ relaxatio reatus *pœnæ temporalis,* pœnæ scilicet coram Deo debitæ (2), quæ relinquitur ex peccato quoad culpam remisso. Nimirum, uti latius id ostendimus, *Collat. Brug.,* tom. V, p. 645-646, remissa peccati offensa, ex aversione a Deo contracta, tollitur quidem pœna damni et pœna sensus, quà æterna est, sed plerumque relinquitur reatus pœnæ temporalis, adnexus inordinationi quæ habetur in peccato, in quantum importat inordinatam conversionem ad creaturas.

Dicitur 2°/ *per applicationem* satisfactionum.

Etenim non directe condonatur reatus pœnæ, sicut in sacramento Pœnitentiæ, sed extinguitur debitum pœnæ

(1) III, Q. XXV, a. 3, ad 3.

(2) Infra vindicabitur hujusmodi indulgentiæ effectus, ejusque natura amplius describetur.

quasi indirecte potius et e consequenti, quatenus scilicet directe pœna luenda compensatur seu ei satisfit et pro ea pretium solvitur æquivalens, quam compensationem consequitur ipsius reatus relaxatio.

Porro dicta compensatio reatum extinguens non obtinetur per satisfactionem personaliter peractam ab illo qui reatui est obnoxius, et ex opere operantis valentem ad debitum solvendum, sed per satisfactiones Christi et Sanctorum ab Ecclesia elargitas in ordine ad extinctionem præfati pœnæ reatus (1).

Ex quibus apparet analogiam habere indulgentiam cum extinctione debiti cujuslibet coram creditore contracti, quotiescumque extinguitur non directa et gratuita remissione a creditore facta, sed solutione pecuniæ debitæ ex alieno thesauro numeratæ.

Cæterum in hunc sensum scribit S. Thomas, *Supplem.*, qu. XXV, art. 1, ad 2^{m}, ubi docet: « qui indulgentiam suscipit non absolvitur simpliciter loquendo, sed datur ipsi unde debitum solvat »; adeoque « nihil de pœna dimittitur (seu directe condonatur), sed unius pœna (satisfactiones nempe Christi et Sanctorum) alteri computatur », et consequenter relaxatur reatus, soluto pretio ex thesauro Ecclesiæ, non secus ac si ipse debitor pro se satisfecisset. Cf. S. Thom., l. c., art. 2, in corpore, collato *Quodlib.*, II, qu. 8, art. 16.

Dicitur 3° ... *satisfactionum Christi et Sanctorum.*

Nimirum thesaurus Ecclesiæ constituitur non tantum satisfactionibus infinitis *Christi Domini* sed etiam superabundantibus satisfactionibus *B. Mariæ Virginis et reliquorum Sanctorum,* ex quarum cumulo haurit Ecclesia in concedendis indulgentiis. Cum autem Sancti pertineant ad corpus Christi mysticum, meritò thesaurus ille dicitur constare satisfactionibus Christi *in unione spectati cum corpore ipsius mystico,* uti latius exponit

(1) Qua diversa ratione illa thesauri dispensatio fiat in indulgentiis pro vivis et pro mortuis, rursùs infra exponetur.

Lehmk., *Theologia Moralis*, II, n. 531, in nota, collata Theol. Mechl., *De Indulgentiis*, n. 1, qu. 7. Ideo autem, subjungit Billot, *De Sacramentis*, II, p. 225, in nota, « voluit Deus in thesauro Ecclesiæ recondi satisfactiones Sanctorum, easdemque nobis applicari, ut per hoc commendaret unionem membrorum corporis mystici, foveret charitatem, suos amicos glorificaret, ac demum manifestaret perfectionem redemptionis, quæ ipsosmet redemptos cooperatores redemptionis aliorum efficere potuit ». (1).

Porro *satisfactiones* hic veniunt *sensu stricto,* pro operibus scilicet Christi et Sanctorum, in quantum important quid *pœnosi* ac virtutem habent insitam satisfaciendi pœnæ debitæ eamque compensandi; et ratio est quia ad hoc præcise inserviunt in manu Ecclesiæ indulgentiam impertientis ut satisfaciant pœnæ temporali pro peccatis nostris luendæ. (2).

Nihil tamen impedit quominus dicamus opera Christi Domini (3), *quà meritoria*, *remote* conferre ad indulgentiæ efficaciam in ordine ad extinctionem reatus pœnæ, quatenus nempe meritus sit Salvator remissibilitatem peccati etiam quoad pœnæ reatum, et simul meritis suis dignitatem indiderit operibus Sanctorum ut habeant virtutem satisfactoriam ac in thesauro Ecclesiæ recondi valeant. Cf. Palmieri, op. cit., p. 470: collatis Pesch, *Prælectiones Dogmaticæ*, VII, n. 489, et Theodoro a Spir. S°, *De Indulgentiis*, cap. II, art. 2.

(1) Neque dicas satisfactionibus Christi, utpote infinitis nihil posse addi. Ad hoc enim « dicendum non ideo accrescere thesaurum Ecclesiæ satisfactionibus justorum, quasi essent insufficientes satisfactiones Christi, a quibus aliæ omnes vim suam participant, nec quasi satisfactiones Sanctorum additæ satisfactionibus Christi *plus satisfactionis* efficerent; nam sicut entia finita addita Enti infinito non faciunt plus entis, sed solum plus entium, ita in præsenti » Billot, l. c.

(2) Satisfactiones non semel dicuntur merita sensu latiori et genericè, quatenus et ipsæ aliquid exigunt, hoc est, extinctionem debiti. Cf. Palmieri, *De Pœnitentia,* p. 470.

(3) Opera bona Sanctorum, quà meritoria, solis profuerunt Sanctis, nec possunt prodesse Ecclesiæ membris nisi quà satisfactoria dumtaxat.

Dicitur 4°/ per applicationem *ab Ecclesia factam,* ab illis nimirum qui præsunt Ecclesiæ, seu a S. Pontifice, qui solus proprio jure supremus dispensator existit spiritualis illius thesauri, quippe qui juris est communis et ad universam pertinet Ecclesiam; et ab Episcopis, qui potestate quidem ordinaria, ast jurisdictione mediante Pontifice Supremo accepta, potestate ab eo limitata quasdam indulgentias et pro suis tantum diœcesanis concedere valent. Cf. S. Thomas, *Supplem.*, q. 26, et Thomassinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina* etc., p. I, lib. II, c. XV.

A. D. S.

V

Q. *Da definitionem virtutis moralis supernaturalis eamque explica.*

R. Virtus moralis supernaturalis definitione reali ac descriptiva rite definitur: « Habitus supernaturalis, a Deo homini justo per se infusus in ordine ad actus supernaturales et meritorios circa media ad finem supernaturalem exercendos » (1).

1/ Dicitur *habitus*. Habitus autem (operativus) est qualitas (2) difficile mobilis a subjecto informans ac perficiens facultatem in ordine ad connaturales seu proprios actus quorum est principium permanens. Habitus operativus *naturalis* tanquam principium permanens potentiam naturalem informat ac perficit in ordine ad actus naturaliter bonos, i. e. mere ut rationi naturali conformes. Habitus operativus *supernaturalis* ad modum principii supernaturalis permanentis poten-

(1) Cfr. Ill^m ac Reverend^m D. Waffelaert, *Tract. de Prudentia, Fortitudine ac Temperantia*, Brugis, 1889 p. 10.

(2) Habitus scil. est de genere qualitatis, et sic virtus in genere definitur cum S. Thoma (I^a 2^æ q. 55 a. 4): « bona *qualitas* mentis qua recte vivitur et qua nullus male utitur ».

tiam naturalem perficit ac elevat ad connaturaliter eliciendos actus supernaturales. Est scil. habitus supernaturalis qualitas superveniens potentiæ naturali quam elevat ad formalitatem seu modalitatem operationis transcendentem omnes naturæ exigentias atque vires. Unde proximum supernaturalis actûs principium non tam est habitus supernaturalis infusus quam potentia naturalis prout supernaturali habitu informata ac elevata.

2/ *Supernaturalis* scil. stricte: entitative et quoad substantiam ipsius habitus. Ità distinguitur ab omnibus habitibus ordinis mere naturalis, sive habitus naturales a/ a natura ipsa *insint innati*, utpote unà cum natura ab Auctore naturæ accepti ut, e. g. intellectus primorum principiorum; sive b/ sint actibus humanis frequenter repetitis *acquisiti*, ut sunt v. g. omnes habitus naturalium scientiarum atque artium; sive c/ in se licet naturales *per accidens sint infusi a Deo*, adeoque supernaturales non quoad entitatem sed quoad *solum infusionis modum*. Ità Adam scientiam quam alii homines actuum frequentatione addiscere possunt, ipse sine labore, a Deo immediate et *modo* supernaturali accepit.

Est igitur virtus habitus supernaturalis

3/ *a Deo per se infusus,* tanquam a causa principali efficiente. Dicitur *per se* infusus habitus supernaturalis quia ejusmodi est quidditatis ut nullam aliam præter divinam infusionem habere possit originem. Et ità signanter distinguitur ab habitu *per accidens* infuso, seu solummodo supernaturalis quoad modum (de quo statim suprà dicebamus), qui scil. natus est acquiri actibus naturalibus, de facto tamen modo supernaturali et miraculoso a Deo præter communem naturæ ordinem infunditur. (1).

(1) Hinc processit nomen virtutem *infusarum* videlicet infusarum *per se*, et non per accidens tantum, quo in Ecclesia insigniuntur. Hinc etiam ubique earum recepta definitio: « bona qualitas mentis qua recte vivitur, qua nullus male utitur, *quam Deus in nobis sine nobis operatur* ». Cfr. Billot, *De Virtutibus Infusis,* Romæ 1901, p. 40 s.

Quod autem virtutum *entitative* supernaturalium tam productio quam augmentum a solo Deo efficienter esse possit, sequitur ex ipsa intrinseca illarum ratione. Dictæ enim virtutes se habent ut potentias illius novæ naturæ participatæ per quam homo supra totum esse suæ naturæ propriæ elevatur. Ergo in eodem supernaturali ordine participato inveniantur oportet. Unde, quemadmodum ad ipsum entitativum gratiæ sanctificantis habitum, ità et ad hujus supernaturalis essentiæ habitus operativos reperitur in homine potentia passiva mere obedientialis quam solus Deus in actum reducere potest. — Inde logice insuper fluit actus humanos, etiam supernaturales, tantùm causam esse dispositivam ad primam infusionem virtutum infusarum, vel meritoriam quantum ad illarum subsequens augmentum, exclusa semper ratione causæ proprie efficientis.

4/ *Homini justo:* huic enim soli tanquam *subjecto remoto* infunduntur virtutes supernaturales. Infunduntur autem simul cum charitate theologica et gratia sanctificante (1) quacum sunt inseparabiliter connexæ, ità ut nulla earum ante cæteras infundatur omnesque simul infundantur et amittantur cum ipsa gratia et charitate. Ipsa quidem gratia sanctificans cùm sit causa formalis justificationis sitque instar novæ naturæ participatæ, nova postulat eaque proportionata operandi principia, sicut potentiæ operativæ naturales postulantur a natura.

5/ *in ordine ad actus supernaturales.* Nam sicut per naturales habitus operativos habet homo potestatem agendi secundum ordinem naturæ qua homo est, ità per infusas virtutes potestatem habet operandi secundum ordinem naturæ divinæ participatæ. Attamen, occurrit hîc notabilis differentia: virtus acquisita potentiam naturalem præsuppositam perficit tribuendo

(1) De distinctione gratiam sanctificantem inter et virtutem charitatis theologicæ, cfr. Ill^{m} ac Reverend^{m} Waffelaert, *Annotationes in tractatum de Virtutibus theologicis*, Brugis 1900, n. 438 s.

ipsi operandi *facilitatem;* contrà virtus infusa potentiam naturalem perficit ac elevat largiendo ipsum *supernaturale posse simpliciter*, non vero agendi facilitatem (1). Potentiæ seu facultates quibus tanquam *subjecto proximo* inhærent virtutes morales infusæ sunt ratio, voluntas et uterque appetitus sensitivus, concupiscibilis et irascibilis in quantum natus est obedire parti superiori. — Additur: *et meritorios*, quia in justo, probabiliter saltem, omnes actus supernaturales meritorii sunt augmenti gratiæ et gloriæ.

6/ *circa media ad finem supernaturalem exercendos.* Omnibus virtutibus supernaturalibus commune est ut disponant ad operationes convenientes uni eidemque naturæ divinæ participatæ. Restat ergo ut *distinguantur* virtutes infusæ secundum ordinem ad operationem consideratam non quoad modum supernaturalitatis, verùm quoad *objecta formalia* (2). Jam vero, secundum objecta ad quæ specialem inclinationem conferunt distinguuntur virtutes infusæ in *theologicas*, quæ hominem rite

(1) « Non agitur, ait Card. Mazzella (*De Virtutibus Infusis*, Romæ 1884 p. 37) de facilitate intrinseca, quæ consistat in inclinatione potentiæ ad propria objecta; eam enim nemo, ni fallor, denegat virtutibus infusis, eo ipso quod conferunt potestatem agendi... Sed quæstio est de illa facilitate propria virtutum acquisitarum, quæ superaddita ipsi inclinationi potentiæ ad sua objecta, facit eam promptam, ità ut feratur in aliquod determinatum quocumque casu, vel saltem in pluribus ».

(2) Virtutes specificantur ab objecto formali cujus variæ formalitates quasi formam tribuunt materiæ, ità tamen ut species proxime repetenda sit ab illa formalitate quæ proxime movet seu a *motivo* virtutis. Ità in virtute *theologica* ipse Deus se habet tanquam materiam, potissimam saltem, circa quam ipsa versatur immediate, et tanquam motivum seu rationem formalem objectivam principaliter moventem. (Sic fides divina credit *Deum* resque ad Deum spectantes propter auctoritatem *Dei* revelantis) In virtute *morali* e converso, ut materia immediata accipitur res creata, et tanquam ratio formalis objective movens, rectitudo quædam seu honestas in virtute elucens in ordine ad ultimum finem. Ità virtus religionis, quæ cæteris virtutibus moralibus est præstantior, ut objectum materiale immediatum (obj. mat. *quod*) habet *actiones cultus divini*, et tanquam rationem formalem proxime moventem ad cultum, habet *honestatem* scil. *rationem debiti* quæ in tali cultu relucet.

convertunt et proxime disponunt ad actus circa *finem* supernaturalem exercendos, et *morales* quæ proxime seu directe hominem disponunt ad actus connaturales *circa media ad finem* supernaturalem exercendos.

Verùm, cum principia supernaturalia operativa non tam perfecte habeantur quam natura, sed solùm per *participationem* supernaturalem, potentias elevatas non ita inclinant ad actus ut solo concursu Dei generali in actum prorumpere possint: *requiritur ad hoc specialis motio Spiritus Sancti* Oportet quidem facultatem esse in potentia tum ad recipiendum Spiritus sancti instinctum, tum ad eliciendum actum ad quem prædeterminat instinctus. Utrumque autem præstat specialis illa motio in actum reducens tùm dona Spiritus Sancti quibus homo obedit instinctui divino, tùm virtutes morales supernaturales quibus moventi rationi elevatæ obsecundatur in ordine ad actus circa media ad finem (1).

A. C.

VI

Q. Exposita relatione quæ viget virtutes infusas inter et acquisitas, ostende virtutum acquisitarum utilitatem in ordine præsenti supernaturali.

R. 1/ **Exponitur relatio**. Cùm natura necessarium sit gratiæ fundamentum, principiaque supernaturalia naturam sanent et elevent, minime vero deprimant vel destruant, patet per repetitos actus virtutum infusarum in ordine præsenti *acquiri* posse habitus bonos seu virtuosos quibus facilitas exercitii earumdem virtutum acquiritur. Ut diximus in q. præcedenti (p. 245), proximum supernaturalis actus principium non est sola virtus infusa, sed potentia naturalis per infusam virtutem elevata. Sicut ergo virtus infusa initio elevat po-

(1) Cfr. Ill^m^ ac Reverend^m^ Waffelaert *De Prud. Fort. et Temp.* p. 3 ss. 11 s.

tentiam naturalem nondum habituatam ex assuetudine operum, ità post repetitum exercitium et habitum acquisitum elevat potentiam assuefactam, disciplinatam et promptitudine ac facilitate donatam ad movendum se modo virtuti consentaneo.

Unde virtutes acquisitas inter et infusas hanc intimam statuimus relationem, *vi cujus actus virtutum infusarum efficienter* (1) *producunt habitus naturales acquisitos, ab infusis specie distinctos, et per quos potentiæ disponuntur ad prompte et facile exequenda opera etiam supernaturalia.* Qui habitus acquisiti sunt potissima causa a qua, de lege ordinaria, pendet in infusis virtutibus exercitii facilitas et promptitudo. Unde virtutes illæ, licet specie penitus distinctæ, nedum sibi invicem pugnent, contrà sibi mutuo sunt adjumento.

Per frequentationem actuum virtutum *infusarum* acquiri quamdam *agendi facilitatem* apud omnes theologos in confesso est. Cæterùm hoc factum constans et universalis experientia testatur, sanctorum vita clare demonstrat Christique fideles quotidie experiuntur se acquirere specialem exercitii facilitatem in ea virtute speciali in qua speciali quoque modo se exercent. Hujus tamen facti non unanimem theologi proponunt explicationem (2); pluresque immerito relationem expositam haud admittendam censent.

Quidam tenent prædictam facilitatem oriri ex *habitibus per se infusis intensioribus factis per actus repetitos.* Quæ sententia ex eo videtur rejicienda quod virtus infusa non præstat ex se exercitii facilitatem; quodque intensiore facta una virtute supernaturali, crescunt et reliquæ: daretur ergo facilitas ad actus aliarum virtutum infusarum, quod experientia constat esse falsum.

Juxta alios facilitas illa præcipue tribuenda videtur

(1) Adeoque non solum habent vim meritoriam ipsarum virtutum secundum se. Cfr. Billot *o. c.* p. 61.

(2) Cfr. Mazzella *o. c.* p. 42 ss.

non alicui habitui acquisito, sed *dispositioni subjecti per remotionem impedimentorum seu destructionem inclinationis vitiosæ contrariæ*. Verùm, valde inconsequenter loqui videntur illi auctores. Etenim causalitas actuum virtutis repetitorum præcise destruit inclinationem vitiosam contrariam removetque impedimenta, quatenus per actus repetitos generatur proclivitas seu inclinatio ad actus similes. Hæc autem inclinatio sensim minuit ac destruit inclinationem contrariam, inordinatas passiones aliaque hujusmodi impedimenta. Unde operum assuetudo *directe* potentiæ imprimit proclivitatem ad actus ejusdem tendentiæ, et *consequenter* tantum imminuit destruitque inclinationem oppositam removetque impedimenta. Certe ab habitu supernaturali nullus unquam procedere potest actus naturalis. Verumtamen, quia facultas naturalis per virtutem infusam elevata eumdem servat modum tendendi in objectum, quem habuisset absente supernaturalitate, ideo nascitur in facultate propensio ad actus ejusdem tendentiæ, adeoque *acquiritur habitus naturalis* (1).

Facilitas exercitii, ut notavimus in q. præcedenti (p. 246 s.) omnino propria est virtutibus acquisitis et non competit infusis. Hæ elevant potentias, dant posse simpliciter adeoque essentialem inclinationem ad bonum quod est objectum virtutis, sed ex se non vincunt difficultates extrinsecas, non minuunt neque destruunt inclinationem ad vitium oppositum.

2/ **Ostenditur utilitas** virtutum acquisitarum in ordine præsenti supernaturali. Ex dictis jam concludere licet virtutes acquisitas tum peccatori tum justo esse perutiles, etiam in ordine ad finem supernaturalem.

a/ *Peccator* orbatus gratia sanctificante potest cum gratia actuali et ope habitus acquisiti ponere actus supernaturales numero plures atque faciliores, et ità potest, per actus de congruo meritorios, *citius atque*

(1) Hæc magis evoluta videri possunt apud Billot *o. c.* p. 50 ss.

convenientius se disponere ad justificationem. Quod ex suprà dictis abunde elucet. Etenim, amissis per peccatum lethale virtutibus infusis, non eo ipso amittuntur habitus naturales per iteratos actus naturaliter bonos vel etiam per virtutum infusarum actus acquisiti. Proclivitas et inclinatio ad actus similes impressa in facultatibus animæ non destruitur per unum solum actum contrarium. Sicut enim virtutes acquisitæ efficienter generantur et augentur ex eo quod facultates *multoties* moventur ad actus ejusdem tendentiæ, efficienter diminuuntur et totaliter destruuntur (1) ex hoc quod eædem facultates *multoties* moventur ad actus oppositos. Facilitas ergo quæ ex habitu acquisito remanet peccatori optime inservire potest in ordine ad finem supernaturalem.

b/ *Justus* pariter maximam utilitatem e virtutibus acquisitis haurire valet. Imprimis *potest per charitatem imperantem actus virtutum acquisitarum elicitos ad finem supernaturalem ordinare*, non tanquam ex se proportionatos, sed ex parte principii imperantis.

Præterea justus, virtutibus acquisitis ornatus, *facilius* atque *frequentius utitur virtutibus infusis*. Virtutes enim supernaturales ex sese non conferunt positivam exercitii facilitatem, neque tribuunt negativam in remotione impedimentorum sitam, puta in destructione habitus vitiosi oppositi, in compressione appetitùs sensitivi deordinati etc. Hanc exercitii facilitatem cùm solæ conferant virtutes acquisitæ, patet quantopere justum in virtutum infusarum exercitio juvare natæ sint (2).

A. C.

---

(1) Alia assignatur diminutionis ac corruptionis causa scilicet *simplex cessatio ab actibus*. Ast, non eodem modo est causa ac frequentatio actuum virtuti acquisitæ oppositorum: est enim solum causa *per accidens*, in quantum nimirùm causa eśt cur non prohibeantur seu comprimantur positiva corruptiva, quæ sunt causa diminutionis et corruptionis directa et per se.

(2) Cfr. Ill^{m} ac Reverend^{m} Waffelaert, *o. c.* p. 11 s.

Dissertatio

An serpens, de quo Gen., III, fuerit verus serpens, actus tamen a dæmone, an vero serpens metaphoricus, seu diabolus.

(*Sequitur*. — Cfr. suprà p. 138).

—

5. Si verus serpens, aiunt adversarii, mulierem allocutus est, non intelligitur quomodo Eva ejus congressum non exhorruerit, neque ad vocem ejus obstupuerit et fugerit. Etenim « ad hujus etiam sententiæ confirmationem pertinet, ait *Cajetanus*, quod nihil Moses scripserit de accessu serpentis ad mulierem, nihil de pavore atque horrore mulieris ad præsentiam serpentis: cum tamen Moses, ut scriptum est Exodi 4., serpentis præsentia territus aufugerit: tantùm scribitur serpentem fuisse callidiorem cæteris animantibus, et allocutum esse mulierem, eamque sine ulla perturbatione familiariter respondisse serpenti. Et verò, satis domesticus et familiaris collocutor est diabolus, serpentinis suggestionibus et consiliis interiora nostra pulsans ».

R. Eva aspectum et *congressum* serpentis non exhorruit, eo quod in statu innocentiæ omnia animalia placidè ac obedienter essent homini subjecta, et sicut nihil mali poterant inferre homini, ita nec timorem aut horrorem ullum incutere possent. Ita S. Chrysostomus, *homil. 16 in Genes.*: « Collige hinc, ait, quòd ab initio nulla bestiarum super terram terrebat vel virum, vel mulierem: sed *dominium et subjectionem agnoscebant omnia*. Et sicut nunc domestica animalia, ita et fera et immansueta tunc subdita erant ».

Cur autem Eva ad *vocem* serpentis non obstupuerit, non eodem modo explicant interpretes. Juxta S. Bona-

venturam, S. Thomam (2 Sent. Distinct. 21), a Lapide, aliosque, « non horruit Eva, quamvis sciret serpentem naturaliter loqui non posse, quia existimaverit, id fieri angelica virtute, quæ an bona esset vel mala, non attenderit. Ceterum in paradiso omnis metus aberat » Lamy, *in h. l.* Ad hæc, minus licet probabiliter, sentiunt, Cyrillus, Procopius, Tostatus, Pererius, Bonfrerius, Smitsius, etc. « propterea non obstupuisse Evam, quia nesciebat facultatem loquendi nulli animali naturaliter esse datam; nam et novitas rerum, et inexperientia ipsius, et quod perfectio conditionis muliebris perfectam omnium rerum naturalium scientiam minimè deposceret, ejus ignorationis causa fuit » Pererius. Objicienti verò hujusmodi ignorantiam repugnare perfectæ scientiæ quam protoparentes habuerunt, haud inscitè respondet idem Auctor: « Duplicem faciunt Theologi ignorantiam, unam *puræ negationis,* alteram *pravæ dispositionis.* Et hæc quidem repugnabat statui innocentiæ, illa verò minimè: pueri namque in eo statu diu fuissent multarum rerum ignorantes, quas scilicet processu temporis didicissent. Firmo autem assensu falsa pro veris, aut vera pro falsis approbare, magnum fuisset vitium, magnumque malum, perfectionique ejus status omnino contrarium. Eva igitur habuit ignorantiam puræ negationis, nesciens utrum serpens loqui posset, necne: quam ignorantiam brevi abjecisset interrogato viro suo, et ab eo docta. Nec ipsa credidit firmo assensu serpentem posse naturaliter loqui, sed dubio tantum et quasi suspenso. Mota est autem ad eum audiendum, ejusque verbis credendum, illecta promissis ejus, quæ visa sunt ei amplissima, pulcherrima, maximeque optanda ». Neque alia videtur ratio, cur serpens seu dæmon per serpentem, adortus sit Evam potius quam Adamum, nisi quia illa erat inferioris sapientiæ et prudentiæ, ob idque magis patebat deceptioni. Et verò, Evam inferioris sapientiæ et prudentiæ fuisse, S. Paulus (I Tim. II, 14) ex eo demonstrat quod ipsa, non Adam, à ser-

pente decepta fuerit. Sed et ipsa Eva confessa est se à serpente deceptam fuisse, v. 13: *Serpens decepit me, et comedi.*

Quod verò Cajetanus dicit de *internis diaboli suggestionibus*, id statui quidem hominis lapsi, minimè vero statui innocentiæ convenire, suprà jam satis ostendimus.

6. Objiciunt serpentem, *culpæ incapacem*, maledici ac puniri non debuisse.

Respondemus serpentem maledictum ac punitum fuisse ut *organum* diabolicæ nequitiæ. Neque enim insuetum est, aut injustum, ait Smitsius, simul cum authoribus scelerum organa detestari et punire. Sic pater execratur et confringit gladium quo filius ejus occisus est. Appositè Bonfrerius: « Neque obstat quod serpens nihil deliquisset, ut sic mulctaretur; satis est ipsum fuisse instrumentum diabolo ad decipiendum; sic enim instrumenta scelerum, vel bestiæ flammis vel morti addicuntur, quòd vel homines ad scelus perpetrandum adjuverint, vel aliquid sceleri simile admiserint. Exemplum habes Exod. 21, v. 29; Levit. 20, v. 15; Deut. 7, v. 25; 13, v. 15; Josue 7, v. 25 et 1 Reg. 15, v. 3. Et nunc etiam bestiæ cum quibus contra naturam peccatum sit, et sues quæ infantem devorarint morte plectuntur; quæ omnia ad crudelitatis et turpitudinis majorem detestationem referuntur, utque homines à facinoribus magis absterreantur: atque ita hæc serpentis maledictio et quasi punitio hunc finem habuit, ut primi parentes magis peccati sui gravitatem cognoscerent. Addo et puniri aut quasi puniri alia à delinquente, quando id ad delinquentis punitionem vergit, quomodo terra hic maledicitur v. 17 ».

7. Opponunt pœnam serpenti inflictam v. 14: *terram* (hebr. *pulverem*) *comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, non quadrare in verum serpentem.

Respondemus pœnam illam longe minus proprie quadrare in dæmonem; pulverem autem esse quodammodo cibum veri serpentis, affirmari etiam apud Isaïam

65, 25 « *Serpenti pulvis panis ejus* » et apud Michæam 7, 17 « *Lingent pulverem sicut serpentes* ». Unde Calmetus: « Quamquam igitur carnibus, avibus, ranis, piscibus, fructibus, herbis, etc. serpentes nutriuntur, quòd tamen humi repant, ideo pulvere admixtos cibos vorare illos oportet: Neque aliis deficientibus dapibus, à terra seu vermibus terræ cum terra prorsus ingurgitandis abstinent ». In eumdem fere sensum scribit Hummelauer: « Neque textus edicit, serpentem uti terra seu *pulvere (aphar)* pro cibo. Dicitur quidem « serpenti pulvis panis » Is. 65, 25: sed id aliud non est nisi « lingere pulverem », quod Mich. 7, 17 de serpentibus, Is. 49, 23 de iis prædicatur, qui coram aliis humi prosternuntur. Lingere verò panem ideo specialius serpentes dicuntur, qui os et linguam semper humi depressa gestent. Ob idipsum dicuntur comedere pulverem, quia scriptura h. l. uti in Cosmogonia res naturales describit, quales obtutui objiciuntur: jam videmus serpentes carnibus et herbis non vesci; quibus vescantur, non videmus; *os continuo prope terram gestare, quo pulverem frequenter hauriant, videmus; quod sufficit, ut dicamus illos terram comedere* ».

8. Objicitur tandem serpenti *naturale* fuisse, adeoque non *pœnale, super pectus suum ingredi, terramque comedere:* « Ad hæc, ait Cajetanus, idem fit manifestum consideranti pœnam quæ à Deo inflicta serpenti est: ea namque in verum serpentem minimè, in figuratum autem, id est, diabolum, maximè quadrat; neque enim super pectus ingredi, et pulverem comedere, serpentis pœna fuit, cum id etiam ante tentationem hominis serpens naturaliter haberet: neque enim tunc serpentes in aliam naturam, proprietates, et mores quàm priùs haberent, esse conversos et mutatos, existimare convenit ». Concinit R. P. Lagrange: « Qu'est donc le serpent? — L'instrument du diable. — Mais alors pourquoi est-ce lui qui est maudit, châtiment assez bénin du reste, puisqu'il rampera comme avant, et

comment pourra-t-il être vaincu en personne, après plusieurs générations de serpents? Ici les littéralistes s'arrêtent, et saint Augustin lui-même accorde qu'il faut voir là une figure. Mais pourquoi ne pas être conséquent et reconnaître dans le serpent, non pas l'instrument, mais le représentant du diable?... Ou bien qu'on soit logique, qu'on dise avec beaucoup d'anciens commentateurs que le serpent maudit était un vrai serpent, et s'il est condamné à ramper, c'est qu'auparavant il marchait sur ses pieds. Cajétan était-il trop dur en qualifiant cette intelligence de puérile? Le P. Hummelauer dit que c'est trop grossier, *crassius* ».

Ast communis fere est Interpretum responsio, ea quæ serpenti naturalia erant, eidem versa esse in pœnam. Unus omnium nomine audiatur Bonfrerius: « Existimant Josephus..... serpentem initio habuisse pedes, iisdemque posteà mulctatum... sed sententia est improbabilis; naturale enim est serpenti reptare absque pedibus: neque verò Deus propter peccatum, vel ejus occasione immutat naturalia, sicuti satis constat nihil in Angeli et hominis natura immutatum. Dico ergo, etiamsi hæc omnia, quæ quasi in pœnam contra serpentem decernuntur, fuerint naturalia, tamen antè peccatum non habuisse rationem pœnæ, aut quasi pœnæ, post verò illud habuisse: nam antè peccatum naturalis quidem erat antipathia inter hominem et serpentem, ea tamen non erumpebat, sed serpens cohibebatur divina providentia, ne homini noceret: similiter homo continebatur ne horrorem ex serpentis adspectu vel congressu conciperet, ob idque antipathia illa in actum secundum non erumpebat; post peccatum autem Deus in pœnam, sublata illa sua protectione et fræno permisit naturam suis motibus agi, et antipathiam ac odium illud in actum secundum erumpere; sicque factum ut deinceps serpens homini insidietur ad nocendum, et homo naturæ instinctu serpentem horreat et persequatur.

Similiter cetera, ut proreptatio super pectus, terræ

comestio, etiamsi antè peccatum serpenti convenirent, sed sine probro et ignominia, factum post peccatum hac divina maledictione, ut nunc maxime probrosa, ignominiosa, ac detestanda habeantur, et propter illa nihil vilius et infamius sit serpente. Simile est in homine de mortalitate et nuditate, quæ ante peccatum non erat homini pudenda, vel in pœnam, facta autem est post peccatum: contrà, per Christum crux quæ anteà infamis, facta est gloriosa. »

« Sic iris antè naturalis, post Noë cœpit esse signum pacti inter Noë hominesque et inter Deum initi » Menochius.

« Sic Adamo quoque et Evæ quædam deputantur in pœnam, quæ etiam in statu innocentiæ fuerant ipsis naturalia, v. g. uxorem subdi marito, herbis vesci, terram germinare ipsis spinas, et alia » Tirinus. Vide etiam Pererium, à Lapide, Smitsium, Lamy, Hummelauer, etc. (1)

Neminem autem moveat quòd S. Augustinus maledictionem pœnamque v. 14 serpenti indictam, ad dæmonem metaphoricè retulerit, cum idem S. Augustinus nomine serpentis (v. 1) intellexerit verum serpentem, actum tamen à dæmone; pœna autem v. 14 serpenti inflicta, licet sensu metaphorico aut concomitante (Hummelauer) diabolo inflicta dici possit, proxime tamen et immediatè, juxta communem fere Interpretum sententiam, vero et visibili serpenti denuntiata fuerit. Quod vero attinet ad pœnam v. 15 indictam, eam si non unice, saltem primariò in diabolum quadrare, ultrò profitemur: neque enim organum tantum, sed etiam atque in primis auctorem sceleris punire oportebat.

Veteres nonnullos, inter quos Josephus et S. Ephræmus, autumasse serpentem initio pedes habuisse, haud

(1) Etsi daremus Cajetano pœnam hoc versu inflictam ad solum diabolum metaphoricè referendam esse, inde tamen haud necessario sequeretur diabolum non esse abusum vero serpente ad decipiendam Evam, sed colligendum inde tantùm maneret metaphoricam istius pœnæ descriptionem ab ipso deceptionis organo desumptam esse.

inficiamur; verùm inde nihil aliud sequitur quam eos firmiter persuasos fuisse serpentem paradisiacum fuisse verum serpentem: quâ in re communiter cum ipsis sentiunt Interpretes; communiter verò ab iis dissentiunt in explicanda serpentis pœna, prouti suprà ex Bonfrerio exposuimus: quæ expositio adeo apud catholicos celebris est ac recepta, ut mirum sit eam à R. P. Lagrange penitus neglectam fuisse.

Jam concludamus cum Smitsio: « Nimis perspicua sunt, quæ *Moyses* de *Serpente* energumeno, ac diaboli organo hic tradit, quàm ut ea ad nudam allegoriam cogamus. Textum versamus historicum, circumstantiis realibus vestitum, in quo à proprietate et simplicitate literæ recedere, nisi id Spiritus S. luculenter indicet, vel alia ratio presse suadeat, et Patres et Theologi nefas agnoscunt ». Jam verò, ex suprà disputatis liquet levissimi momenti esse rationes quibus Cajetanus demonstrare conatur hic à proprietate et simplicitate litteræ recedendum esse, solumque intervenisse diabolum.

Gravia sunt ac meditatione digna verba doctissimi Pererii: « *Opinio Cajetani non ut falsa modo, sed ut erronea et temeraria ab omnibus qui sapiunt, et convenienter divinæ Scripturæ et catholicæ doctrinæ sentiunt, repudiari et abjici debet:* est enim contra doctrinam omnium Patrum et Theologorum, contra sensum populi christiani et Ecclesiæ; infixum enim est in animis mentibusque omnium Christianorum, idque publicè docetur in Ecclesia Dei Evam *corporali* et *sensibili tentatione* à diabolo per serpentem fuisse deceptam. Pervertit etiam Cajetanus fidem historiæ Mosaicæ, totam ejus narrationem faciens figuratam et metaphoricam: quam ob causam in sexta Synodo generali damnatus est Origenes. Nec ratio ulla satis idonea et probabilis afferri potest, si quæ scribit Moses de serpente, ea non historicè sed figuratè intelligenda sunt: cur non similiter quæ suprà de paradiso, de arbore vitæ, et de arbore scientiæ boni

et mali, de quatuor fluminibus, denique de formatione Adæ ex pulvere terræ et Evæ ex costa Adami, interpretanda sint: non enim magis illa quàm hæc, ut non historicè sed metaphoricè intelligantur, ex ipso textu Scripturæ testimonium habent ». Utinam hæc jam neminem tangant, angant! (1)

G. V. D. P.

(1) Quæ hucusque disputavimus *de ligno vitæ, de ligno scientiæ boni et mali, de adductione animalium ad Adam, de costa Adami*, necnon *de serpente paradisiaco*, eò potissimum spectant ut luculenter appareat nonnullorum Scriptorum catholicorum in exponendis SS Litteris longè fortiores esse affirmationes quàm demonstrationes; tùm etiam ut qui ad vetera quæque nauseare, in nova verò prurire assolent, cumque vix ex ephebis excesserunt, super senes intellexisse se autumant, veteres omnes Interpretes non adeo desipuisse ac sensu communi caruisse convincantur atque fateri cogantur. Persuasum autem habemus triplicem admonitionem à Romano Pontifice ad catholicos S. Scripturæ interpretes directam, vel novæ, uti aiunt, scholæ catholicæ antesignanos nonnullos et asseclas, vel neminem tangere.

De Jubilæi indulgentia et conditionibus

I. De natura præsentis jubilæi.

Indoles propria jubilæi hujusce anni 1901 est, ut sit *extensio ad universum orbem jubilæi anni sancti elapsi*, quod absque privilegio extra Urbem tunc acquiri non potèrat: « Jubilæum Magnum, ait Leo XIII in bulla *Temporis,* quod in hac Sacra Urbe celebratum est, ad universum catholicum orbem per has litteras extendimus ac sex mensium spatio prorogamus ».

Unde sequitur præsens jubilæum, licet propter ipsam extensionem ejusque naturales sequelas in quibusdam a jubilæo anni sancti discrepet (1), non habendum esse ut extraordinarium sed naturam potius induere jubilæi ordinarii (2). Eamdem affert fidelibus « plenissimam peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam (3) »; facultates nunc omnibus jubilæi confessariis concessæ vix non eædem sunt ac illæ quæ anno elapso indultæ fuerunt pœnitentiariis in Urbe electis; maxima etiam similitudo invenitur quoad opera injuncta: dum enim in jubilæo extraordinario præscribi soleant eleemosyna et jejunium, in jubilæo extensionis requiruntur tantum eæ conditiones quæ anno sancto præscribuntur, confessio nempe, communio et ecclesiarum visitationes cum debitis precibus (4). In hoc tantum habetur discri-

(1) Ita v. g. deficientibus jam iisdem motivis, extra annum sanctum non suspenduntur consuetæ indulgentiæ nec restringitur usus facultatum de quibus anno elapso sæpius actum fuit.

(2) De jubilæo ordinario et extraordinario cf. *Coll. Brug.*, V, pp. 127-128.

(3) Qua ratione hæc indulgentia nuncupetur *plenissima* et quo sensu dicatur non tantum *indulgentia* (seu remissio pœnarum) sed etiam *peccatorum remissio et venia,* cf ibid, pp. 181-182.

(4) « Id nobis curæ fuit, ait Benedictus XIV const. *Celebrationem* § 8, ut dum eamdem Jubilæi gratiam quæ Christifidelibus in Urbe præsentibus præterito anno concessa fuerat... ad universum catholicum orbem

men quod decies vel vicesies visitandis quatuor basilicis Romanis substituuntur quindecim series quatuor visitationum ad ecclesias in singulis civitatibus aut locis designandas.

Ex illis sponte fluit undenam hauriendæ sint **normæ interpretandi** ea quæ ad nostrum jubilæum pertinent:

1° Ante omnia inspiciendus est tenor ipsius bullæ extensionis *Temporis quidem* (suprà p. 105).

2° Applicari possunt ea quæ pro jubilæo anni elapsi vel decrevit Romanus Pontifex vel declararunt SS. Congregationes Romanæ.

3° Vi decreti S. C. Indulg. diei 15 Mart. 1852 « in jubilæo tum ordinario tum extraordinario servandæ sunt omnes regulæ a S. P. Benedicto XIV traditæ quibus non adversatur bulla jubilæi ». Sed ut monuimus anno præterito, (*Coll. Brug.*, V, p. 338), « non indiscriminatim cuicumque jubilæo applicari » possunt.

Notatim quoad jubilæum extensionis serventur præprimis eæ regulæ quas Benedictus XIV tradidit pro jubilæo ordinario a. 1750 (1), (ut ipse expressis verbis injungit in const. *Celebrationem*, § 8) et pro jubilæo extensionis anni 1751 (2). Illæ regulæ generatim servatæ fuerunt in jubilæis 1776-1826 et partim in jubilæo a. 1875. Ceterum etiam in iis (sub nn. 2° et 3°) non negligendæ sunt differentiæ inter ipsum annum sacrum et ejus extensionem.

4° Tandem in iis in quibus jubilæum extensionis plane convenit cum extraordinariis jubilæis, etiam ratio haberi potest declarationum quæ pro hisce datæ fue-

---

extendimus, *maximam servaremus similitudinem, quantum rerum natura ferebat, tam in operum injunctorum præscriptione, quam in concessione facultatum quibus confessarii uti poterunt* ».

(1) Præter bullam indictionis *Peregrinantes* datæ sunt præsertim constitutiones *Apostolica Constitutio* (de præparatione ad jubilæum), *Convocatis* (de facultatibus Pœnitentiariorum et confessariorum), *Inter præteritos* (in qua solvuntur varia dubia) et *Paterna Caritas* (qua extenditur gratia Jubilæi quibusdam impeditis).

(2) Bulla *Benedictus Deus* extenditur jubilæum ad universam Ecclesiam et bulla *Celebrationem* explicatur constitutio præcedens.

runt. Cum doctissimo Th. Arizzoli tamen notare juvat: « Quantum ad auctoritatem responsionum S. Pœnitentiariæ, omnes meminerint eas responsiones quæ *ex benignitate indulgentiaque Pontificis* manarint, *per se solas* non sufficere ad resolvenda dubia proposita occasione alius jubilæi, licet eadem sint; eas vero quæ simpliciter declaratoriæ sunt, suppeditare maximum argumentum ad diluenda ejusdem generis dubia » (1).

De jubilæi duratione. — Quum annus sanctus elapsus decurrerit a primis vesperis Nativitatis a. 1899 ad primas similiter vesperas Natalis Domini a. 1900, quæri posset utrum annus extensionis non sit computandus pari modo a festo Nativitatis 1900 ad Natalem a. 1901, juxta *stylum Nativitatis* olim in curia Romana adhibitum.

Quod tamen negandum est. Pontifices enim sequi solent morem inductum a Benedicto XIV qui bullam extensionis dedit quidem octavo kalendas Januarii 1750 (25 Dec.), sed publicari tantum jussit ipsis kalendis Januarii, ita significans annum jubilæi ab hac dumtaxat die decurrere. (2).

In singulis autem locis durat jubilæum tantum « *dimidiato anno* » seu « *per sex menses a die publicationis harum litterarum in qualibet diœcesi factæ computandos* ». Quibus verbis injungitur Ordinariis locorum publicatio facienda: quam tamen instituere licite possunt quando ipsis bene visum fuerit, modo terminum kalendarum Julii non excedant, quia sex menses decurrere debent ante finem anni 1901.

Hujus *publicationis* nomine non venit ipsa emissio

---

(1) Th. Arizzoli, *Dubia et responsa super extensione jubilæi .. anno MCM*, Roma 1901.

(2) Ceterum juxta stylum Nativitatis, novus annus 1901 jam incœptus esset die 25 Decembris elapsà. Jamvero S. P. Leo XIII bullæ suæ diem apposuit « octavo Calendas Januarii », non anno 1901 sed anno 1900, et statuit jubilæum pro « dimidiato anno *proximo* ». Ex his igitur rursus patet ipsum supputare initium hujus anni secundum computationem ordinariam, a 1ª Januarii.

litterarum episcopalium, sed actus auctoritativus quo, litterarum papalium lectione vel notificatione publice plebi christianæ facta, jubilæi favor nomine episcopi subditis nuntiatur. Quamvis autem dies publicationis non soleat computari intra spatium temporis concessum, nihil impedit quominus hæc ipsa dies computetur, si Episcopo ita visum fuerit. Jubilæum igitur ita publicari potest, v. gr. 30 Junii ut hæc ipsa dies dominica habeatur pro prima die sex mensium et dominica 29 Decembris pro ultima.

Si episcopus juberet una die dominica prælegi litteras Apostolicas et suas et simul indiceret initium jubilæi in diem dominicam sequentem, quamvis hoc verbis bullæ minus congruere videatur, nihilominus, juxta declarationem S. Pœnitentiariæ diei 29 Julii 1826, « standum esset declarationi Episcopi » (1).

Vi bullæ *Temporis,* sex menses debent esse continui. « Nihilominus SS^mus^ benigne indulget ut Ordinarii, interveniente gravi et legitima causa, possint pro suo prudenti arbitrio semestris tempus in partes dividere » S. Pœnit. 25 Jan. 1901 (cf. suprà p. 213).

Omnia opera injuncta persolvi debent intra sex menses ab Episcopo designatos, ita ut ne ipsa confessio pridie instituta valere possit ad effectum jubilæi acquirendi.

De indulgentiæ acquisitione. — *Semel* tantum jubilæum acquiri potest, ut expresse in bulla statuitur, et indulgentia animabus purgatorii applicari nequit siquidem Pontifex hanc facultatem — saltem hucusque — non concessit.

Omnes Christifideles, etiam illi qui forsan anno elapso jubilæum Romæ vel ex privilegio alibi adepti sunt, frui valent hoc anno omnibus jubilæi favoribus, dummodo rite adimpleant omnia opera injuncta de quibus nunc nobis agendum est.

(1) Arizzoli, o. c., p. 7.

Tractabimus primo de operibus prout regula generali imponuntur; dein de relaxationibus quas Romanus Pontifex indulget « ratione habita peculiaris conditionis in qua certas quasdam personas versari contigerit ».

II. De operibus regula generali injunctis.

Sicut pro jubilæo anni sancti, tria sunt: confessio, communio et ecclesiarum visitationes fusis precibus institutæ.

Quæ anno elapso scripsimus quoad generalia requisita, confessionem et communionem (*Coll. Brug.*, V, p. 135-136), etiam in præsenti jubilæo rite servanda sunt.

Expresse hocce anno in bulla cavetur « ut confessio annualis et Sacra Communio Paschalis ad effectum lucrandi jubilæum minime suffragentur », et nonnullis Episcopis gratiam huic statuto derogantem implorantibus « SS^mus^ minime annuendum censuit » (cf. suprà p. 213).

Superest igitur ut agamus

De visitationibus.

I. Quænam ecclesiæ designari debent ac possunt?

1/ Ipse Romanus Pontifex determinat in specie unam ex ecclesiis, quam Ordinarius lororum quovis in loco designare *debet* « ecclesiam nempe *cathedralem* in civitate episcopali et *majorem* in ceteris locis diœceseos ».

Quid autem veniat nomine *loci* non absque disputatione theoretica aut hæsitatione practica solvitur. Certe hac voce formaliter non designatur *paræcia* (1): civitas enim episcopalis etiamsi plures complectatur parœcias pro unô loco habetur. Sed nec intelligitur formaliter *communitas civilis,* ut vult *Nouv. Rev. Théol.*, VII, p. 439

(1) Extra civitatem episcopalem de facto ecclesia major generatim erit ecclesia parochialis, unde hæc ecclesia in bulla Pii VI nunc vocatur « major » nunc « parochialis ».

seqq. Inspecta enim rei natura, collatisque inter se multis textibus de hac materia statuentibus (1), persuasum habemus curiam Romanam nimime respicere ad determinationem limitum territorii ab auctoritate civili tam diversimode pro regiminis politici diversitate factam. (2).

Nec unice ut videtur ratio est habenda frequentiæ et conglobationis habitaculorum. Unde hanc vocem intelligimus juxta significationem indeterminatam quam solet habere et quam certe habet in quibusdam documentis hanc materiam respicientibus, v. g. S. Pœnitent. 25 Jan. 1901, ad III (supra p. 213). « Il nous semble donc, ait cl. Th. Bouquillon (3), qu'on ne peut apprécier que d'une manière morale quels sont les endroits qui doivent être regardés comme des localités, à l'effet dont il s'agit ».

Unde ubi apud nos extra civitates, in una communitate civili exstant vel duæ paræciæ vel paræcia et præpositura, inter se distantes, generatim utraque censenda erit *locus* diversus in sensu bullæ: utraque igitur ecclesia designari debebit sed pro suo respective loco, adeo ut non utraque sed alterutra visitari debeat.

Si autem sint quædam territorii partes ab ecclesia cathedrali, parochiali vel majore loci valde dissitæ, etiam ibi posset Episcopus ex speciali gratia SS^mi

(1) Ita v. g in decreto S. C. Ep. et Reg. 28 Febr. 1776, (ap. *Anal. Juris Pontificii* 12e série, col. 132) explicatur verbum *loci* per « civitates, castella et vicos », (città e castelli e borghi della diocesi). Cf. resp. ejusdem Congr. 17 Febr. 1826, (ibid col. 1011).

(2) Frustra, ut videtur, *Nouv. Rev. Théol.*, VII, p. 440, provocat ad resp S. Cong. Indulg., diei 14 Dec. 1857, de clausula facultatem erigendi viam crucis restringente « ad ecclesias *locorum in quibus Ordo Minor.* S. Francisci Assisiensis non existit », declarantis per hæc LOCA intelligendum esse « in casu *civitatem, oppidum, pagum cum respectivis suburbiis sive locis cis adjacentibus* », (*Decr. Auth.*, n. 382). Multiplex illa locutio adhibita videtur ut abstrahatur a rigorosa territorii delimitatione civili, et ratio habeatur omnium adjunctorum: ceterum pars quædam communitatis civilis designari posset verbo « pagi ».

(3) *Le jubilé de 1886*, p. 11.

designare aliam Ecclesiam vel publicum oratorium facilioris accessus (S. Pœn. 25 Jan. 1901 ad III) (1).

2/ Præter ecclesiam cathedralem et loci majorem debet Episcopus *tres alias ejusdem loci* designare ecclesias, quas tamen pro libitu suo eligere potest, si plures dentur.

« In locis vero in quibus quatuor Ecclesiarum defectus verificetur, ait bulla *Temporis*, eisdem Ordinariis eodemque modo facultas conceditur designandi minorem Ecclesiarum numerum, seu etiam unam, si una tantum adsit Ecclesia ». Ex verbis « *si una tantum adsit Ecclesia* » elucet non sufficere ut unica designetur, si duæ vel tres ecclesiæ existant.

Deficiente autem quaterno ecclesiarum numero, designari non possunt sive altaria ejusdem ecclesiæ, sive cruces seu calvaria sive oratoria privata. Hæc certe non veniunt nomine *ecclesiarum* (2).

Quid autem censendum est de *oratoriis publicis?*

In ordine ad lucrandas indulgentias pro quibus injungitur visitatio ecclesiæ seu oratorii publici, publicum non est « censendum oratorium sive in monasteriis, sive in seminariis aut aliis conventibus canonice dedicatum, *ad quod tamen christiana plebs non solet accedere* » S. Cong. Indulg. 22 Aug. 1842, (*Dec. Auth.*, n. 310). Sine dubio pro nostro jubilæo valet quod S. Pœnitentiaria declaravit pro jubilæis annorum 1875, 1879, 1881 et 1886: « ad injunctas visitationes exequendas designari *posse* etiam capellas et oratoria, *dummodo sint publico cultui addicta et in iis soleat missa celebrari* ». S. Pœnitentiaria explicans prædictam conditionem, die 7 Maii 1875, ait: « requiri ut *saltem diebus dominicis* missa in eo (oratorio) celebrari soleat ». (3). Excluduntur

(1) Pro incolis civitatis Parisinæ nimis distantibus ab ecclesia metropolitana concessit Archiepiscopus ut hujus loco ecclesiam suam parochialem visitarent.

(2) S. Pœn. 16 Febr. 1875, ad III, cf. S C. Indulg. 15 Mart. 1852 (*Dec. Auth.* n. 353), ex quo responso R. P. D. Bastien, *de Jubilæo*, 1891 p. 76-77 sententiam contrariam, nescimus quo jure, eruere nititur.

(3) Arizzoli, *op. cit.*, p. 12, 4.

igitur non tantum oratoria stricte privata sed ea etiam quæ vocari nunc solent semi-publica. Præterea in ordine ad jubilæum lucrandum designanda sunt tantum ea oratoria publica « *quorum visitatio non sit judicio Ordinarii moraliter impossibilis* ». S. Pœn. 1875, ap. *Nouv. R. Th.*, VII, p. 338.

Quæritur tandem utrum Episcopus, deficiente quaterno numero Ecclesiarum, *debeat* designare oratoria publica in quibus verificentur præfatæ conditiones. A paucis apud quos quæstionem explicite agitatam invenimus (1), respondetur affirmative: ex eo enim, aiunt, quod hæc oratoria designari *possunt*, æquiparantur ecclesiis, et proinde etiam *debent* designari ubi necesse est ad complendum numerum quatuor ecclesiarum stationalium. Et revera hæc opinio magis congruit intentioni Pontificis cupientis ut in extensione jubilæi servetur quam maxima similitudo cum visitationibus quatuor basilicarum Romanarum.

Nihilominus, quum in bulla unice agatur de *ecclesiis*, quumque in omnibus citatis responsis S. Pœnitentiariæ nihil aliud declaretur nisi *ea oratoria etiam designari* POSSE, non auderemus carpere opinionem eorum qui hanc declarationem haberent ut facultatem quamdam generalem concessam (2) non vero ut obligationem impositam ubique et semper. Posset igitur Episcopus parochis v. g. curam demandare ut pro majori commodo fidelium designarent vel non oratoria præfata (3).

II. Quænam ex designatis ecclesiis visitari debent a singulis?

Quamvis etiam moderni quidam scriptores obscure

(1) *Nouv. Rev. Théol*, XVIII, p. 46; TH. BOUQUILLON, *le jubilé de 1886*, p. 11.

(2) BERINGER, Les indulgences, 2 part. III sect. n. 33. « L'évêque *pourrait* même désigner une chapelle ... ».

(3) Ita revera egerunt quidam episcopi.

loquantur, nullum est dubium quin possint omnia vel quædam opera injuncta peragi extra locum domicilii, imo partim in propria partim in aliena diœcesi.

Pro indulgentiis universim jam declaratum fuit a S. C. Indulg. die 28 Nov. 1759 opera injuncta præstari posse « etiam extra domicilium ». Cui regulæ non contradicit const. *Temporis*, utpote quæ non statuit ecclesias esse designandas *pro incolis* civitatis episcopalis vel alius loci sed: « ecclesiam cathedralem IN *civitate episcopali*, et majorem IN *ceteris locis* ». Præterea quoad loca ejusdem diœceseos præfata libertas expressis verbis declarata fuit a S. Pontifice 19 Aprilis 1776 (1). Quoad loca diversarum diœcesium denegata fuerat quidem responso S. Cong. Indulg. 24 Maii 1826 (2); sed explicito modo concessa fuit pro jubilæo anni 1875 (3), adeo ut sine dubio hæc facultas admittenda sit in præsenti jubilæo.

Opera injuncta adimpleri possunt extra locum domicilii « quacumque ex causa », dummodo « observentur ordinationes Ordinariorum locorum » (4). Ideoque requiritur ut jubilæum actu sit publicatum et ecclesiæ designatæ, in diœcesi, in qua opera præscripta perficere aliquis intendit, non vero in diœcesi proprii domicilii (5).

III. Quoties et quandonam ecclesiæ visitari debent?

Sexaginta visitationes distinctæ institui debent eæque distribuendæ sunt in 15 dies sive continuos sive interpolatos, et ita quidem ut singula die fiant 4 visitationes. Qui semel, bis vel ter tantum in die visitaret ecclesiam

(1) *Anal. juris pontificii*, série 12, col. 135, n. 577.

(2) *Nouv. Rev. Théol.*, VII, p. 210.

(3) Fere omnes casus possibiles solvuntur in responsis S. Pœnitent. an. 1875 ap. *Nouv. Rev. Théol.*, p. 466 sq., dub. IV, V, VI, VIII.

(4) S. Pœnit. 15 Jan. 1886, ad. VI.

(5) Ita, ni fallamur, posset quis opera in propria diœcesi incœpta in alia diœcesi perficere etiam quando tempus jubilæi in propria diœcesi jam est revolutum. Hoc cohæret cum omnibus prædictis et deducitur ex S. Pœn. anno 1875 ad VIII, (*N. R. T.*, VII, p. 467.

stationalem, inde nihilo minueret numerum visitationum. Ubi quatuor designantur ecclesiæ, unaquæque semel saltem in die visitanda erit; ubi tres sunt, una ex illis, quam ad hoc determinaverit episcopus, bis in die erit visitanda; si tandem duæ sunt, quælibet bis erit adeunda: nihil tamen impedit quominus duæ visitationes ad eamdem ecclesiam statim sibi succedant. Tandem ubi unica tantum designatur ecclesia quatuor « iteratis ac distinctis vicibus » visitanda erit, ita « ut per ingressum et regressum quater per quindecim dies ecclesia visitetur ».

In supputandis autem diebus sive continuis sive interpolatis potest unusquisque non tantum pro tota dierum successione sed etiam pro singulis diebus eligere pro libitu vel diem naturalem a media nocte ad mediam noctem, vel diem ecclesiasticam a primis vesperis usque ad integrum diei subsequentis crepusculum. Practice igitur potest quis v. gr. die dominica 21 Julii, ante vel etiam post meridiem, absolvere seriem quatuor visitationum quæ valeat pro die naturali vel ecclesiastica 21 Julii: dein, absolutis non tantum tribus sed quatuor visitationibus pro die 21 Julii, potest post horam secundam incipere vel etiam absolvere (1) eadem luce seriem alteram quatuor visitationum quæ valeat pro die *ecclesiastica* subsequenti festi B. Mariæ Magdalenæ (22 Julii). Evidenter non posset deinde feria II incipere tertiam seriem quæ valeret pro eadem die naturali 22 Julii: hoc enim esset sequi *simul* diem naturalem *et* ecclesiasticam, dum conceditur tantum ut sequatur *disjunctive* diem naturalem *vel* ecclesiasticam: debent igitur saltem exspectare horam qua incipit dies ecclesiastica 23 Julii.

---

(1) Nulla est ratio ut dicatur cum Bastien licere *incipere* hanc seriem, non vero absolvere: « ils peuvent entreprendre une nouvelle série de visites, p. ex. visiter une ou 2 églises désignées, mais pas les 4, et *finir*, cette série le lendemain », (R. P. D. Bastien, O. S. B. *Le jubilé de l'année sainte étendu au monde chrétien*, p. 18). — Communiter censent auctores diem ecclesiasticam incipere hora secunda.

IV. Quales debent esse visitationes?

1° *Distinctæ:* quare si eadem ecclesia pluries visitanda est non sufficit « in eadem ecclesia manendo de uno in alium locum transire », sed « necesse est egredi ab ecclesia » (1), ut « per egressum et regressum » (2), distinguantur visitationes.

2° Etiam in accessu et itinere debent esse *devotæ* (3), et in quavis visitatione debent in ipsa ecclesia fundi ad intentiones Romani Pontificis saltem implicite præ oculis habitas, piæ *preces vocales* (4) quæ alternatim cum aliis recitari possunt.

3° Tum visitatio tum preces debent esse *opera supererogatoria;* ideoque missa ex præcepto ecclesiastico die dominica audienda ad hunc effectum suffragari non potest. Si quis tamen intentione lucrandi jubilæum adiret ecclesiam ut ante missam preces debitas recitaret, hoc pro visitatione haberi posset. Multum tamen dubitaretur de illo qui peracta missa, aliquamdiu remaneret in ecclesia: visitatio enim natura sua requirit, non tantum præsentiam in ecclesia, sed accessum ad ipsam, qui videtur in casu deesse saltem in ordine ad jubilæum. (5).

(Sequetur).

C. C.

(1) S. Pœnit. anno 1875, ap. *Nouv R. Théol.*, VII, p. 236 ad VIII.
(2) S. Pœn. anno 1875, ibid p 467 ad III, cf. p. 235 ad II.
(3) Cf. textus Bened. XIV citatus *Collat. Brug*, V, p. 137.
(4) De his conf. *Collat. Brug.*, V, p. 137-138.
(5) *Nouv. R. Th.*, VII, 437-38; Bouquillon, op. cit., p. 11.

De Privilegiis Jubilæi

(Sequitur. — Cfr. suprà, pag. 197).

ARTICULUS SECUNDUS.

De Facultatibus Confessarii in specie.

Vi Bullæ extensionis Jubilæi quadruplici gaudet facultate confessarius, in gratiam pœnitentium qui illum, ad effectum lucrandi Jubilæi elegerint: facultate nimirum 1°/ absolvendi a censuris et a casibus reservatis, 2°/ dispensandi super variis impedimentis matrimonii, 3°/ dispensandi super irregularitate et 4°/ commutandi vota.

§ 1. *De Facultate absolvendi a censuris et a casibus reservatis.*

Confessario, in ordine ad Jubilæum electo, expressis verbis conceditur potestas absolvendi,

1°/ a **Censuris**, nempe ab excommunicatione, suspensione et interdicto « a jure vel ab homine (1), quavis de causa latis seu inflictis », quomodocumque (sive simplici sive speciali modo) et cuicumque (sive Rom. Pont., sive Sedi Apostolicæ, sive Ordinariis locorum) illas reservari contingat.

2°/ a **Casibus** reservatis, hoc est, qui *ratione peccati* reservantur et communis confessarii jurisdictioni subducuntur, quin rursus referat utrum Pontificiæ vel Episcopali reservationi sint obnoxii.

Unicum *excipitur* crimen *absolutionis complicis ter aut amplius* admissum, a sacerdote scilicet qui ter aut amplius eamdem personam complicem, vel semel tres aut plures complices, contra jus a Benedicto XIV, in Constitutione *Sacramentum Pœnitentiæ*, statutum, absolvere ausus fuerit.

(1) Cf. *Collat. Brug.*, III, p. 627.

Qua igitur facta exceptione, *omnis* pro confessario jubilari suspenditur reservatio, adeo ut, salvis cautelis infra indicandis, nulla sit censura, nullum sit peccatum, a quibus non valeat absolvere.

Non excipitur proinde ab hac concessione amplissima *crimen hæreseos*, licet formalis et externæ, a quo, durante Anno Sancto 1900, non habebant facultatem confessarii a personis privilegiatis extra Urbem electi (1).

Equidem juxta Alexandrum VII et Bened. XIV (2), nisi specialis de ea fieret mentio, hæresis non comprehendebatur in indultis; sed, in præsente Bulla, præterquam quod formulæ sunt ampliatæ (3), aperte supponitur ad hæresim extendi facultatem, cum ibidem memoretur clausula servanda in impertienda absolutione a dicta censura. Quinimo nedum hæresis excludatur a concessionis amplitudine, in hac, uti vidimus, ipsum crimen absolutionis complicis continetur, modò semel tantum vel bis fuerit admissum (4).

Nec magis dubitandum est de casu (sine censura reservato) *falsæ denuntiationis* confessarii innoxii, licet *specialissima* forma hujusmodi delicti absolutio reservetur; quod apparet tum ex generalitate tenoris concessionis, tum maxime ex modo loquendi Leonis XIII de Constitutione Bened. XIV *Sacram. Pœnit.*, cui Constitutioni declarat se nolle derogare *quoad obligationem denuntiandi,* sic clarè innuendo Benedictinam disciplinam non urgeri quoad reliqua, et in specie quoad reservationem falsæ denuntiationis (5). Cf. Bullam § X, ad

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, V, p. 184.

(2) Cf. Bullæ *Convocatis*, § 53; *Inter Præteritos*, § 38 et 85; collato Loiseaux, op. cit , p. 384-389.

(3) « Etiam in casibus... qui aliàs in concessione quantumvis ampla non intelligerentur concessi »; et sub fine additur: « non obstantibus... generalibus seu specialibus absolutionum... reservationibus ».

(4) Cæterum in Constit. *Apost. Sedis* non requiritur specialis mentio facienda de hæresi.

(5) Hi notissimi casus duo, absolutionis complicis et falsæ denuntiationis, juxta decr. C. S. O. 17 Junii 1866, semper excipiuntur « in

quem Bullæ locum, nescio quo jure, provocat Jacqmin, Le Jubilé, p. 257, in nota, ut deneget confessario facultatem absolvendi a crimine falsæ denuntiationis.

Porro *notetur* a/ facultatem absolvendi a casibus *Ordinario reservatis* indulgeri *ab ipso Pontifice*, secus ac contigit Anno elapso, juxta Bullam *Quod Pontificum*, in qua hortatur Rom. Pont. Episcopos ut, Apostolicæ benignitatis exemplo, eligendis confessariis impertiri ne recusent facultatem absolvendi a casibus qui ipsis Ordinariis reservati sint.

b/ Non requiri ut censuræ sint occultæ, adeoque vi Jubilæi posse absolvi *publice* censuratos, etiam, positis ponendis, nominatim excommunicatos, suspensos et interdictos ac qua tales denuntiatos; absolutio tamen, juxta superius dicta, p. 208-209, non valet nisi pro foro conscientiæ dumtaxat.

c/ Non referre utrum in censuras vel casus reservatos inciderit pœnitens ante vel post Jubilæi publicationem, aut etiam peccaverit in confidentiam Jubilæi, seu speductus obtinendæ absolutionis virtute Jubilæi. Cf. Theodorum a Spir. S°, *De Jubilæo*, cap. IX, § III, n. 7 et 8.

Cautelæ servandæ.

A/ Non possunt nec debent privilegia Jubilæi suffragari iis qui a R. Pontifice et Sede Apost. vel ab aliquo Prælato seu Judice ecclesiastico **nominatim censurati** sunt « seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denuntiati fuerint, *nisi infra tempus dictorum sex mensium satisfecerint*, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint ».

---

facultatibus, quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent, absolvendi ab omnibus casibus Apost. Sedi reservatis ». Cf. Lahousse, *De Pœnitentia*, p 363, in nota, ubi pariter citatur decr. C. S. O., 4 Apr. 1871. Variam pro variis Jubilæis disciplinam videsis apud *Nouv. Rev. Théol.*, I, p. 438; VII, p. 14-17, 112 et 339; XI, p. 103; XIII, p. 263; XVIII, p. 79; et in specie confer tenorem Bullæ pro Jubilæo 1869, apud N. R. th., I, p. 412 et 438 cum tenore Bullæ pro Jubilæo 1879 et 1886, apud N. R. th., XVIII, p. 15 et 79, ex qua collatione confirmationem accipiet interpretatio nostra.

Quæ clausula, salvo meliori, ita videtur interpretanda : nimirum

1/ regulariter non possunt hujusmodi censuris innodati absolvi *antequam reipsa satisfecerint;*

2/ ad hoc ut ante reparationem, quæ pro momento impossibilis reputetur, illos interdum, vi Jubilæi, absolvat confessarius, prævie requiritur non modò ut reparationem sincere spondeant, sed ulterius ut confessarius prudenter judicet *intra definitum tempus* satisfactum iri ; secus illum ad superiorem dirigat oportet.

3/ Sic absoluti, nondum satisfactione præstita, *in censuras reincidunt* si ante terminum præfixum non satisfecerint nec cum partibus concordaverint.

Quam porro interpretationem, nobis præferendam, impugnant, uti severiorem, Gobat, De Jubilæo, cap. 35, n. 269 seq., Theodorus a Spir. S°, op. cit., cap. IX, § IV, n. 3; Bastien, *Tractatus de Jubilæo A. S.*, p. 154 et seq.; Jacqmin, *Le Jubilé*, n. 70, et alii, ac præ cæteris Loiseaux, op. cit., p. 396, contendens ab illa recedere Auctores communiter. Ipse vero tenet hisce censuris obnoxios et reparationis hic et nunc incapaces validè et licitè absolvi, modò seriò promiserint sese parti læsæ esse facturos satis *cum primum poterint*, etiam, si aliter fieri nequit, *post dictos sex menses*, ac in censuras non reincidere hac ratione absolutos, si promissis non steterint. Censet nimirum hanc clausulam, qualis in præsenti Bulla apponitur, esse meram conditionem juris communis, et simul provocat, in subsidium suæ sententiæ, ad textum Benedicti XIV, in Bulla *Convocatis*, § 27, inter *Monita*, § IV, reassumptum: « ab occultis censuris ob partem læsam incursis non prius absolvant, quam parti læsæ satisfecerit; vel si prius pœnitens nequeat, non eum absolvant *nisi serio promittat se satisfacturum, cum primum poterit* ».

Atvero in textu Benedicti XIV de *occultis* dumtaxat agitur censuris, et ipsa clausula interpretanda in tenore Bullæ, nullatenus speciem præ se fert regulæ *generalis*

juris in exercitio facultatis observandæ, sed urgetur ad instar conditionis *specialis*, accurate determinatæ et *intra strictos terminos adimplendæ*, a cujus existentia dependet valor absolutionis dandæ, imo et ipsius facultatis concessio, cum, ea conditione neglecta, nullo modo suffragari possint nec debeant privilegia in Bulla concessa.

Attenta igitur dispositione Bullæ ac vi Jubilæi (1), nec licite nec validè absolvit confessarius nominatim censuratum, qui non potest satisfacere ante finem semestris pro Jubilæo assignati; quæ conclusio non parum confirmatur ex hoc quod in Bullis Jubilæi pro annis 1869, 1879, 1881 et 1886 (2), post eumdem tenorem, cujus sensum sumus indagantes, ulterius concessum legitur: « quodsi intra præfinitum terminum, judicio confessarii, satisfacere non potuerint, absolvi posse concedimus in foro conscientiæ *ad effectum* dumtaxat assequendi Indulgentias Jubilæi, injuncta obligatione satisfaciendi statim ac poterunt »: *ad effectum* scilicet, « ita ut, semel ac consecuti Jubilæum fuerint, eadem, qua antea, censura adstricti remaneant,... perinde ac si nunquam absoluti fuissent » (3). Hæc namque altera concessio supponit in priori textu omnem denegari facultatem in favorem illorum qui, judicio confessarii, non possunt infra assignatum tempus satisfacere.

Satisfactio, quæ tamquam absolutionis conditio imponitur, juxta plures AA. (4), est satisfactio præstanda n quidem judici aut Prælato censuram inurenti, sed *j rti damnum passæ* in fortuna, honore aliisve bonis; et ideo ab iisdem Auctoribus limitatur hujus clausulæ

(1) Dicitur « vi Jubilæi », quia facultatibus *aliunde acceptis* posset uti, cum non habeatur suspensio facultatum, sicut vertente Anno Sancto.

(2) Cf. N. R. th., I, p. 413; XI, p. 104; XIII, p. 264 et XVIII, p. 80.

(3 Bulla Bened. XIV, *Convocatis*, § VI.

(4) Cf. Loiseaux, op. cit., p. 396 et AA. ibidem allatos, collata N. R. th. VII, p. 17, nota 2ª; XI, p. 104 in nota.

injunctio ad censuras nominatim latas « contra crimina *in damnum aliorum perpetrata*, puta homicidium, clerici percussionem, etc... » (1). Theodorus a Spir. S°, op. cit., cap. IX, § IV, n. 1 et 2.

B/ Omnibus imponenda est **pœnitentia salutaris**, tum *juridica,* ratione absolutionis a censuris, tum *sacramentalis,* ratione sacramentalis absolutionis a peccatis; quæ pœnitentia potest quidem minor injungi propter adeptionem Indulgentiæ Jubilæi, non tamen omitti; quod principium juris urget præsens Bulla in qua inseritur: « injuncta pœnitentia salutari », in memoriam revocato monito Bened. XIV, *Convocatis*, § 26: « non prætermittant suam cuique pœnitenti salutarem pœnitentiam imponere in sacramento, ne prætextu quidem Jubilæi per eumdem pœnitentem consequendi »; collata Bulla *Inter præteritos,* §§ 64 et 65.

C/ Injungi debent alia **de jure injungenda**; quorum nonnulla vel in ipsa Bulla memorantur. Ita præ cæteris.

1°/ *Hæretici*, præsertim (2) dogmatizantes seu falsa dogmata spargentes, per se non possunt absolvi « nisi abjurata hæresi, scandalum, uti par est, reparaverint ».

« Reparatio scandali publici debet esse publica; abjuratio potest esse secreta apud confessarium »; scandali autem reparatio non debet « absolute præcedere absolutionem, et si hic et nunc fieri nequeat, sufficit ut hujusmodi pœnitentes serio promitttant se scandalum reparaturos ». Resp. S. Pœnit.. 20 Febr. 1900, ad 3^{m} et 4^{m}, apud N. R. th., XXXII, p. 328-329.

Iusuper *per se* manet obligatio imponenda hæreticis conversis denuntiandi complices, si quos habeant, Or-

(1) Sufficiens censetur satisfactio aut partis concordia intervenisse, si pars læsa remisit injuriam sibi illatam; vel si pars læsa condignam satisfactionem a parte rea oblatam acceptare renuit. Cf. Theod. a Spir. S°, l. c.

(2) « Hæc profectò non debent ita intelligi ut pertineant solum ad hæreticos *dogmatizantes*. Nam S. Pœnitentiaria, quum impertitur facultatem absolvendi *cæteros* hæreticos non dogmatizantes, *easdem* conditiones imponit ». Arizzoli, op. cit., p. 36.

dinario loci, uti constat ex tenore Pagellæ, n. III, (1), ex resp. S. Pœnii., 16 Martii 1865, (N. R. th., I, p. 436), et etiam ex Bulla præsenti, declarante Pontifice sese nolle Pontificiis Constitutionibus derogare *quoad obligationem denuntiationum*. Attamen passim docent Auctores hanc denuntiationem apud nos plerumque non esse imponendam, cum errores hic grassentur impune adeoque præcipuus finis legis frustraretur. Cf. Putzer, *Comment. in facult. Apost.*, n, 138; Loiseaux, op. cit., p. 392-393; Arizzoli, *Dubia et Responsa,* 1901, p. 38.

2°/ « Illos *qui bona vel jura ecclesiastica acquisierunt* sine venia, ne absolvas nisi iis restitutis aut se composuerint, vel sincere promiserint quam primum se compositurosapud Ordinarium vel apud S. Sedem ». § III.

Nimirum debent adire Ordinarium vel S. Sedem, seu Cardinalem Pœnitentiarium, ad hoc ut ab illis accipiant normam agendi cum illis bonis, juxta instructiones datas a S. Pœnitent., die 15 Jan. 1886, apud N. R. th., XVIII, p. 189-191.

Potest rem componere ipse Ordinarius, si opportuna gaudet facultate circa compositiones faciendas, ad cujus facultatis rectam interpretationem conferunt responsa S. Pœnit., 9 Martii 1894, (N. R. th., XXVI, p. 536), 14 Dec. 1898 et 7 Febr. 1899, (N. R. th., XXXII, p. 434-436), ex quibus constat dictam facultatem extendi « ad bona pertinentia ad confraternitates, seu ad ordines religiosos, sive ad loca pia ecclesiastica », non vero « ad bona alicujus pii operis mere laicalis, nisi, ratione onerum super ipsis impositorum, aliquod jus Ecclesiæ competat ».

3°/ « A crimine *falsæ accusationis* sollicitationis absolves, dummodò pœnitens revocaverit vel seriò paratus aut parata sit revocare quam primum scelestissimam

(1) « Postquam tamen pœnitens complices, si quos habeat, prout de jure, denuntiaverit; et quatenus ob justas causas nequeat ante absolutionem denuntiare, facta a pœnitente seria promissione denuntiationem peragendi cum primum et meliori modo quo fieri poterit ».

calumniam, et compensaverit damna quæ forte sacerdoti falsò denuntiato obvenerint ». Arizzoli, op. cit., p. 35, juxta resp. S. Pœnit. 18 Apr. 1900.

4°/ Sacerdoti qui *complicem absolvit* a S. Pœnitentiaria solet imponi a/ ut « quatenus (persona complex) denuò ad eum accesserit, monitam de nullitate præteritarum absolutionum ad alium confessarium non complicem remittat; b/ ab audiendis in posterum cujuscumque personæ complicis confessionibus, quatenus citra grave scandalum id fieri possit, abstineat » (1); c/ « ut officium confessarii curet dimittere, si duos complices semel aut unum bis absolvit » (2).

5°/ Qui *sectis vetitis Massonicis,* aut Carbonariis aliisque similibus (3) nomen dederunt, non absolvantur nisi ea lege « ut a respectiva secta omnino se separent, eamque abjurent, libros, manuscripta, ac signa sectam respicientia, si quæ retineant, in tuas (confessarii) manus tradant ad Ordinarium quam primum caute transmittenda, aut saltem, si justæ gravesque causæ id postulent, comburenda » (4); injuncto simul onere ejusmodi sectarum duces ac magistros occultos denuntiandi (5).

6°/ « A lectione prohibitorum librorum, eorum præ-

---

(1) Cf. N. R. th , XXII, p. 415, in nota.

(2) Cf. Putzer, op. cit., n. 146, ubi additur officium esse dimittendum « *quamprimum*. scil. intra tempus ab absolvente determinandum; non tamen ultra tres menses, si fuerit simplex confessarius, sin vero parochus, non ultra sex menses, casu (ad quem non extenduntur facultates Jubilæi) quo tres aut plures complices aut unum ter vel pluries absolvit, differendum ».

(3) *Socialismum* simpliciter dictum esse societatibus generis massonici adnumerandum, docent *Collationes*, V, p. 617 et seq.

(4) Ex Pagella S. Pœnitent., n. VII. Cf. pro abjuratione decr. C. S. O. 3 Aug. 1898, apud *R. th. franç.*, 1899, p. 156 et seq.

(5) Ex decreto C. S. O., 4 Apr. 1893 docemur quod « occulti sectæ massonicæ coryphæi ac duces sunt denuntiandi... (etiam) quando sunt publice noti ut *liberi muratorii*, sed non sunt publice noti ut coryphæi vel duces hujus sectæ massonicæ »; et quod denuntiationis obligatio non cessat « apud eas regiones in quibus liberi muratorii, et ideo ipsorum coryphæi, a gubernio civili tolerantur et ab ecclesiastica potestate puniri non possunt nec ullo modo cohiberi ». Lahousse, op. cit., p. 396.

sertim qui in Constit. *Apost. Sedis,* (Tit. I, art. 2), designantur, non ante absolvant, quam pœnitens libros, quos in sua potestate habet, Inquisitori, vel Ordinario, vel ipsi confessario aut alii facultatem eosdem retinendi habenti, tradiderit, vel se, quam primum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat ». *Monita*, § VIII.

Reliqua quæ jure sunt injungenda vel nota sunt vel minus practica, quemadmodum illa quæ referunt *Monita*, § VI, VII et IX, circa violantes clausuram et circa regulares a suo Ordine apostatas vel fugitivos.

Quod *formulam* attinet, sufficit formula absolutionis a censuris præviæ ad absolutionem sacramentalem a peccatis; opportune autem adhibetur etiam formula peculiaris qualem proponit Theod. a Spir. S°, op. cit., cap. XII, § II, et post eum Loiseaux, op. cit., p. 433.

Notanda.

1°/ Censura et reservatio adnexa peccatis *bona fide omissis* in confessione, in ordine ad Jubilæum instituta eaque valida, aufertur per absolutionem, adeo ut peccata omissa jam a communi confessario absolvi valeant. Quam sententiam propugnant Auctores plurimi, etiam inter illos qui contrariæ adhærent opinioni pro casibus ordinariis extra Jubilæum occurrentibus, uti videre est apud S. Alph., l. VI, n. 597, et Loiseaux, op. cit., p. 426.

Profectò in gratiam est pœnitentis, cum intentione lucrandi Jubilæum confitentis quod confessario concesserit Rom. Pontifex speciales illas facultates, quibus igitur congruum est ut, in quantum fieri potest, fruatur ille qui ad confessarium accedit rite dispositus et omne faciens quod in se est ut Jubilæum consequatur (1).

(1) Quidquid sit de quæstione utrum, *extra Jubilæi tempora*, peccatis *ratione censuræ* reservatis bona fide in confessione omissis, per absolutionem auferatur censura et reservatio, certum est reservationi Episcopali manere obnoxia peccata, in diœcesi Brugensi, *ratione peccati* reservata et hoc modo absoluta, adeo ut hujusmodi pœnitens iterum teneatur recursum

Eidem pœnitenti potest applicari principium statutum suprà, p. 203-204, vi cujus sublata manet reservatio, licet postea animum lucrandi Jubilæum mutaverit.

2°/ Si peccata reservata fuerunt quidem *coram confessario Jubilari exposita*, (1), sed confessio fuit nulla ac invalida, distinctione est opus :

Vel a/ confessio fuit *sacrilega*, et tunc sat communiter docetur reservationem non auferri, quia, uti non semel jam notavimus, omnes quæ tribuuntur facultates non competunt confessario nisi in favorem pœnitentis qui confitetur cum animo serio et sincero Jubilæum lucrandi, qui animus nequit supponi penes sacrilege confitentem. Cf. Bened. XIV, *Inter præteritos*, § 62.

Vel b/ est *inculpabiliter nulla*, puta ex defectu non attento attritionis, et tunc probabilem esse censemus sententiam quæ tenet non amplius subsistere censuram et reservationem, easque adeo practice posse haberi qua sublatas ; ratio est tum ab extrinseco quia illam sententiam plures tuentur Auctores quos adducit S. Alph., VI, n. 539, quibus accedit Ballerini-Palmieri, *Opus Morale*, V, n. 768 ; tum ab intrinseco quia nihil impedit quominus hujusmodi confessio censeatur a pœnitente peracta in ordine ad Jubilæum seu cum animo serio et sincero Indulgentiam consequendi : ad hoc autem ut favoribus Jubilæi quis fruatur, sufficit ut confitendo sincere intendat Jubilæum assequi, non vero requiritur ut talem instituat confessionem qua Indulgentiam reipsa lucretur.

A fortiori valent modò dicta quando sacramentum recipitur validè sed informiter. Cf. Theodorum a Spir. S°, op. cit., cap. IX, § III, n. 10.

---

habere ad habentem facultatem a reservatis illis absolvendi. Id namque authentice declarat Illustrissimus Reservans in *Libello*, p. 24-25.

(1) Dicitur : « coram confessario jubilari », vi nempe Jubilæi a reservatis absolvere valenti : quia, si confessarius aliunde haberet, ex Episcopi delegatione, facultatem absolvendi a casibus Episcopo reservatis, reservatio Episcopalis, in nostra saltem diœcesi, foret sublata, sic expresse providente Episcopo Brugensi in *Libello*, p. 24.

§ 2. *De Facultate dispensandi in impedimentis Matrimonii.*

I/ Confessarius electus potest dispensare super impedimento **consanguinitatis** et **affinitatis legitimæ**, in secundo gradu mixto cum tertio, in tertio solo, in tertio mixto cum quarto et in quarto solo, in ordine ad matrimonium scienter vel ignoranter *contractum* (1) convalidandum.

Uti liquet, ab concessione excluditur facultas dispensandi super consanguinitate et affinitate legitima *in gradu primo*, sive solo, seu simplici, sive mixto, nec *in secundo solo,* attenta verborum interpretatione proposita apud *Collat.*, V, p. 480-483; imo dicta concessio, licet in tenore non occurrat ejusmodi restrictio, non comprehendit facultatem dispensandi super impedimento consanguinitatis (juxta nonnullos etiam affinitatis) in *quibusvis gradibus lineæ rectæ,* cum agatur de linea et gradibus vel « jure naturæ prohibitis, vel in quibus Apostolica Sedes dispensare non solet ». Ex Instruct. C. S. O. 9 Dec. 1874, apud *Collectan.*, n. 1242.

II/ Dispensare valet super impedimento **affinitatis illicitæ**, tam primi quam primi mixti cum secundo, aut secundi tantum gradus: sive agatur de matrimonio *contracto,* ut convalidetur, sive etiam de matrimonio *contrahendo.*

In tenore memoratur clausula inseri solita, ut nempe, « si hujusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre desponsatæ, vel desponsandæ, hujus nativitas copulam antecesserit, et non aliter ».

III/ Potestatem habet dispensandi super impedimento dirimente **cognationis spiritualis**, et tam pro matrimonio contrahendo quam pro matrimonio contracto.

Extenditur ergo præsens facultas, ultra limites quin-

(1) Quandonam, coram Jurisprudentia Romana, matrimonium censeatur contractum, exponitur apud *Collat. Brug.*, tom. V, p. 484-485.

quennalium S. C. de Prop. Fide pro Episcopis Belgii, ad cognationem spiritualem ortam etiam inter levantem et levatum, seu inter patrinum vel matrinam ex una parte et prolem baptizatam ex alia parte.

IV/ Pariter potest dispensare « super occulto impedimento **criminis**, neutro tamen machinante, id est quando solum concurrunt adulterium et fides data de matrimonio contrahendo post conjugis mortem » ; quod rursus valet pro matrimonio contracto et contrahendo.

Conditiones, quæ ad impedimentum constituendum verificentur oportet, enumerantur apud Theol. Mechl., *De matrimonio*, n. 82.

V/ Potest ulterius restituere **jus petendi debitum** conjugale, ad quod petendum jus et facultatem forsan amiserit pœnitens, in pœnam adulterii quod commisit cum *consanguinea compartis* in primo vel secundo gradu.

Notum est enim hujusmodi affinitatem, matrimonio supervenientem, non quidem matrimonium dirimere, sed, positis ponendis, ad normam dictorum apud *Collat.*, tom. IV, p. 429 et seq., a parte noxia jus auferre et licentiam debitum petendi conjugale. Porro notetur restitutionem factam *licitam* reddere petitionem debiti, ablata prohibitione Ecclesiæ, minime vero conjugi incestuoso *jus strictum* conferre coram comparte innocente, ut ab ea exigat redditionem debiti. Cf. *Collat.*, tom. IV, p. 431, in nota.

VI/ Tandem dispensare valet « ad **petendum debitum** cum illis qui *voto simplici castitatis* adstricti matrimonium contraxerunt » ; ratione cujus voti, conservato stricto jure debitum exigendi, hoc jure licite uti jam nequeunt.

Moneat autem confessarius hujusmodi pœnitentes ipsis non proficere sic concessam dispensationem nisi in ordine ad legitimandum, quoad petitionem debiti, usum matrimonii, in quo actu vivunt; adeo ut contra votum essent facturi si, extra licitum matrimonii usum, contra VI Decalogi præceptum delinquerent, vel si, soluto actuali matrimonio per compartis mortem, sine

nova dispensatione ad alias nuptias convolarent. Cfr. tenorem præsentis Bullæ, collatis *Collat. Brug.*, tom. III, p. 583 et seq.

Adnotationes.

Post concinniores explicationes singularum harum facultatum, non inopportunum videbitur nonnulla addere monita easdem facultates in genere earumque exercitium spectantia:

1°/ Memoratæ facultates conceduntur *pro foro interno* tantùm, adeoque dispensationes, harum vi impertiendæ, non valent nisi pro foro dumtaxat conscientiæ, eisque sunt applicanda quæ sunt dicta suprà, p. 209; insuper sunt exequendæ juxta formam huic foro proprîam, qualis describitur suprà, p. 128 et seq., et locis ibidem conferendis..

2°/ In exequendis dispensationibus matrimonialibus ratio est habenda praxis Curiæ Romanæ, ac attendenda sunt principia juris quæ hanc materiam regunt ac moderantur. Quam agendi normam, signanter pro absolutione elargienda et pœnitentia imponenda, descriptam reperies, hoc tomo, pp. 31-42 et 128-133 (1).

Quod autem spectat *formulam* usurpandam, uti diximus, l. c., p. 130, nulla specialis præscribitur formula, et quævis inservire potest modó exprimat tum delegationem acceptam, tum naturam impedimenti, tum actum dispensandi; cæterum in locis ad quæ ibidem remisimus aptiores proponuntur formulæ, quas etiam invenire est apud pluries jam laudatum Theodorum a Spir. S°, op. cit., cap. XIII, § 2. (2).

---

(1) Ita etiam non omittat confessarius dispensans in affinitate illicita clausulam quæ inseri solet in indultis: « *remota occasione peccandi* ac injuncta gravi pœnitentia et confessione sacramentali semel in mense, per tempus dispensantis arbitrio statuendum ».

(2) Speciminis gratia confer formulam in *Libro Manuali*, ed. 1ª, p. 158 traditam, ad dispensandum, pro matrimonio *contrahendo*, super affinitate illicita. In actu convalidationis matrimonii *contracti* posset dici: « Et insuper auctoritate... dispenso tecum super impedimento affinitatis illicitæ in gradu... cum putata conjuge tua, ut, prævia renovatione prioris

3°/ Impedimentum, ad hoc ut a confessario Jubilari relaxari valeat, debet esse *facto occultum*, non tamen omnino occultum, juxta notionem apud *Collat.*, tom. V, p. 415 et seq. propositam; adeo nimirum ut a paucis tantum cognoscatur, nempe generatim a quinque vel sex personis in oppido, aut a septem vel octo in civitate, nec brevi divulgandum prævideatur.

Quæ conditio, in variis facultatibus passim inserta, omittitur quidem in facultate dispensandi super cognatione spirituali, attamen, salva declaratione in contrarium, omnino subaudienda videtur.

Quod eruimus ex eo quod præsentes dispensationes, non excepta dispensatione super cognatione spirituali, sint concedendæ pro foro dumtaxat interno et juxta formam huic foro propriam: quæ forma, attenta praxi Curiæ Romanæ, incongrue usurparetur in elargienda dispensatione super impedimento cognationis spiritualis *publico*, signanter in ordine ad matrimonium *contrahendum*.

Consentit Arizzoli, op. cit., p. 41 arguens ex hoc quod idem sit tenor facultatis quæ, Anno Sancto 1900, Pœnitentiariis erat concessa Romæ, quodque « nemini Pœnitentiario Romano in mentem venit se habere super impedimentis *non occultis* dispensandi facultatem ».

4°/ In convalidatione matrimonii curandum est ut partes consensum renovent, quæ renovatio fiet secretò et extra formam Tridentinam, etiam ubi agitur de impedimentis natura publicis. In quo tamen iterando consensu ratio est habenda peculiaris difficultatis, quæ occurrit in casu nullitatis matrimonii ob impedimentum affinitatis ilicitæ, quando nimirum, una parte nullitatis conscia, nequit altera pars moneri sine prioris partis

---

consensus, matrimonium secretò, inter te et ipsam, contrahere, et consummare, ac debitum conjugale exigere et reddere licitè valeas. In nomine Patris etc. ».

Exemplar dispensationis *ad petendum debitum* vide apud *Collat. Brug.*, VI, p. 588.

infamia, quæ difficultas est enodanda meliori quo potest modo, adhibita una alterave solutione proposita in Theol. Mechl., *De Matrim.*, n. 94, conferendo *Colllat.*, V, p, 359. Quodsi confessarius utramque partem repererit nullitatis inconsciam, cautius procedet relinquendo putatos conjuges in bona fide, applicando principia statuta, tom. V, p. 413 et seq.

5°/ Ad dispensationem pro matrimonio contrahendo nequit procedi nisi prævie habeatur causa canonica, pro natura et gravitate impedimenti proportionata. Cf. Theol. Mech., l. c., n. 97. Ad convalidandum matrimonium, ipsa de facto existentia matrimonii invalide contracti est causa sufficiens.

6° Sufficit dispensationem impertiri uni parti, quæ impedimentum contraxit (1), excepto casu quo utraque pars fuerit impedimenti conscia et in peccato complex, puta in impedimento criminis, quo casu mens est S. Pœnitentiariæ ut erga utrumque complicem executioni mandetur dispensatio, sin minus ad auferendum impedimentum, saltem ad congruas pœnitentias salutares utrique imponendas. Cf. *Collat.*, hoc tomo, p. 130-131.

7°/ Cum agatur de indultis et non de particulari mandato dispensandi, per se continetur, in quantum est opus, facultas, olim expressis verbis inserta, legitimandi prolem non adulterinam. Cf. *Collat.*, V, p. 421-422 et p. 487.

8°/ Censemus (2) hic applicandum esse principium juris, pluries in decretis Romanis inculcatum, quod tom. V, p. 483-484 et 609-610 invocavimus, adeoque hisce facultatibus, sine nova earum extensione, non

(1) Unde si « parti insciæ postea impedimentum innotesceret, opus non esset novam dispensationem exquirere, sed satis esset, ad conscientiæ quietem et securitatem, eam reddere certiorem de obtenta super impedimento dispensatione » Theod. a Spir. S°, op. cit., cap. XIII, par. 2ª, n. 12.

(2) Contra Arizzoli, op. cit., p. 41, quem sequitur *Revue éccles. de Metz*, 1901, p. 90.

posse uti confessarium *cumulatim*, dispensando scilicet quando plura impedimenta concurrunt (1).

(Sequetur).

A. D. S.

Consultatio

Quæritur utrum occasione Adorationis Perpetuæ confessarii in diœcesi Brugensi admissi facultatem habeant vota non specialiter reservata *commutandi-dispensando?*

R. *Prænota: Dispensatio* voti est debiti ex voto contracti *remissio seu condonatio* nomine Dei facta per superiorem legitimum; *commutatio* voti est *substitutio* alicujus operis in locum operis promissi, sub eadem obligatione seu eodem vinculo voti. Unde differt facultas *commutandi* vota a facultate *commutandi-dispensando.* Ex priore facultate permittitur tantum mutatio in opus *moraliter* æquale; ex altera permittitur etiam mutatio in opus *minus*, non tamen in multo minus, quum tantum accessorie ad facultatem commutandi addatur quædam facultas dispensandi. — Hoc prænotato, propositæ quæstioni ità breviter respondemus:

Confessarii, in diœcesi Brugensi admissi, occasione Adorationis Perpetuæ habent facultatem vota simplicia non specialiter reservata in ipso sacramentalis confessionis actu *commutandi* in alia pia opera; non vero pollent facultate illa vota *commutandi-dispensando.*

(1) Ne confundas facultatem dispensandi super diversis impedimentis in facultate contentis *cumulatim,* cum facultate, quam ultro concedimus, dispensandi super consanguinitate v. gr. et affinitate *multiplici ex fonte provenientibus,* quando nempe gradus, ratione diversi stipitis, multiplicari contingit. Cf. *Collat.*, V, p. 481-482.

Etenim, mera *commutandi* potestas in facultatibus occasione Adorationis Perpetuæ concessis exprimitur (1); præterea hæc facultas commutandi clare *distinguitur* a facultate *commutandi-dispensando* vota non specialiter reservata quæ confessariis conceditur a vigilia festi Omnium Sanctorum usque ad diem octavam Novembris inclusive, et facultatibus *Adorationis Perpetuæ* dictis *expresse superadditur* (2).

A. C.

(1) Hæ sunt facultates occasione Adorationis perpetuæ successive concessæ :

Litteris 24 Januarii 1839 : « II Omnibus Diœcesis nostræ admissis Confesariis facultatem concedimus (per Hebdomadam, a die Dominica ad Sabbatum inclusive duraturam), in omnibus per totam diœcesim ecclesiis, in quibus Adoratio perpetua habetur, confessiones fidelium excipiendi atque a casibus Ordinario reservatis absolvendi, necnon vota simplicia non reservata in ipsa confessione in alia pia opera commutandi. »

Litteris 5 Februarii 1840 : « VI Indulgemus ut facultatibus occasione Adorationis perpetuæ concessis uti valeant Confessarii a Sabbato immediate præcedenti, si Adoratio in diem dominicam inciderit.

Litteris 3 Februarii 1841 : « IV Indulgemus ut confessarii facultatibus, occasione Adorationis perpetuæ concessis, etiam utantur in favorem suorum pœnitentum, quibus infra octavam præfatæ solemnitatis absolutionem distulerunt, modo infra quindenam dispositi revertantur ad eumdem Confessarium. » — Cfr. *Collectio epistolarum pastoralium*, Tom. I, p. 296. n. (2), et Tom. V, p. 370 sub n. III : « Permittimus ut confessarii facultatibus occasione Adorationis perpetuæ concessis uti valeant pridiè hujus Solemnitatis atque per totam ejus Octavam, servatis servandis. » (Litteris 31 Januarii 1849).

(2) Decret. XIII Congregat. Prosynod. 12 Junii 1876 *(Collect. epist. past.* Tom. XII p. 297) : « Ad augendam fidelium erga animas purgantes pietatem, omnibus Confessariis concedimus facultates dictas *Adorationis Perpetuæ*, a vigilia festi Omnium Sanctorum usque ad diem Octavam Novembris inclusive. Facultatibus autem prædictis *Perpetuæ Adorationis* jam *superaddimus* potestatem commutandi-dispensando vota non specialiter reservata. » — Item in *Epist. Circul.* 18 Octobris 1876 *(Collect. epist. past.* Tom. XII p. 307) : « ... concessimus omnibus confessariis facultates dictas *Adorationis perpetuæ, superaddita* etiam potestate commutandi-dispensando vota non specialiter reservata, a vigilia festi Omnium Sanctorum usque ad diem octavam Novembris. »

Nota: Facultatem *commutandi-dispensando* vota simplicia non reservata habent in diœcesi nostra Decani, qua tamen uti non licet extra

*
* *

Recollectieboeksken of Overwegingen voor elke maand van het jaar, op de vier uitersten van den mensch, telkens gevolgd van een onderzoek van geweten, ten dienste der kloosterzusters, vertaald en geschikt door *D. Lescouhier*, Bestierder van het klooster, te Moorslede. Brugge, K. Van de Vyvere-Petyt; in 24° van 168 bl. — Wordt verkocht aan fr. 0,75 't stuk; fr. 8,40 voor 12.

Recollectio menstrua a scriptoribus asceticis omnibus commendatur; eamque diœceseos sui monialibus præscribit Rev. et Ill. D. Waffelaert et ita quidem ut complecti debeat meditationem circa novissima et examen conscientiæ. Huic scopo aptissime inservit libellus quem commendamus.

Suavi pietate simul et solida doctrina refertas meditationes quas Ampl. D. Van den Berghe, Præses majoris Seminarii Brugensis, lingua latina in usum cleri edidit, auctor flandrice vertit et usui monialium accommodavit.

Examina vero agunt de variis officiis vitæ religiosæ. Libellum ita commendat Ill. et Rev. noster Episcopus:

« Wij keuren zeer geern dit *Recollectieboeksken* goed en wenschen het in handen te zien van al onze kloosterzusters, die er ongetwijfeld allergrootste nut zullen uit trekken tot vóortgang en volherding in de kloosterlijke deugden en in het ieverig vervullen van hunne plichten ».

Hujus optimæ opellæ editio tum gallica tum anglica jam paratur.

A. D. B.

---

actum sacramentalis confessionis (*Stat. diœc.* 1890 p. 68). Hæc facultas commutandi-dispensando cum aliis speciatim concedi solet confessariis Exercitiorum spiritualium pro populo (vulgò *Missionum*).

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Junii.

—

I

Explica Apoc. XIV, 13: *Et audivi vocem de cœlo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.*

II

Supposito demonstrato Christum *ut hominem* habuisse potentiam faciendi miracula, explica modum quo Christus operatus sit miracula.

III

Expone conditiones generales quæ requiruntur ad lucrandam Indulgentiam.

IV

Quodnam est *subjectum* actus creditivi in genere sumpti? Explica.

V

Explica quodnam sit munus proprium *motivorum credibilitatis* et *motivi fidei* in actu creditivo?

VI

An et quamnam censuram incurrit sacerdos infirmo, sine parochi licentia, extremam Unctionem vel Eucharistiam ministrans.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Martii propositas.

—

I

Q. Expone Eccl^ci XXX, 18: *Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro. 19 Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabit: 20 Sic qui effugatur à Domino, portans mercedes iniquitatis.*

R. Duplici similitudine pergit Ecclesiasticus ostendere quàm divitibus morbo afflictis præferendi sint pauperes sani et fortes viribus (v, 14): nihil enim hujusmodi divitibus prodesse possunt divitiæ et deliciæ. Prima similitudo proponitur v. 18; altera v. 19; applicatio autem fit v. 20. Summarium est: Quemadmodum epulæ, *mortuo* aut *idolo* appositæ, nihil ipsis prosunt, ita pretiosa fercula, delicati cibi, opesque, quibus ea acquirere potest, *diviti* nil prosunt, nisi sanitate ac appetitu, optimo ciborum condimento, gaudeat.

Commentarius. v. 18: *Bona abscondita,* sc. bona edulia (lauti cibi) recondita et reclusa seu effusa (ἐκκεχυμένα) ac largiter oblata *in ore clauso*, i. e. ori clauso seu ad os clausum (επι στοματι κεκλεισμένα), sunt *quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro*, i. e. quasi cibi sepulchris mortuorum appositi: hi non prosunt mortuis, nec illa ori seu homini graviter infirmanti. Egregiè in h. l. Jansenius Gandavensis: « Hac sententia nostri ferè intelligunt ex incidenti et extra propositum significari sapientiam, quæ non promitur cum oportet, inutilem esse, sicut inutiliter gentilium more epulæ sepulchris defunctorum apponi solent, ut hîc significetur quod alibi dicitur: Sapientia abscondita et thesaurus invisus, quæ

utilitas utrisque? Ad quem sensum etiam sequentia accommodant.

Verùm longè alium sensum, eumque adhuc ad præcedentia pertinentem Græca demonstrant, quæ habent: *Bona offusa ori clauso*, quamvis Complutensis editio habeat: *Bona clausa ad os clausum*. Significatur autem inutiles esse divitias homini diviti, qui per ægritudinem eis frui non potest, dum illi exhibentur, sicut inutiles sunt cibi defunctis, qui eorum sepulchris apponuntur.

Os enim clausum vocat, quod ad sumendum cum voluptate cibum præ ægritudine aperiri non potest, indicaturque jam et alia ratio, cur pauperem sanum dixerit præferendum diviti ægroto, quòd etiamsi huic per divitias et plurimi et delicati cibi offerri possint, tamen cum per ægritùdinem ad omnem cibum nauseat, non aliter se habeant cibi ei oblati, quam se habent cibi defunctis oblati, et eorum sepulchris appositi. Itaque aptissima hac comparatione significat hujusmodi divites mortuis similes esse, ut qui nullum fructum hujusmodi bonorum quæ adsunt percipere possint; ut autem et nostra lectio hunc sensum habeat, sic accipienda erit: Bona rara et delicati cibi, qui non omnibus sunt parati, sed abscondita ab oculis vulgi, respectu oris clausi, quod præ morbo eis bonis frui non valeat, sunt quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro, quia non majorem inde utilitatem et voluptatem percipit os illud clausum, quam sepulchrum ex appositis epulis ». De more apponendi epulas ad mortuorum sepulchra videsis Auctores, nominatim a Lapide in h. l.

v. 19 *Quid proderit libatio,* i. e. oblatio, victima cum qua libatur vinum, *idolo?* Nihil sane, cum nullum illud habeat cibi potusve gustum, odoratum et sensum: *nec enim manducabit, nec odorabit* cibos sacrificales: *Sic* pariter nihil prosunt epulæ diviti *qui effugatur*, græcè: *qui persecutionem patitur*, i. e. qui propter peccata sua morbis affligitur à *Domino*, sic *portans* morbos quasi *mercedes iniquitatis* suæ. Hæc ultima verba: *portans*

mercedes iniquitatis græcè non extant, illustrant autem ea quæ præcedunt: *qui persecutionem patitur à Domino.*

Præclarè Gandavensis ad vv. 19, 20: « Loquitur adhuc de divite, quem Dominus morbo affligit, sicque ei eripit jucundum deliciarum et divitiarum usum et fructum. Sicut ergo superiori sententia (v. 18) cibos *diviti ægrotanti* oblatos similes esse dixit epulis *sepulchro* appositis, ita nunc alia, sed simili comparatione significat istos similes esse his, quæ *idolis* splendidè et sumptuosè offeruntur: quia sicut idola ex illis nullam vel manducando vel odorando percipiunt voluptatem, ita nec dives, quem Deus punire et affligere morbis ob peccata ipsius statuit, ullam percipit voluptatem ex his quæ ei splendidè et sumptuosè parantur et offeruntur ».

Similis fere doctrina occurrit apud Ecclesiasten VI, 1: *Est et aliud malum, quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines: 2 Vir, cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo* ».

Appositè a Lapide: « Tantalus (in inferno) flumini immersus, sed usque ad labra, nec ex eis bibere permissus, ideoque semper sitiens, symbolum et schema est divitis avari vel ægri, qui opibus immersus iis frui non audet, vel non potest ».

G. V. D. P.

II

Q. *Nomine* duliæ *intelligendo virtutem qua rite coluntur Sancti, expone qua ratione ad duliam pertineat tum Sanctorum* invocatio, *tum ipsorum* imitatio.

R. Prænotandum nomine *duliæ* hic intelligi *virtutem* qua rite coluntur Sancti: et merito: etenim dulia non solum actum colendi significat sed etiam *habitum.* « Advertit autem Scotus... cum Bonav... has voces

latria et *dulia,* non solum actibus, sed etiam habitibus tribui, frequentius tamen significare actus.... » (1).

Ut propositæ quæstioni satisfiat tria asseruntur :

1. Sanctorum tum invocatio tum imitatio non confundendæ sunt cum essentia cultus, nec ita ad duliam pertinent ut sine ipsis nequeat haberi vera dulia.

2. Sanctorum invocatio esse potest actus *elicitus* dulià, imitatio vero (nisi agatur de imitanda ipsa dulia quam exercuerunt Sancti) esse potest solummodo actus *imperatus* dulià.

3. Tum invocatio, tum imitatio Sanctorum sunt connaturales sequelæ et fructus cultus duliæ seu exhibitionis reverentiæ ; et quatenus invocatio est actus elicitus, imitatio vero actus imperatus duliæ, ambo pertinent ad perfectionem virtutis duliæ ; quia quo perfectior est virtus in aliquo subjecto, etiam ad plures actus impellit.

Hæc breviter explicemus.

1. Sanctorum *cultus* est exhibitio reverentiæ, seu actus submissionis ad agnitam Sanctorum excellentiam h. e. supernaturalem sanctitatem (2).

Invocatio Sanctorum est supplicatio qua per intercessionem Sanctorum studemus aliquid a Deo impetrare (3).

Sanctorum *imitatio* est operatio similis operationi Sanctorum.

Ex his patet Sanctos coli posse ab aliquo quin eo ipso eos invocet aut imitetur : nam exhibitio reverentiæ tum mere interna, tum etiam externa, laudes de excellentia Sanctorum, perfici possunt ab aliquo quin intendat aliquid a Sanctis petere vel eos imitari. Quum igitur cultus essentialiter consistat in exhibitione reverentiæ, cultus existere potest sine invocatione et imitatione ; quum dulia sit virtus qua rite colimus Sanctos,

(1) Suarez, *De Incarnatione,* Disp. LI, Sect. III, n. 4.

(2) Cf. Dignant, *De Virtute Religionis*, n. 1 ; *Collat. Brug.*, T. V, pp. 469 et 603 ; et T. VI, p. 238.

(3) Pesch, *Tractatus dogmatici*, T. IV, n. 640.

inde etam haberi potest vera dulia quin per eam fiat invocatio aut imitatio Sanctorum (1).

2. Nihilominus invocatio est aliqua petitio: porro « petitio involvit aliquem sensum demissionis, adeoque ex se *apta* est ut per eam testificemur nostram subjectionem et indigentiam, alterius autem dominium et excellentiam. Si ergo petitio ex tali intentione procedat, erit actus cultus, et si dirigatur ad Deum vel ad eos qui cum Deo specialem relationem habent, erit actus cultus religiosi; secus vero, si petitione intendamus tantum vel alteri *manifestare* nostram indigentiam, vel ei persuadere ut desiderio nostro satisfaciat » (2). Quamvis igitur invocando Sanctos intendamus nostram utilitatem, simul tamen possumus intendere reverentiam nostram exhibere Sanctis: ideo si tali intentione perficitur invocatio, hæc est actus cultus, et consequentur actus elicitus duliæ. Ad duliam applicantes quæ docet S. Thomas de religione, (3) dicere possumus: ad duliam proprie pertinet reverentiam et honorem Sanctis exhibere; et ideo omnia illa per quæ Sanctis reverentia exhibetur, pertinent ad duliam. Per invocationem autem homo Sanctis reverentiam exhibet, inquantum scilicet eis se subjicit. Unde manifestum est quod invocatio

---

(1) Ergo etiam peccator qui non actu cogitat de imitandis Sanctis eos vere (et cum gratia actuali supernaturaliter) honorare et invocare potest. Hæc autem exercitia non improbanda, sed promovenda sunt. « Défiez vous de ce zèle amer et peu éclairé qui fait consister entièrement la dévotion à la Sainte Vierge dans l'étroite observation de ses exemples, et qui hors de là ne reconnaît rien de bon, rien d'utile dans les pratiques de l'Eglise instituées en son honneur. Prêcher que la piété envers Marie de la part de ceux qui vivent dans le désordre est une piété mensongère, injurieuse à Jésus-Christ et à sa Mère, une observance dérisoire, une vaine et criminelle confiance, c'est outrepasser la règle et fausser la vérité, c'est arrêter le courant de la grâce, et, à force de sécheresse et d'exagération, enter le désespoir sur la faiblesse, quand l'intention de l'Eglise est de greffer le repentir sur la miséricorde. » Epûs Algeriensis, Epist. quadrag. a. 1858 — cit. ap. Einig, *De Verbo Incarnato*, p. 184.

(2) Bouquillon, *De Virtute Religionis*, n. 134.

(3) S. Thom. II-IIæ Q. LXXXIII, a. 3.

Sanctorum est proprie duliæ actus. (1). Ex quibus merito concludes invocationem *Sanctorum* esse actum cultus duliæ, quoties non excluditur positive intentio reverentiam exhibendi; aliis verbis hanc invocationem implicite involvere intentionem cultus, eo ipso quod de se apta sit ad cultum exhibendum, et de Sanctis agatur quamquam hæc intentio colendi positive excludi possit.

Sicut invocatio non necessario rationem cultus involvit, ita nec imitatio: possum enim invocare et imitari aliquem quin intendam exhibere ipsi reverentiam. Sed sicut invocatio quemadmodum supra ostendimus, habere potest rationem cultus, (et ubi de *Sanctis* agitur, de se habet), ita et imitatio; etenim imitari aliquem est aliquid de se aptum ut exhibeatur submissio ad agnitam excellentiam illius qui proponitur imitandus: imo non potest quis efficacius testificari suam submissionem ad agnitam alicujus excellentiam quam agendo ex intentione ut sibi acquirat perfectionem alterius: ita non verbis sed opere, imo et intimo voluntatis actu indicat se esse inferiorem illo quem vult imitari et se ipsi subjicit quasi rectori vitæ. Si ergo imitatio ex tali intentione procedit, quod de se et generatim fit, ubi de Sanctis agitur, erit actus cultus. Hoc sensu intelligenda sunt verba S. Augustini: « Summa religionis (est) imitari quem colis » (2).

Actus autem virtutis, quem ponit quis ut honoret Sanctos, *elicitur* ab illa virtute ad quam proprie pertinet talis actus secundum ejus objectum formale, *imperatur* vero a dulia: si quis v. gr. ut imitatione honoret Sanctum, jejunat, hic est actus elicitus a temperantia,

---

(1) Nec obstat invocationem elici intellectu, non voluntate: etenim « virtuti attribuuntur ut proprii actus, non solum si ejusdem sint potentiæ, in qua est habitus virtutis, sed etiam actus aliarum potentiarum, dummodo non per *aliam virtutem* illos eliciant » Cajetanus, in II-IIæ, Q. LXXXI, a. 4. Cf. Dignant, op. c., n. 11.

(2) De Civit. Dei, L. VIII, c. 17.

imperatus a dulia (1). Possumus autem imitari Sanctos etiam quoad virtutem duliæ quam coluerunt: illi actus elicitive pertinent ad duliam.

3. Qui Sanctis ob eorum excellentiam exhibet reverentiam, connaturaliter petet a Sanctis ut intercedant pro ipso: etenim ad excellentiam ob quam formaliter honorantur Sancti, sc. ad supernaturalem sanctitatem reducitur potentia qua apud Deum gaudent ut bona nobis impetrent: inde qui hanc excellentiam agnoscit et ob eam Sancto reverentiam exhibet connaturaliter auxilium a Sanctis quæret et quidem ea intentione ut etiam hac invocatione Sanctos honoret.

Rursus qui Sanctorum excellentiam agnoscit et ob hanc illos reveretur, hanc excellentiam admiratur et consequenter ad hanc imitandam impellitur; eo vel magis quod et ipsa imitatio peracta intentione honorandi Sanctos actus duliæ est, honorato gratissimus. Proportione servata de Sanctis imitandis dicere possumus quod Paulus de Deo dicit: « Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi » (2). Quemadmodum decet filios imitari Patrem, ita et fratres imitari fratres qui sanctitate et gloria æterna excellentes sunt effecti et ut tales tamquam exemplaria proponuntur ab Ecclesia.

Igitur quo perfectior est in aliquo dulia, eo etiam ille magis ad Sanctos invocandos et imitandos agetur. In hoc sensu intelligenda sunt verba quæ supra (p. 239) retulimus ex S. Joanne Chrysostomo et S. Bernardo.

J. V. D. M.

---

(1) Notemus ad duliam *elicitive* pertinere illos solos actus quorum formalis honestas consistit in exhibenda reverentia Sanctis, et qui non ex alia ratione laudabiles sunt. Inde quando dicitur ad cultum Sanctorum maxime pertinere amorem, imitationem virtutum, hoc intelligendum est de actibus qui vel imperant cultum vel imperantur ab eo et debent foveri per ipsum. Cf. Billot, *De Verbo Incarnato*, 3a Ed. p. 330.

(2) Ephes. V, 1.

III

Q. *Expone naturam propriam indulgentiæ* pro vivis *et indulgentiæ* pro defunctis.

R. Indulgentiæ pro vivis et indulgentiæ pro defunctis conveniunt in hoc quod utrimque fiat dispensatio thesauri Ecclesiæ in relaxationem pœnæ temporalis, quæ quidem dispensatio, in utraque indulgentiæ specie, involvit alicujus auctoritatis exercitium.

Porro *distinctam* et *propriam* nanciscuntur naturam ex *diverso modo* quo dicti thesauri dispensandi *applicatio* fieri contingit: nimirum satisfactiones Christi et Sanctorum *vivis* applicantur *ad modum jurisdictionis*, *defunctis* vero *ad modum suffragii*. (1).

1°/ **Ad modum jurisdictionis** applicatur indulgentia, quatenus Ecclesia non tantum haurit ex publico ærario, in quo hauriendi actu jam auctoritatis exercitium agnovimus, sed insuper satisfactiones e thesauro exhaustas *auctoritative applicat* fidelibus, easque quasi imponit Deo in compensationem et remissionem correspondentis reatus pœnæ coram Deo debitæ.

2°. **Ad modum suffragii** applicatur indulgentia, quatenus Ecclesia haustas satisfactiones *non auctoritative* applicat defunctis in relaxationem debiti pœnæ, sed *suppliciter illas offert* Divinæ Clementiæ, suppliciter rogando ut dignetur eas benigne accipere in compensationem pœnæ ab anima purgante luendæ.

Quæ explicatio, magis conformis, uti videtur, menti S. Thomæ, quam aperit in l. IV Sent., Disp. XX, art. 3, sol. 1ª, nonnihil discrepat ab explicatione quam passim proponunt Auctores recentiores, uti videre est apud Bellarminum, *De Indulgentiis*, l. I, cap. V, n. 3, collatis Palmieri, *De Pœnitentia*, p. 449 et Ballerini-

(1) Cf. Rescriptum S. C. Indulg., 25 Aug. 1897, apud *Collat.*, III, p. 180.

Palm., V, p. 630. Censent nimirum indulgentiam pro vivis duplicem actum importare distinctum: absolutionem, qua directe condonatur reatus, et solutionem quæ in compensationem offertur pro condonatione facta; dum contrà unico potius constat actu, solutione scilicet qua, auctoritative facta, reatus extinguitur indirecte et e consequenti, ita ut solutio non succedat absolutioni prævie factæ, sed ut per ipsam solutionem debitum relaxetur.

Hac ratione, in utraque indulgentiæ specie, salvatur generalis notio, suprà, p. 241 et seq. exposita, et simul intimius distinguitur remissio pœnæ per indulgentiam a directa condonatione in sacramento Pœnitentiæ, ac tandem ratio redditur consuetæ formulæ: « *ad modum jurisdictionis* ».

Et sane illicó apparet, sub 1°/, in ipsa *applicatione* satisfactionum, veram exerceri *jurisdictionem*, cum nequeat quantavis compensatio Deo creditori efficaciter imponi in extinctionem debiti coram Ipso contracti, nisi ab illo qui vera gaudet potestate in ordine ad solvendum idem illud debitum (1).

Ubi namque deest jurisdictio, sicut eam Ecclesiæ deesse constat relate ad defunctos, potest quidem suppliciter offerri compensatio, petendo ut a Deo acceptetur in debiti relaxationem, nullatenus vero potest auctoritative imponi; quemadmodum rex posset alteri regi vinctum detinenti compensationem *offerre*, non vero *imponere*, quia ad hoc caret jurisdictione vi cujus possit auctoritative solvere vincula vel ea retinere (2).

---

(1) Jurisdictio ibidem requisita est jurisdictio *fori interni*, licet extrasacramentalis, uti innotescit ex notione proposita apud *Collat.*, IV, p. 596 et seq ; ipsa autem thesauri dispensatio, quam etiam ex auctoritate fieri vidimus, pertinet ad forum *externum*.

(2) Eadem ratione intelligitur similis formula: « *ad modum absolutionis* »; siquidem hujusmodi solutio auctoritative facta et auctoritative extinguens reatum compensando, æquivalet directæ absolutioni, nec minorem supponit potestatem in illam concedente quam in directe absolvente.

Corollarium. Non videtur quærenda distinctio inter indulgentiam pro vivis et indulgentiam pro defunctis in eo quod prior fidelibus conceditur *immediate*, altera vero *mediatè* tantum, intermedio scil. fideli in terris degenti, qui opus præstat injunctum et intentione indulgentiam transfert in determinatum defunctum.

Hic namque modus concedendi mediatè, licet passim usurpetur, non est *essentialis* indulgentiæ pro defunctis, adeo ut *de se* possit immediatè ab Ecclesia applicari, non secus ac indulgentia pro vivis. Nimirum in concedenda hujusmodi indulgentia non indiget Ecclesia intermedio nisi *per accidens* dumtaxat, ad hoc scil. ut pium opus præstetur, quo constituatur vel perficiatur *causa* ad valorem cujuscumque indulgentiæ requisita: sufficeret igitur aliunde verificari causam proportionatam ut jam nihil obstaret immediatæ applicationi indulgentiæ pro defunctis.

In hunc sensum est audiendus Suarez, in III P., disp. LIII, sect. 3, n. 12-14 et signanter Theodorus a Spir. S°, *De Indulgentiis*, Part. I, cap. XIV, art. 6, collatis art. 4 et 8, (1) quibus contradicunt non pauci, qui contendunt ex ipsa indole indulgentiæ pro defunctis sequi ut non possit aliter quam mediante actione viventis defunctis concedi (2).

---

(1) Docet Theodorus « facultatem concessam viventibus applicandi indulgentias defunctis per modum suffragii in eo consistere, quod S. Pontifex hujusmodi indulgentiam concedens, animabus in Purgatorio existentibus suffragetur, ubi viventes, illis designatis, ad talem finem opera in Litteris Apostolicis injuncta expleverint. Hoc enim modo dicendi admisso, recte intelligitur quomodo duo spectent ad viventes, videlicet opus injunctum exequi, necnon animas sublevandas per hujusmodi indulgentias designare: et alterum ad S. Pontificem, nempe offerre ex Ecclesiæ thesauro Christi et Sanctorum satisfactiones, deprecando divinam Clementiam, ut animæ defunctorum remissionem obtineant a pœna temporali, quam patiuntur in Purgatorio; quamobrem admittere non cogimur, viventibus facultatem conferri ad applicandam portionem thesauri Ecclesiæ defunctis, aut elevationem *in operibus* injunctis » l. c., art. 4.

(2) Juxta Palmieri, *De Pœnitentia*, p. 480 et seq. collata nota ad Ballerini, *Opus Morale*, V, p. 645, ipse R. Pont. non applicat indulgentiam de-

Nota. Non est contra naturam indulgentiæ, sed « est omnino contra usum Ecclesiæ ut concedat fidelibus indulgentias quas quis non sibi sed *aliis viventibus* applicare queat ». *Collat.*, III, p. 181-182. Ratio esse videtur, ait De Lugo, l. c., n. 77 « quia, cum ipsi (viventes) possint sibi etiam subvenire, non expedit fovere eorum pigritiam, ut neque satisfacere, neque etiam indulgentias pro se lucrari curent ». Cf. Theol. Mechl., *De Indulgentiis*, p. 7 et *Collat.*, l. c., ubi solvitur difficultas contra assertum adducta ex existentia Altaris privilegiati pro vivis.

A. D. S.

IV

Q. *Proba existere virtutes morales supernaturales.*

R. **Prænota quoad gradum certitudinis theseos.** Non eadem certitudine de infusione virtutum moralium supernaturalium ac de infusione virtutum theologicarum constat. Merito enim auctores post Suarezium (*De Gratia*, l, 6, c. 8, n. 14 s.) de fide definitum esse censent in Concilio Tridentino (Sess. VI, c. 6, 7, 15, 28) esse in justis gratiam permanentem et dona permanentia; item esse fidem, spem et charitatem permanentes; sub expressis vero terminis *habitus* vel *virtutis* esse fidei proximum. Imo Concilium Vaticanum (Const. Dei Fil. c. 3) solemniter decrevit « Fidem..... *virtutem* esse supernaturalem..... ». Unde virtutes theologicas nullus catholicus sine gravi censura negare vel in dubium

functis, sed fidelis vivens, opus injunctum præstando, facultatem acquirit ut ipse applicet satisfactiones e thesauro ab Ecclesia subministratas. Juxta De Lugo, *De Pœnitentia*, Disp. XXVII, n. 70-71, Ecclesia eget intermedio vivente, quatenus elevat opera pia fidelium viventium, ita ut non solum sint satisfactoria ex opere operantis sed etiam ex opere operato, si pro defunctis offerantur; ac proinde defunctis prosint ultra dignitatem ipsis ex opere operantis obvenientem, suppletione facta pro majori fructu ex thesauro Ecclesiæ.

revocare posset. — Morales vero virtutes supernaturales justis infundi non est de fide, nec fidei proximum aut theologice certum. Non defuerunt quidem theologi qui virtutum per se infusarum existentiam negaverunt ut Scotus, Durandus, Ocham, Gabriel etc. Attamen Scoti sententia sensim obsolevit,ità ut sententia affirmans quæ jam ab antiquo communius tenebatur, post S. Thomam evaserit communissima et fere universalis.

Hanc autem tenemus ut veram, utpote quæ 1° a Sacra Scriptura suaderi videtur; 2° atque in Ecclesiæ sensu, 3° Patrum testimoniis, 4° præstantissimorum theologorum sententia et 5° principiis theologicis solide fundatur. His autem prænotatis.

Probatur hæc vera ac communissima sententia:

1° *E Sacra Scriptura* suaderi videtur (1) existentia virtutum moralium per se infusarum, scil. ex *II^a Petri* I, 3 ss. — 12. *Quomodo* (ὡς sc. quemadmodum), inquit S. Petrus, Deus Pater per Christum *omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam et pietatem* (εὐσέβειαν sc. cultum Dei)... *maxima et pretiosa nobis promissa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ,*... sic *vos* vicissim, ex vestra parte *curam omnem subinferentes*, ministrate (ἐπιχορηγήσατε sc. reciproce præstate) *in* (cum) *fide vestra virtutem* (τὴν ἀρετὴν: fortitudinem, vel morum honestatem), *in virtute autem scientiam* (τὴν γνῶσιν, prudentiam), *in scientia autem abstinentiam* (τὴν ἐγκράτειαν, temperantiam), *in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem...*

Testante igitur S. Petro christianis maxima ac pretiosa dona conferuntur quibus efficiuntur divinæ naturæ consortes, quæque sane in quadam intrinseca ac permanenti habitudine consistere dicenda sunt. Atqui præ-

(1) Clar. P. Billot, *De Virtutibus Infusis*, Romæ 1901 p. 98 ss. 118 ss., e quo præclaro opere substantiam hujus argumenti desumimus, — communissimam sententiam affirmantem in loco Petri citato non tantum suaderi, verùm *aperte colligi* et *probari* autumat.

ter habitum substantivum per quem formalissime habetur divinæ naturæ participatio, esse quoque habitus operativos ei proportionatos, atque ex divina pariter infusione causatos ex ipso textu suadetur. Etenim *maxima et pretiosa promissa nobis donata* non in uno tantum consistunt, sed comprehendunt *omnia quæ ad vitam et pietatem* faciunt, secundum quod congruit infuso consortio divinæ naturæ; adeoque complectuntur « *morales* virtutes prout congruunt superiori naturæ nobis infusæ. Nam si virtutes morales illæ sunt quæ versantur circa media, negari non potest quin ad vitam (christianam) et pietatem faciant quam maxime, tùm quia usus mediorum requiritur ad consecutionem finis, tùm quia si a fine aberrari contingat, hoc plerumque est quia circa media non recte afficimur. Et confirmatur, nam in operibus virtutum quas consequenter enumerat Petrus, simul cum fide et charitate commemorantur etiam *prudentia, abstinentia, patientia, pietas* aliaque hujusmodi » (1).

2° *Probatur ex sensu Ecclesiæ.* Colligitur imprimis ex verbis Innocentii III (c. *Majores* de Baptismo): « Illud vero, quod opponentes inducunt, fidem aut charitatem *aliasque virtutes* parvulis, utpote non consentientibus, non infundi..... ». Etenim ex hoc textu, quemadmodum ex statu controversiæ (2), eruitur jam a sæculo XII doctrinam fuisse in Ecclesia communem, adultis infundi fidem, charitatem *aliasque virtutes* scil. morales, solumque de parvulis dubitari. Innocentius autem ut probabiliorem amplectitur sententiam, nunc communi consensu receptam, de infusione earumdem virtutum in

---

(1) Cfr. Billot *ll. cc.* qui insuper revelationem virtutum infusarum etiam *virtualiter* in hoc textu contineri ostendit. — Cfr. *II Tim.* I, 7: « non dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed virtutis (fortitudinis) et dilectionis et sobrietatis ». Atqui Deus dedit nobis habitum dilectionis seu charitatis infusum, ergo etiam (ut suaderi videtur) habitum infusum fortitudinis et sobrietatis.

(2) Cfr Mazella, *De Virtutibus Infusis*, Romæ 1884, p. 19 s.

parvulis. — Quo sensu intelligenda pariter sunt verba Clementis V in Concilio Viennensi *(De Summa Trinitate et Catholica Fide)*, eamdem prorsus quæstionem tractantis, thesimque nostram eligentis : « Opinionem... quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam ac virtutes, tanquam probabiliorem, et dictis Sanctorum et doctorum modernorum theologiæ magis consonam et concordem, sacro approbante concilio approbandam duximus eligendam ».

Accedit auctoritas Catechismi Romani Conc. Trid. (*De Bapt.* n. 51) : « Huic (gratiæ habituali) additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in anima cum gratia divinitus infunduntur ». Jamvero, cùm tres virtutes theologicæ « nobilissimus omnium virtutum comitatus » esse non videantur, adsignificatur præter illas etiam morales virtutes infundi.

3° *Colligitur ex SS. Patribus.* Cfr Mazella, *De Virtutibus Infusis*, Romæ 1884, p. 31 s. et Pesch, *Prælectiones dogmaticæ*, Friburgi B. Tom. VIII (1898) p. 17. Unum alterumve testimonium referre sufficiat. Ità S. Augustinus (Tract. 8 in ep. Joan.) ait : « Sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis, semper hæc tenenda sunt,... quia intus sunt omnes istæ virtutes quas nominavi ». — S. Gregorius M. (Hom. 5 in Ezech. n. 11) scribit : « In Sanctorum quippe cordibus..... juxta quasdam virtutes (Spiritus sanctus) semper remanet ; juxta quasdam recessurus venit et venturus recedit. In fide etenim, spe atque charitate et in bonis aliis..... sicut est humilitas, castitas, justitia atque misericordia, perfectorum corda non deserit ». S. Prosper (contra Collat. c. 9) dicit Adamum perdidisse virtutes infusas non solum theologicas, sed etiam morales : « Perdidit primitus fidem, perdidit continentiam, perdidit charitatem, spoliatus est sapientia et intellectu, caruit consilio et fortitudine, et impie altiora sectando a veritatis scientia, et obedientiæ pietate dejectus est ».

4° Affirmantem sententiam tenent *hodierni theologi omnes*. Inter antiquos, præsertim præeunte S. Thoma (1ª 2ᵃᵉ q. 63 a. 3), tenuerunt plurimi iique præstantissimi: ità Cajetanus, Conradus, Medina, S. Bonaventura, Richardus, Capreolus, Paludanus, Hispalensis, Vega, Valentia, Vasquez, Suarez, Aversa etc. etc.

5° *Nititur præterea rationibus theologicis* quæ sequenti argumento breviter contrahi possunt. Possibilitas virtutum moralium supernaturalium nullo ex capite repugnat. Jamvero, si possibiles sunt virtutes per se infusæ, infunduntur.

Antecedens patet. Etenim virtus *per se infusa* nullo modo repugnat, cùm certissime edoceamur existere tres virtutes theologicas infusas; neque repugnat existere virtutem moralem per se infusam juxta moralem acquisitam, cum illa duo principia operativa sint ordine et specie distincta utpote moventia ad actus ordine et formali objecto diversos.

Probatur consequentia. Etenim *primo*, virtutes morales supernaturales postulantur ad perfectionem et complementum ordinis supernaturalis. Sicut nempe natura humana debite inclinata ad finem naturæ postulat intrinsecas facultates operativas quibus possit convenienter operari circa ea quæ sunt ad finem, ità natura per gratiam elevata et debite inclinata ad finem supernaturalem postulat principia intrinseca operativa connaturalia seu virtutes morales per se infusas quibus possit connaturali modo operari circa media ad finem supernaturalem. Ergo « sicut potentiæ naturales concreantur animæ ex connaturali vinculo, ità hæ virtutes (morales supernaturales) infunduntur cum gratia, quasi ex debito ipsi connaturali » (1).

Secundo, spectat ad divinam providentiam efficere per causas secundas connaturales et proportionatas

(1) Cfr. Suarez, *De Gratia*, lib. VI, c. 9, nn. 7 et 8 — S. Thomas, *Sª Theol.* 1ª 2ᵃᵉ q. 63 a. 3 — Ill. ac Reverend. Waffelaert *o. c.* p. 6 ss.

effectus qui continentur in earum virtute. Atqui dantur *actus* supernaturales non modo ad finem sed etiam circa media ad finem supernaturalem, eorumque causæ connaturales et proportionatæ sunt virtutes per se infusæ. Ergo spectat ad divinam providentiam præter virtutes theologicas infundere etiam *virtutes* morales.

A. C.

V

Q. *Explica quo sensu prudentia, justitia, fortitudo et temperantia præ aliis virtutibus moralibus dicantur virtutes cardinales.*

R. *Imprimis breviter explicatur ratio nominis.* Virtutes morales supernaturales sicut et naturales existunt quam plurimæ. Etenim plurimi sunt actus specie distincti circa media ad finem exercendi. Virtutes autem specificantur juxta actus specifice diversos. Omnes tamen virtutes morales tùm acquisitæ tùm, proportione servata, infusæ reduci possunt ad quatuor principales quæ *cardinales* vocantur. Prudentia, justitia, fortitudo et temperantia virtutes morales *supernaturales* vocantur *cardinales* absque præjudicio principalitatis atque superioritatis qua virtutes theologicæ moralibus præeminent. Nomen tamen « cardinalium » (metaphora a *cardine* deducta) haud quadrat in virtutes theologicas. Sunt enim circa finem ultimum in quo quiescit appetitus hominis. Unde illarum excellentia comparatur potius fundamento seu radici (fides), anchoræ (spes) et vinculo (charitas). *Cardo* autem dicit aliquid in quo alterum firmatur ac volvitur, et ideo appellatio « cardinalium » convenit virtutibus moralibus quæ versantur circa ea quæ sunt ad finem, per quæ est motio in finem. Sicut ostium firmatur in cardine et non potest bene volvi sine ipso, ità nec humana vita potest bene transigi sine virtutibus cardinalibus: ex ipsis enim velut e quibusdam cardini-

bus omnis moralis honestas pendet, et in ipsis firmatur ac suo modo quasi in cardine vertitur. — Hoc autem præmisso de ratione nominis, propositæ quæstioni respondetur :

Prudentia, justitia, fortitudo et temperantia tum acquisitæ, tum per se infusæ præ aliis virtutibus moralibus **cardinales vocantur duplici sensu**: 1/ ut **genera virtutum** seu secundum generalitatem et extensionem ad varias materias; 2/ ut **virtutes speciales** seu secundum intensionem perfectionis specificæ in respectiva materia.

Explicatur duplex hic sensus rite distinguendus. Dicuntur cardinales:

1/ **Ut generales virtutes** seu secundum generalitatem et *extensionem* ad varias materias. Sic considerantur virtutes cardinales ut quatuor virtutum genera, in quorum extensione virtutes morales omnes, tùm acquisitæ, tùm proportione servata infusæ comprehenduntur. Ratio autem secundum quam variæ virtutes ad quatuor illa genera reducuntur est communis quædam ratio formalis (1) seu commune rationis bonum. Quæcumque enim virtus moralis vel rectitudinem ponit in ipsa ratione, et sic reducitur ad prudentiam; vel inclinat ad reddendum debitum alteri secundum rectam rationem (seu est ad alterum), et sic reducitur ad genus justitiæ; vel comprimit passiones quæ retrahunt ab agendo secundum rectam rationem et sic ad fortitudinem reducitur; vel moderatur passiones quæ impellunt ad agendum contra rectam rationem et sic reducitur ad temperantiam. (2) In hoc priori sensu prædictæ quatuor virtutes possunt et debent dici virtutes *generales*.

Huic acceptioni virtutum cardinalium pro quatuor generibus virtutum omnino affinis est alia, in virtutum connexione ad invicem fundata, et qua virtutes cardi-

---

(1) Cfr S. Thomas, *Sa Theol.*, 1a 2æ, q. 61, a. 3 in corp., coll. a. 2 in corp.

(2) Cfr Illm ac Reverendm Waffelaert, *Tractatus de Prud. Fortit. et Temp.*, Brugis 1889, p. 12 ss. — A. Pottier, *De Jure et Justitia*, Leodii 1900, p. 58.

nales significant **quadruplicem generalem conditionem** *rectitudinis in omnibus virtutibus moralibus requisitam.* Omnis enim virtus oportet ut sit prudens, justa, fortis ac temperata. Sic autem prudentia est rectitudo discretionis in quovis actu et in omni materia; justitia significat generalem animi rectitudinem, qua homo facit quod debet in quacumque materia, sive Deo, sive proximo, sive sibi ipsi; fortitudo intelligitur firmitas contra quoscumque impetus passionum et agendi difficultates; temperantia denique est generalis moderatio in omnibus actibus ità ut modus a ratione præscriptus in omnibus servetur.

2/ Ut **virtutes speciales** seu secundum *intensionem perfectionis specificæ* in respectiva materia. Sunt in hoc altero sensu, quatuor virtutes speciales et distinctæ in quibus eminenter et perfectissime reperitur ratio honestatis toti generi communis seu objectum formale commune; vel in quibus eminenter inest una e quatuor conditionibus generalibus omni virtuti morali communibus.

Ità *prudentia* principali et perfectissimo actu rationis practicæ *præcipit* id quod est recte agendum; justitia alteri reddit *debitum strictum* et ad strictam æqualitatem; *fortitudo* firmat contra pericula maxima, scil. *mortis; temperantia* moderatur concupiscentias maximas delectationum *tactûs*. (1).

Exinde hæ quatuor virtutes evadunt principales seu cardinales, ad quas ut ad totidem cardines seu capita cæteræ virtutes omnes logice referuntur sive ut virtutis cardinalis specialis partes *integrales*, sive ut ejus partes *subjectivæ*, sive ut partes ejus *potentiales* (2).

Partes *integrales* alicujus virtutis sunt elementa seu

---

(1) Cfr S Thom. *Sa* 2a *Theol*, 1æ, q. 61, a. 3 in corp.

(2) Secundum quod virtus cardinalis specialis seu particularis respective consideratur ut totum aliquod *integrale*, *universale* vel *potentiale*. Ergo, licet omnes virtutes morales quatuor cardinalibus annectantur, non tamen id fit eodem modo in singulis.

conditiones requisitæ ad integrum seu perfectum actum illius virtutis. Sic ad perfectam justitiam constituendam concurrere debent duo elementa integrantia seu duæ partes integrales: facere justum seu reddere debitum, et vitare injustum seu debitum non auferre.

Partes *subjectivæ* sunt species in quas sicut genus quoddam virtus cardinalis dividitur. Porro species debent univoce participare rationem genericam et differentia specifica inter se differre. Hoc modo, ut sistamus in eodem exemplo, virtutis justitiæ proprie dictæ sunt tres partes subjectivæ seu species: justitia legalis, distributiva et commutativa. Conveniunt hæ tres virtutes in ratione generica debiti fundati in titulo alterius seu debiti stricti; at vero inter se discrepant diversa hujus debiti ratione prout nempe debitum a membris tribuendum est communitati, vel a communitate membris, vel a membris seu personis privatis inter se.

Partes *potentiales* denique virtutis cardinalis sunt virtutes in quibus ratio seu essentia propria cardinalis reperitur deficienter seu imperfecta. Ità justitia essentialiter respicit *debitum strictum alteri ad æqualitatem.* Et ità ut quasi partes potentiales justitiæ annectuntur omnes virtutes quæ respiciunt aliquod debitum alteri reddendum sed a perfecta essentia justitiæ deficiunt, vel quia debitum non reddunt *ad æqualitatem* (ità religio, pietas, observantia), vel quia in ipsis reperitur *defectus debiti stricti* (ità veritas, affabilitas etc.) (1).

A. C.

VI

Q. *Quænam Sacerdos impertiens benedictionem Apostolicam in articulo mortis præstare debet, ut infirmus debite eam recipere et indulgentiam consequi valeat?*

R. Sacerdos, ut supponitur, rite delegatus bene-

(1) Cfr Sylvius, *in 2am 2æ*, q. 80 art. unico.

dictionem Apostolicam impertiens fideli in articulo mortis constituto, qui usum rationis habet vel habuit et eam benedictionem petiit dum sana mente et integris sensibus erat, seu verosimiliter petiisset, vel dedit signa contritionis (*Rituale Romanum*, tit. V, cap. 6, nº 1) debet:

1º Adhibere formulam à Benedicto XIV in Bulla *Pia Mater* præscriptam, quam exhibet Rituale Romanum. tit. V, cap. 6. Hæc formula juxta decretum S. Congr. Indulgentiarum 5 febr. 1841, non est tantum directiva sed est præceptiva, ita ut Sacerdos omissa hac formula ob libri deficientiam valide non conferat indulgentiam plenariam; et per decretum 22 martii 1879 à Leone XIII approbatum eadem « formula Benedictina est præscribenda pro omnibus indiscriminatim ».

Si tamen periculum instantis mortis non permittat ut integra formula recitetur, ipsum Rituale, l. c., nº 7, post Benedictum XIV permittit, ut omissis aliis, statim sacerdos Benedictionem impertiatur. (De hoc fusius in responso ad quæstionem pro Conferentia mensis Maii propositam).

2º « Si ægrotus voluerit confiteri audiat illum et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis » (Rit. l. c., nº 3). «Conditiones ad lucrandam hanc indulgentiam in rigore non sunt Confessio et S. Communio: quamquam necessarium est ea Sacramenta, si fieri potuit, antea esse suscepta; si vero id impossibile est, sufficit, ut moribundus sit vere contritus seu in statu gratiæ » (1); in indulto enim quo facultas Episcopis concedi solet, requiritur ut infirmus sit « vere pœnitens et confessus ac Sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit saltem contritus » . Videtur necessarium non esse ut confessio et communio immediate præcedant Benedictionem sed sufficere quod ægrotus in eodem morbo Sacramenta receperit (2). Si tamen infirmus ab

(1) Lehmkuhl *Theol. Moralis*, tomo II, nº 564.
(2) Nouv. Revue Théol., 1884., p. 621.

aliquibus diebus est confessus et communicavit « tutius certo erit, ait De Herdt, (1) iterum confiteri et communicare, si commode fieri possit ». Diximus necessarium esse ea sacramenta antea esse suscepta *si fieri potuit:* « Benedictio enim in articulo mortis cum applicatione indulgentiæ plenariæ potest, si sit periculum in mora, concedi tum valide, tum licite iis, qui etiam culpabiliter non fuerunt ab incepto morbo Sacramentis refecti vel Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, vel Extremæ Unctionis, vel nullo horum, *subitoque vergunt ad interitum* » (Decr. 23 Sept. 1775), vel iis « qui linguæ, cæterorumque sensuum usu sunt destituti aut in delirium vel amentiam inciderunt » (Rit., l. c., n. 1). Qui autem confiteri vel communicare non potest vel, ut dicit Rituale, Confessionem non petit, excitari debet ad actum contritionis. « Imo Benedictus XIV in Constit. « *Pia mater* » videtur pro conditione injungere *conatum* eliciendi *actus* ferventissimæ *caritatis et contritionis*, si pro statu moribundi possibile sit » (2): « Quo certius prædicti omnes *(etiam qui antea sinceræ contritionis indicia dederunt)* indulgentiæ fructum consequi valeant, præfatis Sacerdotibus, ait Benedictus XIV (l. c.), mandamus, ut omni ratione studeant moribundos fideles excitare ad novos de admissis peccatis doloris actus eliciendos, concipiendosque ferventissimæ in Deum Charitatis affectus ».

3° Sacerdos « de hujus Benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat ». Ita Rituale. Intentio lucrandi indulgentiam ex parte infirmi requiritur (3). Licet autem nec actualis nec virtualis videatur necessaria, sed habitualis sufficiat (cum Rituale dicat dandam esse benedictionem etiam iis qui « verosimiliter petiissent »), sacerdos, si infirmus sit sui compos, eum instruet de vi et efficacia benedictionis et intentionem etiam actualem suggeret.

---

(1) Tomo, III, n. 308. — (2) Lehmkuhl. l. c.
(3) Cfr. Nouv. Revue Théol., l. c., p. 619.

4° « Tum (sacerdos) instruat, atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat, ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pœnarum, quæ peccando promeruit » (Rit., l. c.). Adhortabitur infirmum « ut mortem tanquam peccati stipendium de manu Domini patienti atque alacri animo suscipiat » uti loquuntur indulta. De hoc requisito loquitur Benedictus XIV in eadem Constitutione *Pia Mater:* « Præfatis Sacerdotibus mandamus, ut omni ratione studeant moribundos fideles excitare... præsertim ad ipsam mortem æquo ac libenti animo de manu Domini suscipiendam. Hoc enim præcipue opus in hujusmodi articulo constitutis imponimus ac injungimus, quo se ad plenariæ indulgentiæ fructum consequendum præparent, atque disponant ». Cum hæc dispositio in infirmo (saltem si sit capax) omnino requiratur ad lucrandam indulgentiam, sacerdos, quo meliori modo potest, eam proponere et excitare debet. « Res prudentiæ, ait Ill. Vanderstappen (1), plerumque erit hanc exhortationem ita moderari, ut ægroti perturbatio, vel ejus amicorumque indignatio evitetur », (Cfr. etiam De Herdt, l. c., n° 307, 3°).

5° Sacerdos suggeret infirmo ut « Nomen Jesu, ore si potuerit, sin minus corde devote invocet ». Hanc invocationem nec Rituale nec Constitutio *Pia Mater,* exigunt, sed ipsa imponitur in indultis quibus facultas Benedictionem impertiendi Episcopis conceditur; et requiritur non tantum in illis qui confiteri et communicare non potuerint sed pro universis fidelibus juxta decretum S. C. Indulgentiarum 22 Sept. 1892 *in Dublinen.* Proposito enim dubio, an requiratur « tanquam conditio sine qua non ad lucrandam prædictam indulgentiam ut ægrotus, quamdiu suæ mentis est compos, invocet nomen Jesu, *ore si potuerit, sin minus corde* »: Respondetur: « affirmative, id est: Invocatio saltem

(1) *De Administr. Sacram.*, q. 243, 3°.

mentalis SS^mi Nominis Jesu est conditio sine qua non *pro universis Christifidelibus*, qui in mortis articulo constituti plenariam indulgentiam assequi volunt vi hujus Benedictionis, juxta id quod alias decrevit hæc S. Congregatio in una *Vindana* die 23 Sept. 1775 ». Cum dicatur « *saltem* mentalis » supponitur invocationem debere esse oralem, si status infirmi permittat, prouti significatur expresse in ipso dubio cui affirmativum datur responsum. (1) Cæterum idem exprimitur in indultis.

H. V. D. W.

De Jubilæi natura et conditionibus

(Sequitur. — Cfr. suprà, pag. 260).

III. De relaxandis operibus universim injunctis.

Enucleare conati sumus hucusque ea quæ spectant onera fidelibus universim injuncta. Sed, prædecessorum suorum exempla secutus, Leo XIII regulæ generalis rigorem in quibusdam mitigavit « ratione habita peculiaris conditionis, in qua certas quasdam personas versari contigerit ». Præ oculis habentes normas interpretationis supra traditas (p. 261), examinabimus in quibus singula opera præscripta mitigari queant.

I. A **confessione** nullus quovis titulo eximi potest. Imo specialis requiritur confessio, nec *hebdomadaria* ad lucrandas simul indulgentiam jubilæi et alias indulgentias infra hebdomadem occurrentes suffragari potest nisi eo sensu quem indicavimus *Coll. Brug.*, V p. 527. Idem dicendum est de iis qui singulo spatio duarum hebdomadarum confiteri assolent, in diœcesibus in quibus, ut in nostra (2), ex privilegio apostolico, con-

(1) Cfr. *Collat. Brugens.*, tom. II, p. 598.

(2) Hujusmodi privilegium fidelibus diœceseos Brugensis concessum fuit *ad biennium*, per breve de die 8 Martii 1899, (Cf. *Coll. Brug.* tom. IV, p. 378) et renovatum per rescriptum diei 2 Aprilis 1901.

fessio singulis quindenis instituta valet ad lucrandas omnes indulgentias infra præfatum tempus occurrentes. Qui autem in hisce diœcesibus bis in quindena confitentur possunt, ut patet, unam ex illis confessionibus instituere in ordine ad jubilæum acquirendum.

II. Quoad **S. Communionem** indulgetur facultas « *dispensandi* pueros nondum ad primam Communionem admissos, eisque *alia pia opera etiam pro sacramentali communione præscribendi* ». Agitur de iis pueris qui neque intra sex menses pro jubilæo statutos « parochi proprii vel confessarii judicio admittendi sunt » (1). Hæc dispensatio mixta cum commutatione concedi potest non a parocho qua tali, sed ab Episcopo, puta pro tota diœcesi, vel a confessario in singulis casibus, etiam extra sacramentalem confessionem.

Anno elapso contra clarissimum adversarium longiori disputatione vindicavimus S. Communionem jubilæi commutari non posse vigore concessionum extra jubilæum ordinarium indultarum, nempe vi rescripti S. C. Indulg. diei 20 Nov. 1854, in favorem eorum *qui actum heroicum charitatis emiserunt* (2), nec vi indulti S. C. Indulg. 18 Sept. 1862 et decreti S. Pœnit. 10 Maii 1886, in gratiam infirmorum qui « ob physicum permanens aliquod impedimentum » *non possunt adire ecclesiam* (3); et hoc ultimum expresse confirmatum fuit responso S. Pœnit. 28 Mart. 1900 (4). Eadem prohibitio indubie æque valet pro præsenti extensione jubilæi anni elapsi.

Nihilominus probabile censemus mentem Romani Pontificis, qui tam benigne agit erga pueros, non esse ut a gratia jubilæi prorsus repellantur illi miseri ægroti qui ob morbum *nec in ecclesia nec domi* communicare

---

(1) Bened. XIV; const. *Convocatis* § 48 cit. *Collat. Brug.* V, p. 211.

(2) *Collat. Brug.* V, p. 338. Contra Un Père Rédemptoriste, *Le jubilé* Montréal, 1900, p. 85.

(3) Ibid. pp. 210-212; 332-339.

(4) Ibid. p. 443.

valent (1). Quare nobis saltem laudandus videtur confessarius qui hujusmodi ægrotantes ad jubilæum acquirendum hortaretur eisque non tantum visitationes sed et ipsam communionem in alia pia opera commutaret.

Tandem, ut eruitur ex responso S. Pœnit. diei 28 Martii 1900, ad II, « in articulo mortis constitutus unica confessione et communione potest simul et satisfacere præcepto recipiendi hæc sacramenta in fine vitæ et lucrari jubilæum » (2).

III. Quod **ecclesiarum visitationes** spectat, triplex distinguitur mitigatio.

A. *Navigantes et iter facientes* qui post elapsos sex menses dictos ad sua domicilia, aut aliò ad certam stationem se receperint, lucrari possunt indulgentiam jubilæi ejusque privilegiis frui, dummodo rite confessi sacraque communione refecti visitent non sexaginta (3) sed quindecim vicibus ecclesiam cathedralem in civitate episcopali, vel majorem ceteris in locis ubi plures dantur ecclesiæ, vel parochialem ubi hæc sola reperitur. Visitationes tamen illæ instituendæ sunt quindecim diebus diversis juxta totam jubilæi ordinarii et extensionis œconomiam (4). Quum hæc reductio visitationum concedatur immediate a Summo Pontifice, fideles in casu non debent recurrere ad Ordinarium vel ad confessarium.

Itinerantes vero qui, infra sex menses pro jubilæo

---

(1) Ibid. p. 445. Oppositum opinantur *Nouv. R. Théol.* 1900, p. 336, Un Père Rédemptoriste *op. cit.* p 85, et P. Bastien *Tractatus de jubilæo*, p. 91, qui tamen minus clare distinguit inter hunc casum et præcedentem, et minus ad rem adducit hanc rationem scilicet, non valere opinionem probabilem ad lucrandam jubilæi indulgentiam. Nam probabili commutandi potestate licite uti potest confessarius et, ut supponitur, absque communionis commutatione indulgentia jubilæi nulla via acquiri posset, dum e contrario eam certe acquireret si nos recte interpretati simus mentem Pontificis. Exoptandum tamen foret ut, proposito dubio, res expresse declararetur.

(2) Cf. *Collat. Brug.* V, 446.

(3) S. Pœn. 1875 ad II, ap. *N. R. Th.* VII, p. 466.

(4) Leonis XIII const. *Temporis* § Quapropter; Bened. XIV Const. *Benedictus Deus* § 3.

statutos, interdum pauco tempore domum redeunt, hoc privilegio non fruuntur: sed hæc ipsa absentia diuturna posset esse ratio ut confessarius eos habeat ut impeditos et visitationes partim vel integre commutet in alia bona opera.

B. In gratiam eorum qui *impediuntur quominus designatas ecclesias visitent*, possunt visitationes commutari ab Episcopo ejusve delegato vel a confessario. Inter impeditos enumerantur in bulla *Temporis* fere eædem personæ quæ anno elapso in const. *Æterni Pastoris,* et de quibus egimus *Coll. Brug.* V, p. 129 ss. Inter illas autem duplicem distinguere licet speciem.

1/ Pro aliis enim *ipsa earum conditio, natura nempe et dignitas vitæ religiosæ et communis* per se sola a Romano Pontifice habetur pro impedimento sufficienti per se stante (1).

a/ Inter viros, tales sunt soli anachoretæ et eremitæ; nullatenus autem ceteri religiosi, qui hac in re nullo gaudent privilegio speciali et easdem debent visitare ecclesias quæ in loco designantur pro fidelibus sæcularibus (2).

b/ Inter feminas hoc loco veniunt omnes moniales et religiosæ, latissimo sensu, necnon aliæ puellæ ac mulieres in claustris monasteriorum aut in aliis religiosis aut piis domibus aut communitatibus vitam communem degentes, prout exposuimus tomo V, p. 129 et 285.

Hi omnes et singuli censentur impediti in ordine ad visitationes ordinarias instituendas. Ergo visitationes dispensando commutari possunt pro his omnibus, non exceptis illis qui de facto facillime possent statas ecclesias visitare, puta v. g. puellas educandas quæ longo feriarum tempore fruuntur (3). Applicari debent jubilæi extensioni eadem principia quæ anno elapso ex bullæ

(1) *Coll. Brug.* V, p. 212 s. et 328 ss.
(2) Cf. S. Pœn. 1875 op. *N. R. Th.* VII, p. 470, ad III et IV.
(3) Cf. *Coll. Brug.* V, p. 212; 327 ss; 446.

Æterni Pastoris terminis deduximus, quæque responso S. Pœnit. de die 9 Junii 1900 (*Coll. Brug.* t. V, p. 446) approbata fuerunt; quibus non tantum non contrariatur sed favet præsens bulla *Temporis*. Facillima igitur via potest ipse Episcopus universali regula statuere quænam alia opera supererogatoria ab eis visitationum loco præstari debebunt.

2/ Alii e contra pro impeditis in tantum habentur *in quantum de facto singuli personaliter aliquo impedimento sufficienti detinentur* quominus statas visitationes peragant.

Inter illos recensentur a/ qui in carcere aut captivitate existunt aut degunt in domibus refugii aut correctionis (maisons de refuge, écoles de bienfaisance, dépôts de mendicité);

b/ qui ægritudine, convalescentia, debili valetudine aut senio censentur rationabili judicio nullatenus aut nonnisi ægre posse adire ecclesias designatas intra tempus statutum;

c/ qui alio quodam legitimo detinentur impedimento, de quo omnibus perpensis judicabit episcopus vel confessarius. Ita v. g. longa absentia, nimis continua opera seu negotia, etiam (quod rarius apud nos eveniet) ipsa distantia et difficilior ad ecclesias accessus poterunt esse causæ sufficientes ut confessarius commutandi facultate utatur.

Hanc facultatem non simpliciter dispensandi, nec mere commutandi, sed *dispensandi commutando* possunt Ordinarii locorum exercere sive per se ipsos, sive per regulares Prælatos erga ipsorum subditos, sive per confessarios, etiam extra sacramentalem confessionem. Confessarius tamen, etiamsi extra confessionem dispenset, hoc non potest nisi « erga proprios pœnitentes » (S. Pœn. 21 Jul. 1900).

C. Iis qui *processionaliter visitationes instituunt* possunt Ordinarii locorum easdem visitationes ad minorem reducere numerum. De quo privilegio tria quærimus:

1°/ quomodo 2°/ a quibusnam et 3°/ ad quemnam minorationis effectum instituendæ sint processiones.

1° Quomodo peragi debent visitationes collectivæ?

Requiritur ut, quantum fieri potest, instituantur tanquam veræ processiones et supplicationes « more solito » (1) h. e. a clero in habitu liturgico, præcedente cruce cum cereis, et gregatim comitante populo christiano.

« Sed si quid obstet, ipsum Episcopum permittere posse in sua diœcesi eas fieri meliori modo quo potest, etiam per distinctas turmas, quæ... conveniant in ecclesias designatas ibique in commune preces... effundant » concessit S. Pœnit. eadem die 25 Jun. 1875.

Pro præsenti jubilæo « SS^mus^ attentis præsentium temporum adjunctis ex speciali gratia benigne indulget ut *in locis in quibus processiones non permittuntur* » processionibus æquiparentur « coadunationes corporum moralium et aliorum fidelium qui in designatis ecclesiis hora præstituta, sub proprii moderatoris et respective proprii Parochi vel alterius Sacerdotis ab eo deputati ductu, colliguntur ut ibidem una simul visitationes peragant » (S. Pœn. 25 Jan. 1901, suprà p. 213). Ut patet, hæc in nostra diœcesi applicari nequeunt.

Juxta declarationem S. Pœnit. anni 1875 (2) tanquam jubilares haberi nequeunt processiones Rogationum; idem dicendum videtur de processionibus in festo S. Marci et aliàs ab Ecclesia præscriptis. Nihil tamen obstat quin talis processio valeat pro una individua visitatione, quando ecclesias designatas adit.

Processiones intrare debent in designatas « statutas ecclesias », nec adire possent v. g. oratorium publicum quod pro individuis visitationibus non est designatum.

Præterea quum adiri debeant ecclesiæ « processio-

---

(1) S. Pœn. 25 Jun. 1875, ap. Th. Arizzoli *o. c.* nota 21.

(2) Th. Arizzoli *op. cit.*, nota 12.

naliter », plures non adeo immerito dubitant, utrum pro visitatione processionali haberi possit primus ingressus in eam ecclesiam ad quam conveniunt fideles: accedunt enim individue et non ad modum processionis. Ideo consultius foret ut clerus et populus egrediantur ex ecclesia ad quam possunt statim processionaliter intrare ut pro prima visitatione preces præscriptas in commune peragant; nisi processio ad hanc ecclesiam post alias visitatas redeat.

Si processio fiat pluries successive ad eamdem ecclesiam, vix *processionales* dici possent visitationes quæ tantum distinguerentur per egressum et continuum regressum, ut licite fieri solet pro individuis visitationibus: major enim locomotio ad processionis naturam requiri videtur. Melius igitur esset ut saltem v. g. circa ecclesiam vel et cœmeterium via publica procederetur.

Licet processionaliter debeant fieri quatuor ecclesiæ vel ecclesiarum visitationes in una die civili vel ecclesiastica (v. supra p. 269), non debent tamen institui uno tractu, sed possent v. g. duæ fieri mane post missam et duæ post laudes vespertinas. Practice tamen minime hoc est suadendum: nam multi fideles in hoc casu interessent uni tantum ex processionibus hujus diei, matutinæ *vel* vespertinæ: debita igitur processionalis visitatio non esset completa et proinde nullatenus valere posset ipsis ad obtinendum reductionem numeri visitationum.

Si tanto numero fideles sequantur ut ægre omnes ecclesiam ipsam ingredi queant, nihilominus « fideles in processionibus extra januas Ecclesiæ aut oratorii ob illius angustiam remanentes et cum aliis orantes, unum corpus moraliter efformare ac proinde visitationi pro lucrando jubilæo satisfacere » declaravit S. Pœn. die 11 Jun. 1875 (1).

---

(1) Th. Arizzoli *o. c.*, p. 27.

2° *Quibusnam licet instituere processiones jubilares?*

Hoc conceditur: a/ « Capitulis, Congregationibus tam sæcularium quam regularium, Sodalitatibus, Confraternitatibus, Universitatibus seu Collegiis quibuscumque ». Hac verborum generalitate veniunt quæcumque piæ associationes, etiamsi laicæ sint quoad formam, puta conferentias a S. Vincentio a Paulo nuncupatas. Hoc in specie declaratum est a S. Pœn. die 9 April. 1879, quoad societatem *Juventutis Catholicæ* et alumnos scholarum ejusdem societatis (1); et die 20 April. 1826 quoad discipulos qui cum magistris, ac puellas quæ cum piis sororibus seu monialibus processionem componunt, « dummodo revera in discipulorum alumnarumve numero habeantur » (2).

b/ « Christifidelibus cum proprio parocho aut alio sacerdote ab eo deputato statutas ecclesias processionaliter visitantibus ».

Dum in processionibus præfatorum corporum moralium non requiritur præsentia parochi nec, ut videtur alicujus sacerdotis, heic e contrario expressis terminis præscribitur præsentia *proprii* parochi vel sacerdotis ab eo deputati, ita ut, juxta declarationem S. Pœn. de die 29 Jul. 1826, si plures paræciæ processionem simul componant, christifideles quorum parochus absit, frui nequeant privilegio minorationis (3).

c/ Quid censendum de illis fidelibus qui comitantur processionem alicujus ex præfatis corporibus moralibus, quin tamen ad ipsum corpus pertineant qua sodales vel qua subditi (v. g. capituli)?

Pro jubilæo anni 1826 pluries declaravit S. Pœnit. neminem in casu frui posse privilegio minorationis « nisi ad sodalitium vel ad universitatem, quæ in sup-

(1) Ibid. p. 18.
(2) Ibid. p. 18.
(3) Ibid. p. 27 nota 23.

plicationem incedit, legitime pertineat » S. Pœn. 19 Apr. 1826. Cf. 20 Apr. 1826 et 26 Maii 1826 (1).

Quum in bullis 1826 et 1875 privilegium processionum unice concederetur « capitulis, congregationibus, etc. », anno 1875 duplex datum fuit a S. Pœn. responsum, de fidelibus qui non pertinent ad aliquam congregationem. Primo, 16 Feb. 1875 privilegium extensione concessum fuit « *christifidelibus cum proprio Parocho*... visitantibus » (2), quam formulam insertam invenimus in bulla *Temporis*. Eodem anno sed posteriori tempore responsum est verbis multo latioribus : « S. Pœnitentiaria, consideratis expositis, de speciali et expressa Apostolica auctoritate, respondet : *Fidelibus cum capitulis*, confraternitatibus, congregationibus, etc., SEU *cum proprio parocho* aut alio sacerdote ab eo deputato, ecclesias, pro lucrando Jubilæo, processionaliter visitantibus applicari posse ab Ordinariis indultum in Litteris apostolicis eisdem congregationibus concessum » (3). Nonnulli auctores (4) censent hanc latiorem concessionem valere etiam pro jubilæo nostro, quod non improbabile videtur. Advertatur tamen hanc concessionem anno 1875 « de speciali et expressa Apostolica auctoritate » factam in præsenti bulla *Temporis* non inseri quum non dicatur « *christifidelibus* qui cum capitulis... *seu* proprio parocho » sed « capitulis, congregationibus... *necnon christifidelibus cum proprio parocho*... visitantibus ». Quare, quamdiu aliter non declaraverit S. Sedes, tutius censemus ut fideles congregationibus extranei, his se non jungant sed processionem parœcialem sequantur.

---

(1) Ibid. nota 22.

(2) *Nouv. R. Th.* VII, p. 171.

(3) Ibid. p. 235. Minus sibi constare videtur R. P. P. BASTIEN, *de Jubilæo* p. 72, quando commemoratæ generaliori huic formulæ subjungit tamen personas alicui congregationi aut confraternitati non aggregatas non posse frui privilegio minorationis si processioni confraternitatis interfuerint.

(4) J. BESSON S. J. *Rev. Théol. Franç.* 1901, p. 39 note 1 ; DOLHAGARAY ap. *Rev. des sciences ecclés.*, 1901, p. 142.

3° Quodnam est privilegium processionalibus visitationibus adnexum?

In gratiam eorum qui præfatis processionibus intersunt, possunt Ordinarii statutas quindecim visitationum series ad minorem numerum reducere, ita ut v. g. tres vel quatuor processiones (singulæ quatuor visitationum) sufficiant pro omnibus visitationibus præscriptis.

Non determinatur in documentis pontificiis ad quemnam processionum numerum minorari possint visitationes: sed ex responso Leonis XII 18 Aug. 1826 erui potest non expedire ut reducantur ad minus quam tres (1). Verum nihil obstat quominus parochi plures, quam præscripserit Episcopus, processiones instituant, ut commodior suppeditetur facultas fidelibus omnes visitationes processionaliter peragendi (2).

Quæritur tandem an et quousque minorationis privilegio gaudeant fideles qui aliquibus sed non omnibus processionibus requisitis intersunt.

Episcopus reducens numerum visitationum in favorem illorum qui eas processionaliter instituunt, vel explicite denunciat unamquamque processionem æquivalere determinato numero serierum visitationum, vel saltem implicite hoc indicat, determinando integrum processionum numerum æquivalentem integro numero visitationum. Jamvero, juxta declarationes S. Pœnit. 19 April. 1826 et 24 Maii 1826, ei qui aliquibus non vero omnibus processionibus interfuerit, reducitur visitationum numerus pro rata processionum quas instituerit. Sufficit ergo ut superaddat tot visitationes individuas quot adhuc supersunt ad complendam summam 15 quaternarum visitationum. Si v. g. tres præscribantur processiones, quælibet æquiparatur 5 diebus visitationum; unde ille qui uni tantum supplicationi inter-

(1) Arizzoli, nota 14.
(2) Ibid. p. 27.

fuerit debebit adhuc individue instituere 40 visitationes in 10 dies distributas; qui duas processiones instituerit debebit tantum per 5 dies quatuor visitationes singulis istis diebus instituere.

Notatu dignum est in præfatis S. Pœn. declarationibus nomine « visitationum » (1) intelligi non singulares unius ecclesiæ visitationes sed series quaternarum visitationum: unde confirmatur quod supra monuimus, nihil proficere visitationes quæ non fiunt quater in eadem die. Unde sequitur, ut nobis videtur, conclusio practica pro iis diœcesibus in quibus Episcopus præscribit quatuor visitationes processionales: quælibet supplicatio ibi æquivalet 15 visitationibus singularibus, hoc est 3 visitationum diebus et insuper 3 visitationibus singularibus. Sed hæ tres ultimæ non valent pro die integro, et ideo deberent supperaddi 12 dies visitationum, hoc est non 45 sed 48 visitationes singulares. Item qui duabus processionibus interfuerit debebit per 8 dies quatuor visitationes instituere. Illud incommodum vitatur omnino ubi Episcopus denunciat non duas vel quatuor sed tres vel quinque processiones.

IV. Utrum **preces** commutari possint non una est auctorum sententia (2) Benedictus XIV Const. *Inter præteritos*, § 53, statuit :

« Hujusmodi auctoritas [commutandi] tum quo ad Romanos, tum quo ad advenas, ad visitationes Basilicarum restringitur, ac proinde ad alia opera injuncta nec potest nec debet extendi ; exempli gratia ad Confessionem, ad Communionem, *aut etiam ad preces, quæ a Basilicarum visitatione separari possunt* ».

In contrarium adducitur pro jubilæo 1875 responsum S. Pœnit. quo licet preces simul cum visitationibus ad minorem numerum reducere.

---

(1) Vide textum prioris responsi ap. Arizzoli *o. c.* p. 28 et alterius ap. *N. R. Th.* VII, p. 168 ; cf etiam decretum S. Pœn. citandum p. seq.

(2) Cf. Arizzoli *op. cit.* p. 25 ; Constitutiones... super jubilæo, 1900, p. 16; J. Besson S. J. ap. *Revue théol. franç.*, 1901, p. 47, ss.; *Acta S. Sedis*, VIII, p. 360, nota.

An fideles, qui juxta Ordinarii dispositionem quinque tantum peragunt visitationes processionaliter ad Ecclesias, teneantur pro aliis decem visitationibus ab Ordinario remissis præscriptas a Romano Pontifice recitare *preces?*

Respondetur: *Standum esse terminis reductionis ab Episcopo vigore Litterarum apostolicarum concessæ* (1).

Hæc tamen conciliari possunt. Textus enim Benedicti XIV agit de facultate confessariorum Urbis commutandi visitationes cum personis *impeditis*. Declaratio vero S. Pœn. spectat *reductionem* numeri visitationum ab Episcopo factam in gratiam *processionaliter visitantium*.

Quibus perpensis censemus:

1/ Itinerantes et navigantes, quibus ipse Romanus Pontifex reducit visitationes ad 15 singulares, certe non tenentur recitare preces pro 45 visitationibus remissis.

2/ Qui processionaliter incedunt non debent preces fundere pro visitationibus remissis, nisi aliter Episcopus statuerit.

3/ Pro impeditis saltem tutius haberemus ut Episcopus vel confessarius non dispensaret super precibus, nisi in quantum morbus impediret quominus injunctæ preces recitentur. Hanc restrictionem deducimus ex sequenti capite V et natura motivi propter quod conceditur commutatio.

V. Si quis inchoatis, jubilæi consequendi animo, operibus injunctis, v. g. una visitatione instituta, impediatur *morbo* numerum præfinitum visitationum complere, ipse jubilæum acquirere potest sola confessione et communione. Piæ promptæque illius voluntati benigne favere cupiens, Romanus Pontifex hunc ægrotantem, absque interventu confessarii, eximit a ceteris visitationibus et precibus.

C. C.

---

(1) *Nouv. R. Th.*, VII, p. 339.

De Privilegiis Jubilæi

(Sequitur. — Cfr. suprà, pag. 271).

§ 3. *De Facultate dispensandi super Irregularitate.*

I/ *Sola* irregularitas (1) super qua, positis ponendis, dispensare valet confessarius jubilaris, est illa quæ contrahitur **ob violationem censurarum.**

Explicatur. Irregularitas ob violationem censurarum incurritur a clerico qui, censura ligatus, scienter et temere exercet actum proprium ordinis sibi prohibitum, aut celebrat in loco interdicto.

Dicitur 1°/ « *censura ligatus* », nempe excommunicatione vel suspensione vel interdicto personali, idque etiam, juxta De Brabandere-Van Coillie, *Jus Canonicum,* II, n. 1403, contra alios, « quando agitur de censura quæ per modum pœnæ vindicativæ potius quam per modum veræ censuræ infligitur (2) ». Cf. in diversum sensum Loiseaux, *Traité du Jubilé*, p. 437 et seq., et Hilarium a Sexten, *Tractatus de Censuris Eccles.*, p. 303.

2°/ « *scienter et temere* », adeo ut irregularis non sit qui ignorantia (3) laborabat, vel excusabatur ratione necessitatis aut scandali vitandi aut infamiæ.

3°/ « *actum Ordinis* exercet ». « Unde irregularis non est a/ qui exercet actum *jurisdictionis* absque exercitio Ordinis, v. gr. dispensando in votis, assistendo matrimonio, etc.; b/ qui censura ligatus *suscipit* Ordinem, etiamsi in suscipiendo Ordine ipsum Ordinem

(1) Naturam irregularitatis ejusque varias species enucleatas invenies apud De Brabandere-Van Coillie, *Jus. Can.*, n. 1492 et seq.; vel apud Hilarium a Sexten, *Tractat. de Censuris ecclesiast.*, p. 275 et seq.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, III, p. 626.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, IV, p. 36 et seq.

exerceat, v. gr. presbyter celebrans cum Episcopo ordinante ». De Brabandere-Van Coillie, op. cit., n. 1508

4°/ « exercet actum *proprium* Ordinis », « eo, scil. modo quo a solis ordinatis licite exercetur. Unde irregularis non est qui privatim Baptismum confert, clericus non diaconus cantans Evangelium sine stola vel clericus non subdiaconus cantans Epistolam sine manipulo ». (1) Ibidem.

5°/ « *sibi prohibitum* », quia potest fieri, puta in suspensione partiali, (2) unum actum Ordinis licere, alium non.

6°/ « Aut celebrat in loco interdicto », sic violando interdictum, uti vocant, locale. Cf. *Jus. Canon.*, l. c.

II. **Conditio,** ad hoc ut, in vim Jubilæi, super irregularitate valeat dispensari, postulatur *duplex*. Nimirum debet esse irregularitas

1°/ *Occulta*, pro cujus conditionis interpretatione remittimus ad *Collat.*, V, p. 416 et seq., quo loco notio latius discutitur.

2°/ *Ad forum ecclesiasticum non deducta nec facile deducenda.* Porro ad forum ecclesiasticum deductum censetur delictum, juxta Smalzgrueber, *Jus ecclesiast. univers.*, in l. V, Decr., tit. XXXVIII, n. 116, quando delatum est Judici, puta Episcopo, et simul delatio parti est intimata; reputatur autem ad dictum forum facile deducendum, quando hujusmodi personis est notum, quæ, ratione muneris vel aliunde, meritò prævidentur reum esse denuntiaturæ.

Nota. 1°/ Dispensatione, vi præsentium elargita,

---

(1) Confessarii qui censent, cum Loiseaux, *Traité du Jubilé*, p. 441-444, irregularitatem contrahi ex exercitio ob censuram illicito *Ordinum minorum*, tanquam *ex officio*, possent, quod vix erit practicum, super præfata irregularitate, vi Jubilæi, dispensare cum clerico in Ordinibus minoribus constituto, licet in tenore præsentis Bullæ soli memorentur sacerdotes et in sacris Ordinibus constituti. Cf. Benedictum XIV, *Inter præteritos*, § 50

(2) Cf. De Brabandere-Van Coillie, op. cit , n. 1426.

habiles redduntur pœnitentes non tantum ad legitimum exercitium Ordinum susceptorum, sed etiam ad superiorum Ordinum assecutionem, uti expresse providetur in ipso tenore (1).

2°/ Quemadmodum ratiocinatur Bened. XIV, in Constit. *Inter præteritos,* § 50, ex ipsa restrictione inducta per vocem *dumtaxat*, « alia omnis irregularitas sive ex delicto, sive ex defectu, excluditur ». Quæ consequentia instanter inculcatur a Leone XIII, in Bulla extensionis, § X, ubi monet se nolle « per præsentes litteras super aliqua alia irregularitate vel publica vel occulta, seu defectu aut nota, aliaque incapacitate, aut inhabilitate quoquo modo contractis dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super præmissis dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiæ ». (2)

3°/ *Formula* opportune usurpanda, post præviam absolutionem a peccatis, exhibetur in Rit. Rom., tit. III, cap. 1°/: « Et eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate (vel irregularitatibus, si sint plures), in quam (vel in quas) ob talem causam... incurristi: et habilem reddo et restituto te executioni Ordinum et officiorum tuorum, in nomine Patris... ».

§ 4. *De Facultate Commutandi vota.*

I. Natura facultatis.

Ex tenore Bullæ et authentica interpretatione (3)

(1) Subdit Arizzoli, *Constitutiones Leonis XIII super Jubilæo 1900*, p. 38: « In danda dispensatione super aliqua irregularitate sive ad ordines suscipiendos, sive ad ministrandum in susceptis, monendus est dispensatus, quod per hoc non dispensatur ad beneficia obtinenda si sit sæcularis, sive ad dignitates, si sit regularis, nisi eodem tempore etiam dispensetur ad eadem; quia dispensatus ad Ordines non censetur dispensatus ad beneficia ». Juxta P. Syrum.

(2) Quid veniat nomine *defectus, notæ, inhabilitatis*, et quibusnam delictis respective contrahantur, exponitur apud Theodorum a Spir, S°, *De Jubilæo,* cap. X, et etiam apud De Brabandere-Van Coillie, op. cit., II, sect. 3ia, passim.

(3) Ad quæstionem: « Aliis in Jubilæis concedi solet facultas commu-

constat, confessario ad effectum Jubilæi electo, non aliam concedi facultatem quam vota in alia pia et salutaria opera *simpliciter commutandi.*

Porro simplex commutatio est *substitutio* alterius operis *moraliter æqualis* (1) in locum operis a vovente promissi; qua ratione distinguitur facultas mere commutandi a facultate in votis dispensandi eave dispensando commutandi: nimirum, ubi dispensatur, absque compensatione vel novi operis substitutione aufertur obligatio ex voto contracta; ubi autem quis dispensando commutat, potest mutare opus promissum in aliud opus *minus*, partim commutando partim dispensando (2). Cf. *Collat.*, VI, p. 286.

Æqualitas igitur est servanda in commutatione virtute Jubilæi facienda a confessario, licet non sit urgenda æqualitas mathematica sed moralis dumtaxat, relicta aliqua latitudine, quæ, uti monet Theodorus a Spir. S°, op. cit., Cap. XI, § I, n. 7, est necessaria in hujusmodi rebus, cum secus continuis scrupulis et anxietatibus præberetur ansa. Cæteroquin inter *Monita*, § XXVI, dicitur simplicem commutationem exigere subrogationem materiæ *fere æqualis.*

II. **Extensio facultatis.**

Salvis exceptionibus mox referendis, confessarius jubilaris potest *omnia vota* commutare, etiam Sedi Apostolicæ reservata, vel jurata seu juramento confirmata. Ita commutandi facultati subsunt vota perigri-

---

tandi vota *dispensando;* in præsenti vero conceditur tantum facultas ea commutandi; intelligine potest etiam in hoc casu concessam fuisse facultatem vota *commutandi dispensando?* » respondit S. Pœnitent., 10 Feb. 1875: « negative ». Jamvero tenor nostræ Bullæ est idem ac anno 1875.

(1) Ad commutandum vota *in melius* non est opus speciali facultate, uti notat Dignant, *De Virtute Religionis,* n. 203, attenta restrictione ibidem facta circa vota reservata.

(2) Pro facultatibus quibus circa vota gaudebant confessarii extra Urbem, durante Anno Sancto, a personis privilegiatis electi, cf. *Collat. Brug.*, V, p. 184 et seq.

nationis Jerosolymitanæ, Romanæ et Compostellanæ, respective ad sepulcrum Domini, ad limina Apostolorum et ad basilicam S. Jacobi Majoris.

Excipiuntur.

A/ **Votum Castitatis**, etiam simplex et privatim emissum. Intelligitur votum castitatis, quale reservatur S. Pontifici, votum scil. *certum* (1) ac *perfectum* tum ex parte materiæ, tum ex parte actus vovendi. Nimirum, ad hoc ut confessarius jubilaris illud commutare non valeat, debet esse

1°/ *perfectum ex parte materiæ*, adeo ut sit votum castitatis *perpetuæ* simul et *completæ*, sese extendens scil. ad integram materiam castitatis, adeoque excludens omnem delectationem veneream, sive licitam sive illicitam. Unde a facultate non excipitur votum castitatis ad tempus servandæ, nec votum non nubendi, servandi virginitatem naturalem seu carnis integritatem (2), nec etiam votum recipiendi Ordines sacros, licet eis votum castitatis adnectatur, quia castitas non est *directum* voti objectum sed accessorium dumtaxat. Cf. Theodorum a Spir. S°, op. cit., Cap. XI, § II, n. 17, et Loiseaux, op. cit., p. 488, ubi ulteriores fiunt applicationes ejusdem principii.

2°/ *perfectum ex parte actus*. Hoc autem titulo requiritur ut votum fuerit

a/ emissum *sub gravi* et non sub levi tantum;

b/ cum *perfecta libertate*, seposito omni metu, etiam levi, ab alio incusso;

c/ cum perfecta *discretione*, ac proinde *a pubere*, juxta plures AA., citatos apud Loiseaux, op. cit., p. 485-488,

---

(1) Dicitur *certum*, excluso nempe dubio tum facti tum juris.

(2) Hæc igitur vota partialia castitatis possunt in vim Jubilæi commutari, aliaque similia, passim tamen exceptis, uti par est, illis quæ includunt promissionem non peccandi contra castitatem, uti esset votum non mæchandi, non adulterandi, cum eorum commutatio, relaxato freno, occasionem præberet liberius peccandi. Cf. Theod. a Spir. S°, l. c., § II, n. 17-20; Loiseaux, op. cit., p. 503-506.

adeo ut probabiliter, adeoque practice tutò, posset, vi Jubilæi, commutari votum ab impubere factum;

d/ *determinatum*, et ideo posset confessarius, virtute Jubilæi, commutare votum *disjunctivum,* scil.: vel de castitate servanda vel de alia materia in facultatibus non excepta, puta votum aut servandi castitatem aut jejunandi; quod valet etiam postquam altera pars non reservata evasit impossibilis, imo, saltem probabiliter, postquam electa fuit materia castitatis præ altera, nisi tamen, ex peculiaribus adjunctis, hæc electio æquivaleret novo voto. Cf., in diversum sensum, Theod. a Spir. S°, l. c., cap. XI, § II, n. 13; Ferraris, *Prompta Bibliotheca*, V° *Jubilæum,* art. 2, n. 42-43; S. Alph., l. III, n. 224 et 258; Loiseaux, l. c. p. 480 et seq.; Dignant, op. cit., n. 197; Bouquillon, *Le Jubilé de 1886*, p. 22;

e/ *absolutum:* ex quo sequitur jurisdictioni confessarii non subtrahi votum castitatis *vere conditionale*, factum nempe sub conditione *suspensiva* (1): quæ conclusio indubia est *ante* conditionis impletionem, nec improbabiliter sustinetur, etiam *post* conditionis purificationem, a pluribus et gravibus Auctoribus adductis apud Loiseaux, op. cit., p. 492, et apud S. Alph., l. c., n. 261, ubi hanc sententiam valde probabiliorem vocat. Consentiunt etiam Bouquillon et Dignant ll. cc.

Excipe casum quo vovens votum suum, purificata conditione, ratihabuerit. Ita, uti docent Salmanticenses, *Cursus theol. mor.*, tract. XVII, cap. III, n. 112, si votum castitatis aut religionis emisisti sub conditione ut a periculo vel infirmitate incolumis evaderes, si liber a periculo vel infirmitate, in votum antea factum consenseris, illudve ratificaveris, procul dubio hoc secun-

(1) Dicitur « conditio *suspensiva* »; et ita non sufficeret ut « conditio apponatur animo suspendendi non obligationem sed executionem voti; v. gr. voveo ingredi religionem si vigesimum annum attigero ». S. Alph., l. III, n° 261. Item non verificatur si est conditio de præteritô, de præsenti vel de futuro necessario.

dum votum erit reservatum: quia tunc est novum factum non conditionatum, sed absolutum et perfectum, quod neque in suo principio fuit imperfectum, sed semper perfecte et absolute emissum (1).

B/ **Votum Religionis**, rursùs prouti est jure communi R. Pontifici reservatum, votum nempe ingrediendi Religionem (2), eamque stricte dictam, seu vota habentem solemnia; ita ut in concessione Jubilæi non excipiatur votum intrandi congregationem votorum simplicium, nisi ejusmodi sit congregatio in qua vota simplicia profitentes ex speciali privilegio Apostolico qua veri et proprie dicti religiosi sint habendi, uti contingit pro scholasticis Societatis Jesu.

Ulterius, ad hoc ut censeatur votum facultatem confessarii excedere, postulatur ut fuerit certum et perfectum ratione materiæ et ratione actus, juxta dicta sub A/.

Cæterùm, quando contingit votum debitis vestiri conditionibus ut maneat R. Pontifici reservatum et jurisdictioni confessarii subductum, si nihil valet confessarius in ipsam voti substantiam, potest nihilominus commutare *circumstantias voti*, puta circumstantiam temporis quo votum est executioni mandandum, vel amplectendi religionem majoris aut minoris austeritatis.

C/ **Vota obligatoria** erga tertium. Sunt vota in quibus non tantum facta est promissio Deo quæ cedit in commodum tertii, sed in quibus facta est promissio simul

---

(1) Nullo titulo potest confessarius Jubilæi commutare votum castitatis in illis casibus urgentioribus, in quibus Episcopus in illis dispensare valet ex potestate quasi-ordinaria.

(2) Juxta Loiseaux, op. cit., p 507; Bouquillon, *Le Jubilé de 1886*, p. 22; *Revue des Sciences Ecclesiastiques*, 1901, p, 209, votum religionis hic reservatum, etiam comprehendit tria vota quibus substantialiter constat status religiosus, necnon peculiaria vota variis in ordinibus triplici voto essentiali superaddita. Cæterum hæc vota aliunde jam excipiuntur, uti infrà dicetur, utpote obligatoria erga tertium, quacumque in congregatione fuerint emissa, sive qua solemnia sive qua simplicia. Cf. *Collat. Brug.*, V, p. 185-186.

Deo et homini; quæ altera promissio inducit obligationem fidelitatis vel justitiæ erga illum in cujus favorem votum est emissum, quæ obligatio subsistit donec juri suo renuntiaverit tertia persona.

Hujusmodi vota a tertio acceptata, seu in quibus agitur de damno tertii, non possunt a confessario jubilari commutari, etiam, uti videtur, quando principaliter sunt facta in honorem Dei et secundarie tantum in commodum tertii, quia ex hisce etiam votis, postquam a tertia persona sunt acceptata, jus est acquisitum dictæ personæ, adeoque sunt obligatoria in sensu intento, ac in ejus præjudicium cederet illorum commutatio (1).

In specie ex eo quod vota erga tertium obligatoria a facultate confessarii sunt excipienda, sequitur confessario esse abstinendum, uti jam notavimus, a commutatione voti in quavis congregatione quomodocumque publice emissi et a communitate acceptati; quod cæteroquin expresse monuit Constitutio *Quoniam*, § X, ad Pœnitentiarios Romanos pro Anno Sancto directa. Cf. Theod. a Spir. S°, op. cit., cap. XI, § II, n. 10.

D/ **Vota pœnalia**, quæ præservativa a peccato nuncupantur, quæ nimirum non sunt facta unice in punitionem et vindictam peccati sed in præservationem ab illo, quale est votum illius qui vovet jejunium si peccatum luxuriæ admiserit, eo fine ut efficacius a peccando arceatur.

Attamen sedulò nota prohibitionem hæc vota commutandi non esse *absolutam*, cum hujusmodi commutationis faciendæ facultas agnoscatur confessario iubilari quotiescumque « commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrænet, quam prior voti materia ».

---

(1) Circa quæstionem, quæ hic non agitur, utrum et qua ratione talia vota, principaliter Deo facta, *possint* ab Ecclesia dispensari et commutari, vide Dignant, op. cit., n. 195; et Bouquillon, *De Virtute Religionis*, I, n. 451 et seq.

Tandem præ oculis est habendum monitum jam laudatæ Consitutionis *Quoniam* § X: « Abstineant pariter a commutatione voti *de non ludendo* (ludo aleatorio), præsertim quoad personas ecclesiasticas, seu sæculares seu regulares: quoàd alios vero, si forte, attenta personarum conditione et circumstantiis, justa ratio pro commutatione afferatur, non aliter eam in casu concedant, quam excepto ludo aliàs quomodocumque prohibito, et iis præterea conditionibus præscriptis unde ludus ex commutatione permissus honeste fiat ».

Scholion.

Quam potestatem vindicavimus confessario jubilari in ordine ad commutanda vota, eamdem ipsi agnoscimus in ordine ad commutanda *juramenta*. Ad minus enim probabilis est sententia, cui quidem contradicit S. Alph., l. III, n. 190, sed cui aperte favent Auctores bene multi, partim citati apud Loiseaux, op. cit., p. 474, sententia, inquam, juxta quam in concessa potestate commutandi vota continetur potestas commutandi juramenta, potissimum si, quemadmodum obtinet in præsentis Bullæ tenore, expresse conceditur facultas commutandi vota *etiam jurata*.

Attamen ægre extenderemus facultatem commutandi juramenta ultra limites facultatis commutandi vota, nec adeo auderemus sequi doctissimum Loiseaux (op. cit., p. 514-517), et cum ipso agnoscere confessario, ad effectum Jubilæi electo, potestatem commutandi juramentum servandi castitatem vel ingrediendi religionem (1). Ratio non est quia juramenta illa habemus qua R. Pontifici reservata, sicuti vota circa eamdem materiam (2), sed quia facultas commutandi juramenta,

(1) Cæterum rarò, in praxi, constabit de juramento citra votum emisso. Cf. Theod. a Spir. S°, op. cit., cap. XI, § II, n. 6.

(2) Nostræ enim quæstionis solutio non pendet, uti visum est nonnullis inter quos Loiseaux, l. c., a solutione controversiæ quæ passim agitatur, utrum nempe juramenta circa materiam voti reservati sint etiam reser-

cum contineatur in facultate commutandi vota ex eaque inferatur, hujus amplitudinem excedere non potest.

III. **Usus facultatis.**

1°/ Juxta superius dicta, pp. 208-209, non est facienda votorum commutatio nisi *in actu sacramentalis confessionis tantum*.

2°/ Disputatur utrum ad simplicem commutationem requiratur *causa*, etiam tempore Jubilæi, idque ad valorem vel ad liceitatem tantùm; ast parum refert pro praxi cum certò sufficiat causa levis quæ vix unquam deerit.

3°/ Non possunt tradi regulæ certæ et absolute servandæ in votorum commutatione: quædam tamen monita ad praxim multum conferentia proponuntur apud Loiseaux, in sæpius laudato opere, p. 545-555 (1).

IV. **Effectus Commutationis.**

1°/ Commutatio absoluta, auctoritate ecclesiastica facta, extinguit obligationem circa materiam priorem, et ideo, si novum opus subrogatum evasit impossibile,

---

vata; de qua controversia consulantur S. Alph., l. III, n. 259; Bouquillon, *De Virtute Religionis*, n. 626 et Dignant, op. cit., n. 260.

(1) Signanter attende sequentia: 1°/ objectum voti ne mutes in opus aliunde obligatorium; 2°/ servari debet moralis æqualitas, uti supra vidimus, inter utrumque opus; ad quam servandam æqualitatem, uti docet Loiseaux, op. cit., p. 547, sub n. 38, « il faut, d'un coté tenir compte de l'importance de l'objet promis, considéré en lui-même, abstraction faite du lien du vœu; et, en outre, de la fin que le pénitent s'est proposé dans son vœu. D'autre part il faut moins considérer l'excellence de la vertu à laquelle appartient l'œuvre substituée à l'ancienne, que l'utilité qu'en retirera le pénitent, la difficulté qu'il aura d'accomplir la nouvelle obligation, et l'aptitude de cette obligation à lui faire obtenir la fin de son vœu ». Post quæ, exemplis illustrata, subdit idem Auctor, n. 39: « D'après cette règle... les vœux réels seront changés en obligations réelles, les vœux personnels en obligations personnelles, les vœux mixtes en obligations mixtes, les vœux perpétuels en obligations perpétuelles, et les vœux temporaires en obligations temporaires ». 3°/ Frequens receptio sacramenti Pœnitentiæ et Eucharistiæ, ubi potest imponi, aptissimum est opus quod voti objecto substituatur; et ita v. gr., si bene dispositus est pœnitens, opportune mutabit confessarius votum non nubendi in confessionem et communionem singulo mense instituendam.

etiam facto voventis, jam nulla datur obligatio redeundi ad primum voti objectum.

2°/ Inducit in vovente obligationem *ejusdem speciei* exequendi novum opus substitutum, non quidem absolutam sed *dijunctivam* tantùm, relicta nempe facultate redeundi ad priorem materiam : quæ libertas probabiliter subsistit etiam in casu quo commutatio est facta *in melius*, nisi vovens, « sibi materiam meliorem statuendo, novo voto se ad hanc unam determinate obstringat ». Dignant, op. cit., n. 207, collato Theod. a Spir. S°, op. cit., cap. XI, § II, n. 11.

3°/ Quando confessarius votum *reservatum*, puta peregrinationem Romanam, mutavit in aliam materiam, v. gr. in jejunium, ad hanc materiam non transit prioris operis reservatio; adeoque opus substitutum, nisi et ipsum de se fuerit aliunde reservatum, potest dispensari et commutari ab illo qui habet facultatem dispensandi in votis non reservatis eaque commutandi. Vi ejusdem principii, possunt confessarii jubilares commutare opera in quæ R. Pontifex commutaverit votum castitatis vel votum religionis.

Nota. Si pœnitens, in confessione ad effectum lucrandi Jubilæi instituta, neglexit commutationem postulare in votis emissis, non ideo cadunt hujusmodi vota sub potestate communis confessarii, a quo commutari possint, sicuti ab eo absolvi posse vidimus peccata censuræ vel reservationi obnoxia, et in dicta confessione bona fide omissa. In hisce enim longe dispar est ratio. Dirigitur enim absolutio a confessario impertita in omnes censuras et, saltem indirecte, in omnia peccata, quibus irretitus existit pœnitens, licet forsan clavibus non fuerint subjecta; nequaquam vero dirigitur eadem absolutio in vota commutanda, quæ cæteroquin non possent commutari nisi prævie cognita. Cf. Suarez, *De Virtute et statu Religionis*, tract. IV, l. VI, cap. XVI, n. 14.

A. D. S.

Consultationes

Dubia relate ad facultates confessariorum quoad casus reservatos.

I

Ex Tractatu de Casibus in Diœc. Brug. reservatis p. 22, constat confessarios gaudere ampliori facultate in favorem pœnitentium, qui cupiunt ad sacram mensam accedere die qua congregatio aut sodalitas, cujus sunt membra, communionem generalem instituit. Jamvero

Quæritur 1/ quanto spatio ante communionem generalem confessarii hac facultate gaudeant;

Quæritur 2/ utrum hac ampliori facultate gaudeant in favorem illorum pœnitentium, qui, quamvis communicent, tamen non participant in communione generali, sive quia communicant alio loco vel alia hora, sive quia non datur communio generalis stricte dicta, quatenus nempe multa membra sodalitatis aut non communicant, aut horam statutam præveniunt.

Respondetur.

Ad 1m. In tenore concessionis non determinatur dies a quo dicta facultate uti possit confessarius; adeoque ad hoc ut valeat a reservatis absolvere, sufficit ut pœnitentes ad ipsum accedentes intendant SS. Sacramentum suscipere « die qua congregatio aut sodalitas, cujus sunt membra, communionem generalem instituit », et in ordine ad hujusmodi communionem per sacramentalem confessionem proxime sese præparare desiderent.

Ad 2m. Non obstat usui amplioris hujus facultatis quod pœnitens non participet in communione generali, communicando alio loco vel alia hora. Facultas enim non conceditur respectu illorum tantùm qui reipsa communionem generalem instituunt, in corpore ad S. Synaxim accedendo cum reliquis sodalitatis membris; sed eorum,

« qui cupiunt ad S. Mensam accedere, die qua congregatio aut sodalitas, cujus sunt membra, communionem generalem instituit »: scilicet, ut *possint* sine incommodo, si velint, cum sodalibus ad S. Synaxim accedere. Scopus concessionis fuit ut qui communioni generali ac publicæ participare voluerint, ab ea non arceantur defectu jurisdictionis confessarii, ne forte timore notæ alicujus incurrendæ, si non cum sodalibus ad communionem accedant, periculo exponantur sacrilegæ communionis vel et confessionis non integræ.

Nec refert quod multa membra a communione abstineant aut in corpore accedere negligant, ita ut de facto communio non sit stricto sensu generalis, modò dies illa ad communionem generalem instituendam fuerit electa et qua talis membris sodalitatis aut congregationis publice proposita.

II

Ex Tractatu de Casibus Reservatis in Diœcesi Brugensi, pp. 22-23, constat confessarios uti posse facultatibus Adorationis Perpetuæ, in die præcedente Vigiliam Adorationis Perpetuæ, quoties hæc solemnitas incidit in diem qui proxime sequitur festum de præcepto.

Quæritur autem utrum verbum *de præcepto* intelligatur juxta jus commune, ita ut de præcepto sit v. gr. festum Epiphaniæ, an vero potius juxta disciplinam in diœcesi nostra vigentem.

Respondetur.

Cum agatur de interpretando statuto diœcesano, pronum est ut tenorem Libelli intelligamus juxta disciplinam in diœcesi vigentem, adeoque ut *festum de præcepto* stricto sensu accipiamus ad exclusionem festorum abrogatorum. Cæteroquin quod die, Adorationem perpetuam præcedente, festum agatur mere abrogatum, minor est locus ampliandæ facultati, cum passim vix opus sit ut, ob hujusmodi festi occurrentiam, præoccupentur confessiones.

A. D. S.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. VI, pag. 225).

§ II.

Ulterius explicatur operatio libera Dei ad extra, eam conciliando cum divina immutabilitate.

229. Sed heic oritur difficultas, quomodo liberum Dei decretum concilietur cum omnimoda Dei immutabilitate. Quomodo enim, si idem est cum divina actione divinaque essentia, liberum esse potest? Si contra, vere liberum dicatur et sit, quomodo nulla est mutatio in divina essentia, sive adsit sive non sit?

Audiamus Doctorem Seraphicum sibi objicientem, ubi de immutabilitate divina agit *in l. I Sent.*, dist. VIII, p. II, q. 1. Primo quidem: « Quodcumque de non agente fit agens, mutatur mutatione quæ est ab otio in actum: sed Deus de non creante factus est creans, ergo est mutatus. Si dicas quod Deus de non agente fit agens, non propter mutationem sui, sed propter mutationem effectus producti, sicut sol de non illuminante fit illuminans: Contra, non quia creatura est, ideo Deus creat, sed quia Deus creat, creatura fit sive producitur. Per prius est ergo Deum agere, quam creaturam fieri, ergo cum posterius non sit causa prioris, non quia creatura fit de non ente ens, Deus fit de non creante creans, sed e converso, et ita mutatio est ratione agentis, non effectus. »

Respondet S. Doctor: « Dicendum quod est agens quod est sua actio, et est agens quod non est sua actio. Agens quod non est sua actio, sic agit quod inter

ipsum et effectum cadit medium quod disponit ipsum: et tale agens numquam fit agens de non agente, quin mutetur, quia novum quid sibi advenit. Sed agens quod est sua actio agit seipso, et ideo inter ipsum et effectum non cadit aliquod medium ipsum disponens, et ideo cum de non agente fit agens, quia nihil novum sibi accidit, ideo non mutatur; tale agens Deus est. »

Item sibi objicit idem S. Bonaventura: « Deus aliquid vult, quod prius non voluit, quia ex tempore voluit creare, quod non voluit ab æterno: sed quicumque vult aliquid quod non prius voluit, mutatus est, ergo etc. Si tu dicas quod ab æterno voluit creare mundum in illo instanti, sicut ego volo audire missam cras: contra, voluntas Dei est causa rerum prima et immediata. Sed posita causa prima et immediata, ponitur effectus; ergo, si ab æterno voluit, ab æterno mundus fuit. »

Respondet autem: « Dicendum quod causa prima et immediata dicitur tripliciter: aut respectu substantiæ, aut dispositionis, aut actus. Respectu substantiæ, cum inter eam et effectum non cadit alia substantia media creans. Respectu dispositionis, cum non additur nova dispositio ad effectum producendum. Respectu actus, quando actui conjungitur. Dico ergo quod Dei voluntas fuit causa prima et immediata ab æterno respectu substantiæ et dispositionis et non respectu actus, quia actui non conjungitur voluntas, nisi pro tempore in quo vult agere, ut patet, cum dico: volo cras legere, voluntas non copulatur actui, nisi pro tempore crastino » (1).

230. Ad complementum hujus doctrinæ, oportet addere quæ habet idem S. Doctor in l. II, dist. 1, p. 1, q. 2, easdem objectiones resolvens: « Posita causa sufficienti et actuali, ponitur effectus. Sed Deus ab æterno fuit causa sufficiens et actualis ipsius mundi, ergo etc. Major propositio per se nota est. Minor

(1) Ead. dist. et p., q. vero II, cum utilitatis et jucunditatis fructu leges quæ immutabilitas sit Deo propria.

patet, scilicet quod Deus sit causa sufficiens: quia cum nullo extrinseco indigeat ad mundi creationem, sed solum potentia, sapientia et bonitate, et hæc in Deo fuerunt perfectissima ab æterno, patet quod ab æterno fuit sufficiens. Quod etiam actualis, patet. Deus enim est actus purus, et suum velle, ut dicit philosophus et sancti dicunt, est suum agere, restat ergo etc. »

Respondet autem: « Dicendum quod causa sufficiens ad aliquid est duobus modis: aut operans per naturam, aut per voluntatem et rationem. Si operans per naturam, sic statim cum est producit. Si autem operans per voluntatem, et quamvis sit sufficiens, non oportuit quod statim cum est operetur: operatur enim secundum sapientiam et discretionem, et ita considerat congruitatem. Quoniam igitur non conveniebat naturæ ipsius creaturæ æternitas, nec decebat Deum alicui hanc nobilissimam conditionem donare, ideo divina voluntas, quæ operatur secundum divinam sapientiam, produxit non ab æterno sed in tempore, quod et sicut produxit, sic et disposuit et sic voluit. Ab æterno enim voluit producere tunc quando produxit, sicut ego volo cras audire missam; et ita patet quod sufficientia non cogit. Similiter de actualitate dicendum, quod causa duobus modis potest esse in actu: aut in se, ut si dicas: sol lucet; aut in effectu, ut si dicas: sol illuminat. Primo modo Deus semper fuit in actu, quoniam ipse est actus purus, nihil habens admixtum de possibili. Alio modo non semper fuit in actu: non enim semper fuit producens. »

« Quod objicitur secundo, si de non producente factus est producens, mutatus est ab otio in actum, dicendum quod quoddam est agens cujus actio, et productio addit aliquid supra agentem, et producentem. Tale, cum de non agente fit agens, variatur aliquo modo: et in tali, ante operationem cadit otium, et in operatione additur complementum. Aliud est agens quod est sua actio, et tali nihil omnino advenit cum

producit, nec étiam in eo fit aliquid quod non prius infuit, et tale nec recipit complementum in operando, nec in non operando est otiosum: nec cum de non producente fit producens, mutatur ab otio in actum. Tale autem est Deus etiam secundum Philosophos, qui posuerunt Deum simplicissimum. Patet ergo quod stulta est eorum ratio: si enim propter otium vitandum res ab æterno produxisset, sine rebus perfectum bonum non esset, ac per hoc nec cum rebus, quia perfectissimum seipso perfectum est. Rursus si propter immutationem oporteret res ab æterno esse, nihil posset nunc de novo producere. Qualis igitur Deus esset, qui nunc nihil per se posset? Hæc omnia dementiam indicant magis quam philosophiam, vel rationem aliquam. Si tu quæras qualiter possit capi, quod Deus agat seipso, et tamen non incipiat agere, dicendum quod si hoc non possit plene capi propter imaginationem conjunctam, potest tamen necessaria ratione convinci: et si quis a sensibilibus se trahat ad intelligibilia aspicienda, aliquo modo perciperet. Si enim quis quærat, utrum Angelus possit facere lutum figuli cum non habeat manus, vel projicere lapidem: respondebitur, quod potest, quia hoc potest sola virtute suî absque organo, quod potest anima cum corpore, et membro suo. Si igitur Angelus propter suam simplicitatem et perfectionem tantum excedit hominem, ut possit facere sine organo medio illud, ad quod homo necessario indiget organo, possit etiam facere per unum quod homo potest per plura: quanto magis Deus, qui est in fine totius simplicitatis et perfectionis, absque omni medio, suæ voluntatis imperio, quæ non est aliud quam ipse, potest omnia producere, ac per hoc in producendo immutabilis permanere? Et sic potest homo manuduci ad hoc intelligendum. Hoc autem perfectius capiet, si quis ista duo potest in suo opifice contemplari, scilicet quod est perfectissimus, et simplicissimus. Quia perfectissimus, omnia quæ sunt perfectionis ei attribuuntur. Quia simplicissi-

mus nullam diversitatem in eo ponunt: ac per hoc nec ponunt ullam varietatem, nec mutabilitatem: ideo stabilis manens dat cuncta moveri » (1).

231. Quam verum est, quod et statim magis experiemur, illud quod Seraphicus Doctor advertit, a sensu et imaginatione in hisce abstrahendum esse et ascendendum ad pure intelligibilia; quod si fiat, non dicam nos plene perspecturos esse conciliationem immutabilitatis Dei cum ejusdem decretis liberis, aliquo tamen modo eam intellectam iri, sicut necessaria ratione convincitur.

Itaque breviter resumamus expositam doctrinam, hinc quidem supra sensus et imaginationem intellectum nostrum extollentes, inde vero attendentes potius ad invisibilia Dei, quæ ex revelata Trinitate agnovimus.

Igitur 1/ vel ipsa ratione constat actionem divinam esse formaliter immanentem, ipsamque Dei essentiam, actum purissimum, perfectissimum et simplicissimum intelligendi et volendi.

2/ Constat, vel ipsa ratione, Deum eodem actu intelligere et velle, cum sit suum intelligere et suum velle; ita ut virtualiter, et virtualiter tantum, distinguatur in Deo actus intelligendi et actus volendi, prout seipsum, et per se ipsum reliqua, apprehendit ut verum; vel seipsum, et ratione suiipsius reliqua, appetit seu vult ut bonum; et sic, ut n. supra 180 notavimus, scientia divina relationem necessariam habet ad creata, non autem divinum velle.

3/ Ex revelatione constat, consonante ratione fide illustrata, eumdem semper actum divinum purissimum eminenter et formaliter esse et absolutam essentiam, et tres personas, et actum ad extra. (Cf. supra nostros n. 133 et 224).

4/ Eodem videlicet modo constat eumdem illum actum, qui est divina essentia, esse infinite fœcundum ad intra, ut latius explicatum est agendo de divina Trinitate, et in specie n. 133, ubi etiam advertimus

(1) De eodem argumento lege S. Thomam, in eamdem dist. 1, q. 1, art. V; et Scotum, in eumd. loc., præsertim q. III.

quomodo infinita et simplicissima Dei perfectio fundamentum præbet distinctioni absoluti et relativorum, secundum functionem ad intra, quam virtualis distinctio præcedit et quæ realem distinctionem fundat. Præterea constat, vel ipsa ratione, eumdem actum purum, infinite fœcundum ad intra, esse etiam ad extra infinite fœcundum seu omnipotentem, attenta tamen omnimoda diversitate terminorum ad intra aut ad extra, ut modo supra exponebamus, n. 226 et 227.

5/ Constat Deum eodem semper actu, qui est ipsa divina substantia, seipsum intelligere et alia omnia; et, admoto lumine revelatæ Trinitatis, penitius intelligitur, ex perfecta unitate divinæ Trinitatis, quomodo Deus intelligit infinitam imitabilitatem suæ essentiæ (supra, n. 150); eodem lumine perspicitur eodem actu purissimo Verbum procedere per intellectionem tum essentiæ divinæ, tum divinarum personarum, tum omnis veri intelligibilis, et ita procedere cum respectu radicali ad creaturas ut supra, n. 136 et n. 154, ubi simul notavimus quomodo ex divina veritate, clarius nota per revelatam Trinitatem, intimius intelligatur omnia possibilia a Deo esse actu intellecta, et quomodo prius sit Verbum procedere quam res finitas intelligi.

232. 6/ Similiter constat eodem actu puro et Deum velle tum se tum alia: se quidem, ut exigit divina bonitas, immutabilitatis necessitate absoluta simulque liberrime libertate absoluta, ut sic; alia vero, ut convenit rebus finitis, absque ulla indigentia propria, aut exigentia aliena, ita ut idem actus, formaliter immanens ipsaque Dei substantia, sit respectu finitorum producendorum virtute transiens; idem actus, liber absolute simulque immutabilitatis necessitate immobilis, sit respectu finiti producendi virtute liber libertate electiva; imo, quia unus et immobiliter invariabilis actus, necesse est ita diversam functionem exerceat pro diversitate terminorum ad intra aut ad extra. Eodem igitur semper actu et Deus seipsum et omne amabile diligit et Spiritus sanctus procedit, ut explicatum est supra n. 180, ubi

etiam advertimus prius esse (prioritate a quo, non in quo) Verbum gigni et Spiritum sanctum procedere, quam res finitas a Deo intelligi, rursusque Verbum et Spiritum sanctum procedere, quam creaturas a Deo amari, multoque magis a Deo produci, atque adeo ut futuras seu aliquando existentes a Deo videri; quamquam hæc omnia eodem divino actu purissimo fiunt. — Cf. et num. supra 161, ubi constat quomodo ex revelata Trinitate perfectius intelligatur divina beatitudo, et inde vera notio divinæ libertatis in operando ad extra.

Quod quidem dilectionem hanc divinam attinet rerum finitarum, hæc habet S. Bonaventura: « De dilectione Dei est loqui dupliciter: videlicet secundum essentiam et secundum efficaciam, sive secundum actum essentialem et secundum effectum consequentem. Si loquimur de dilectione quantum ad essentiam sive quantum ad actum essentialem: sic, non tantum æquali dilectione diligit omnia, immo tantum uno et eodem actu simplici et indivisibili, nullo variato, nullo multiplicato, quæ quidem divina est essentia, diligit se et omnia alia. Si vero loquamur de dilectione quantum ad efficaciam sive quantum ad effectum consequentem: sic, cum effectus ab ipsa dilectione Dei procedentes sunt ordinati et sese excedentes, dicendum est quod Deus non omnes creaturas diligat æqualiter. Aliter potest dici et quasi in idem redit: quod, cum diligere idem sit quod velle bonum, æqualitas dilectionis potest attendi dupliciter: aut ex parte actus volendi, aut ex parte voliti boni. Si ex parte actus volendi, sic omnia diligit æqualiter, quia non magis intense vult Deus bonum alicui rei, quam alteri, imo ipso summo amore suo vult bonum cuicumque vult. Si autem ex parte boni voliti, sic cum magis bonum vult uni quam alteri, non est dicere quod omnia diligat æqualiter, sed quædam maxime, quædam vero minime, secundum quod vult communicare alicui parvum bonum, vel magnam, vel maximum (1). »

(1) In l. 3, dist. 32, q. 3.

His adde, ex n. supra 227, hanc Dei dilectionem, quantum ad effectum consequentem, esse omnipotentiæ ordinatæ, prælucente ratione perfecta in divino intellectu, et præordinante divina voluntate rem dilectam seu effectum in finem; sedulo attendendo, ex num. supra 226, hanc rationem operandi in divino intellectu esse summam rationabilitatem agendi non aliunde acceptam, et præordinationem esse in finem non alium quam ipsam divinam bonitatem, ita ut ex parte objectiva nihil sit ab extrinseco in operatione Dei ad extra, nihil ab ipso distinctum; ex parte autem subjectiva, jam sæpius dictum fuit ipsam divinam voluntatem seu bonitatem esse suam determinationem, eamque, respectu finiti effectus, non naturalem sed voluntariam et liberam. Aliis verbis, omnino retinendum est, quod infra de ratione et fine creationis manifestius apparebit, nullam esse divinæ voluntatis et liberi decreti causam neque objective, neque subjective. Ita Duns Scotus: « Deus æterna voluntate omnino immutabili vult hanc rem nunc evenire, quia decor universi consistit in fluxu », si quæras « quare vult pro nunc magis quam pro alio » respondet: « Quærere causam, ubi causa non est, indisciplinati est quærere. Ergo, quare placuit non est alia causa; quia, sicut hæc est immediata in necessariis: Calor est calefactivus, et in contingentibus est hæc immediata: Calor calefacit; sic in divinis voluntate æterna est hæc immediata: Deus est creativus et productivus, et hæc est immediata in contingentibus: Actu producit (1). »

Et alio in loco (2), cum sibi objecisset inconveniens esse ponere primum agens simpliciter agere a fortuna

(1) *Reportat.*, in l. 1 Sent., dist. VIII, q. 2, in fine — Heic citamus *Reportationes* Scoti in l. Sent. Habet enim Doctor subtilis duo opera in libros Sententiarum: alterum in Oxoniensi academia digessit, quod vocari solet, ut ab altero distinguatur, *Scriptum* in lib. Sent.; alterum in academia Parisiensi exaravit, quod vocari solet *Reportata* seu *Reportationes* in lib. Sent.

(2) *Reportat.*, in 2, dist. 1, q. 3, in fine. Et cf. S. Thomas, in eumd. loc., q. 1, art. 5. ad 12^{m}.

et a casu, non negat hoc esse inconveniens, sed respondendo optime declarat discrimen summum inter Deum et agens rationale finitum : « Dico quod voluntas, quæ habet aliam regulam superiorem ex cujus informitate dicitur recta, habet bonitatem ex illa regula, et talis volitio ex fine et ex circumstantiis debitis habet rectitudinem, scilicet ubi oportet, et quando oportet et cui oportet. Sed in prima voluntate non est dare regulam superiorem, immo seipsa est recta, ideo nulla circumstantia facit eam bonam. Unde licet voluntas creata respiciat tempus tamquam circumstantiam, non tamen prima voluntas, quia ideo res volita est bona ex hoc quod prima voluntas vult eam : nam omnia quæ vult alia a se, propter suam bonitatem vult et propter objectum primum ; voluntas tamen, quæ tenetur conformare se regulæ superiori, tenetur esse conformis fini et circumstantiis ad finem. »

233. Denique 7/ idem actus purus, quæ est divina essentia, prout respectu termini finiti consideratur, cum in se est formaliter immanens, æternus, immobilis, est simul virtute tantum transiens et libertate electiva liberrimus, et qua talis non naturaliter transit in effectum sed voluntarie ac libere, omnipotentia ordinata, ex ratione perfecta in finem Deo dignum nec a Deo diversum, pro tempore quo ab æterno libere decrevit. Cum autem effectum producit, non mutatur, quia est sua actio, seipso agens absque medio, ut supra explicatum n. 228 et 229. Breviter D. Scotus : « Agens (primum) voluntarium potest absque suî mutatione aliquid de novo creare, et absque hoc quod passum aliter se habeat, quia nihil est præsuppositum (1). » Nec est mutatio in voluntate, quasi velit quod prius non voluit, nam ab æterno vult efficere in tempore. Et hic cave ab imaginatione, ut et S. Thomas advertit, in 2, dist. 1, q. 1, art. V, ad 13^{m} coll. ad 7^{m}.

---

(1) *Reportat.*, in 2, dist. 1, q. 3, ad arg. 2. Et vid. S. Thom., in eumd. loc., q. 1, art. 5, ad 11^{m}.

Dices : intelligo quidem non esse mutatum Deum sub respectu durationis, cum decretum liberum sit æternum, nec mutari Deum, cum in tempore, seu simul cum tempore, rem creat ; sed nonne sub alio respectu saltem obnoxius est mutationi, cum libere potuerit ab æterno velle vel non velle creare, et sic videatur aliquid contingens in divina voluntate adeoque mutabile.

Ad hoc, adverte primum quod, licet velle Dei et efficere virtualiter, sed virtualiter tantum, distinguantur, adeoque licet Deus incipiat efficere, cum creat, quatenus effectus seu creatura incipit esse, non tamen proprie incipit agere, quasi, ut secundum nostrum agere imaginamur, de novo determinetur ad agendum : ut enim, cum Doctoribus supra allatis, et S. Thomas declarat, eod. loc. cit., ad 11m, Deus agit sine actione media, vel instrumento : « unde suum velle est sua actio, et sicut suum velle est æternum, ita et actio ; non tamen effectus sequitur nisi secundum formam voluntatis, quæ proponit sic vel sic facere : et ideo non exit de potentia in actum, sed effectus, qui erat in potentia agente, efficitur actu ens. »

Unde, si non mutatur Deus, quando et eo quod effectus producitur, nec magis mutatur, cum ab æterno vult ut sit ille effectus in et cum tempore ; imo, si non mutatur Deus, præcise qua virtute transiens est operatio, multo minus, qua immanens est in se voluntas ad extra operandi. Adeoque pressius loquendo, negandum est Deum libere *posse velle vel non velle* creare ; sed dicendum est Deum *velle* ab æterno et immutabiliter libere creare vel non creare ; aliis verbis, uno eodemque indivisibili ac invariabili actu Deus se ipso vult se velle *et* seipsum, immutabilitatis necessitate, *et* alia, libera electione, ratione suæ bonitatis et propter ipsam.

Igitur removeamus imaginationem quasi aliqua objective vel subjective causa sit divini velle, quasi nova determinatio sit voluntatis creandi, sed solo intellectu consideremus summam libertatem et independentiam

divinæ voluntatis, in qua nihil ab extrinseco, sed omnia a se, nullus influxus externus sed omnia spontanea et intrinseca, contra ac in nostra voluntate (1); consideremus omnipotentiam Dei, id est, plenitudinem potestatis essendi ac agendi, actum purum, infinitæ perfectionis et simplicissimum, et in operatione ad extra non majorem mutabilitatis possibilitatem inveniemus quam in ipsa divina essentia, et actu ad intra. Atvero, in summam admirationem et altissimam contemplationem rapiemur illius qui est unus et trinus, æternus et incommutabilis Deus, solus vere et plane invariabilis, simulque plenissime beatus et liber, benedictus in sæcula.

(Continuabitur).

---

(1) Paucis supra n. 226, coll. n. 204, 3°, rem attigimus. Videlicet voluntas nostra ex parte objecti seu finis, id est, boni movetur ab extrinseco; in Deo nullus omnino influxus objectivus ab extrinseco.

Ex parte subjecti, rursus prima determinatio activa voluntatis nostræ est a prima causa, cujus effectus est volitio indeliberata, nempe appetitus naturalis proprie dictus seu elicitus, aliis verbis, amor naturalis boni in genere: voluntas enim, utpote potentia vitalis, determinari nequit nisi agendo, id est, volendo. Posito amore naturali elicito seu volitione indeliberata boni absolute, cum voluntas sit in actu seu volens, jam capax est sine nova determinatione, sub concursu simultaneo Dei, ut velit se velle adeoque et libere eligat inter particularia bona, vera aut apparentia, quæ electioni suæ sunt subjecta. Unde, determinatio illa fit sine ullo detrimento libertatis, ast non sine mutatione voluntatis de potentia in actum.

Simili modo in ordine supernaturali, gratia actualis excitans inspirationis voluntatis est per volitionem indeliberatam, sed boni determinati et altioris ordinis, eamque elevatam viribus supra naturam, adeoque fit sine detrimento libertatis et sub concursu pergente adjuvantis gratiæ voluntas consentit libere vel potest non consentire, ast rursum a fortiori non est sine mutatione voluntatis, in actum reductæ, imo et additis viribus elevatæ.

In divina voluntate, cum omnia sint a se et ab intrinseco, sine ulla causa, ullove influxu ab extrinseco, ne concipi quidem potest aliqua voluntatis divinæ immutatio.

Ex hisce præterea viam aliquatenus jam perspicies conciliandæ libertatis creaturæ cum divino concursu in utroque ordine, naturæ atque gratiæ; et jam intelliges quo sensu quove respectu divinus concursus prævius, quo sensu simultaneus dici possit, item quomodo differat in ordine naturæ et in ordine gratiæ; qua de re paulo infra in § IV.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Julii.

—

I

Quinam veniunt nomine *filiorum Dei* qui filias hominum uxores duxerunt et gigantes genuerunt (Gen. VI, 1-4)?

II

Da notionem potestatis *jurisdictionis* et potestatis *magisterii*, quæ competunt Ecclesiæ; et quomodo ab invicem discriminentur indica.

III

An veritas implicite revelata potest esse objectum materiale fidei divinæ? Explica.

IV

An privatæ revelationes pertinent ad objectum materiale fidei divinæ? Adde rationem.

V

Explica quo sensu et quomodo objectum materiale fidei catholicæ sub nova œconomia augeri possit.

VI

Quibusnam in casibus licet celebrare missam privatam seu lectam *de Requie* in festo duplici vel Dominica?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Aprilis propositas.

—

I

Q. Quid intelligis nomine *angelorum septem Ecclesiarum* de quibus Apoc. I, 20, II et III? probando responsum.

R. Quatuor occurrunt interpretationes:

1ª sumit vocem *angelos* in sensu proprio nempe de spiritibus cœlestibus quibus Ecclesiarum tutela commissa erat, et sustinetur ab Orig. hom. 12 in Luc., S. Hieron. in Matth., XVIII, 10;

2ª intelligit personificationes Ecclesiarum;

3ª sumit *angelos* in sensu etymologico de nuntiis qui a communitatibus ad Joannem deputabantur, ejusque epistolas deferrent;

4ª tandem, quam sequimur, sumit hanc vocem in sensu metaphorico et episcopos designari censet.

Generalibus primo argumentis sic stabilitur. Personam singularem intendi et ab Ecclesia cui pertinet aliquoties explicite secerni ex ipso textu patet. Præterea pro communitate rationes reddet: si enim de aliquibus dubitari potest utrum pro suis factis an pro alienis vituperentur vel laudentur, angelis tamen Pergami et Sardis pravitas et socordia suarum Ecclesiarum in culpam vertitur, quod nonnisi in superiores quadrat. Similiter relatio angelum inter et Ecclesiam exhibetur quasi relatio dominum inter et rem possessam: exprimitur enim per verba *candelabrum tuum* (II, 5); angeli *habent* viros bene vel male dispositos (II, 14, 15; III, 4); talis autem relatio non ea esse potest quæ intercedit inter societatem aliquam et membrum ejus quodlibet, sed ea tantum quæ existit inter superiorem

et communitatem cui præficitur. Tandem munera quibus angelus fungi debet talia sunt quæ episcopo conveniant: debet *tentare* (h. e. probare) et *non sustinere* sed removere et *odisse eos qui se dicunt apostolos esse* (II, 2, 6); si vero falsas doctrinas et pravos mores propagari permittit, severe corripitur (II, 20); ipsius etiam est *confirmare* eos qui defectioni proximi sunt (III, 2). Convenienter episcopi designantur voce angelorum sive quia sunt legati Dei ad Ecclesiam, sive quia sunt legati Ecclesiæ ad Deum.

Tria vero argumenta specialia proferri possunt quorum validissimum est II, 4, probabiliorem lectionem esse γυναῖκα σοῦ (uxorem tuam); atqui hoc dici non posset de angelo proprie dicto, neque de Ecclesia personificata; ergo cum 3ª sententia nulla, ut ostendemus, probabilitate gaudeat, agitur de episcopo. Lectio quam propugnamus occurit in A B, vet. itala, vers. Philox. etc.; non intelligitur autem quomodo illa vox σοῦ interpolari potuerit; bene autem intelligitur quomodo exciderit: sive propter interpretationem de angelis proprie dictis tempore Origenis introductam, sive propter prohibitionem uxorem retinendi episcopis factam (in Occidente c. a. 300, in Oriente Sæc. VI); qui luxuriam cum ea committunt, non dicuntur fornicari sed mœchari cum ea (II, 2 μοιχεύοντας), supponitur ergo matrimonio juncta.

Præterea nomen angeli Ecclesiæ Sardis clare innuitur: *nomen* (ὄνομα sine art. juxta textum certum) *habes quod vivas* (III, 1), non significat *gij hebt den naam* (famam) *van te leven*, sed *gij hebt eenen naam* (die beteekent) *dat gij leeft.* Vocabatur ergo Zosimus vel potius Zoticus.

Tandem quæ dicuntur de angelo Smyrnæ Ecclesiæ, (II, 8-11), non obscure alludunt ad mores, nomen mortemque Polycarpi: nonnisi laudes a Christo accipit; nomen insinuatur verbis *dives es* (πολυς καρπος = *divitiæ*); modus designandi Christum *qui fuit mortuus et vivit,* verba *esto fidelis usque ad mortem* conveniunt episcopo

qui futurus est martyr; persecutio prædicitur brevis, (*habebitis tribulationem diebus decem*) quæ paucos tantum viros attinget (*aliquos ex vobis*) et a Judæis suscitabitur *(blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos);* quæ omnia ex scripto *Martyrio Polycarpi* eventu comprobantur.

Negative nunc interpretationem nostram stabiliamus, cæteras refutando:

Contra primam quæ in sensu obvio vocis angeli nititur, notandum est absentiam articuli ἄγγελοι τῶν ἑπτὰ ἐκκλησιῶν indicare vocem sumi sensu non proprio sed metaphorico, et non naturam sed qualitatem aliquam vel munus designari. Nec corripi possent angeli boni qui a Deo ad custodiam Ecclesiarum deputantur. Neque congruum est a Deo angelos spirituales et cœlestes moneri per hominem terrestrem in epistola quæ coram communitate legenda est.

Contra secundam pugnat distinctio quæ exhibetur non tantum inter signa (septem stellæ... et candelabra septem I, 20, cf. II, 1), sed etiam inter significationes, (stellæ sunt angeli, candelabra ecclesiæ sunt I, 20). Hæc eadem distinctio recurrit II, 5, *venio tibi et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.*

Tertia refellitur ex eo quod Paulus non designasset nuntios Ecclesiarum ipsi adstantes per ἄγγελοι sine articulo sed certe per ὁι ἄγγελοι vel melius ὁι ἀποστολοι septem Ecclesiarum (cf. 2 Cor. VIII, 23, Phil. II, 25); ex eo præterea quod nuntiis præsentibus non scripsisset, sed oretenus monita sua communicasset.

*
* *

Quum nunc supponamus Apocalypsim circa finem Sæculi I[i] scriptam esse, ex tribus prioribus capitibus deducimus episcopatum monarchicum, unius scil. episcopi in una civitate, tunc temporis in Asia extitisse et non quidem in modum exceptionis sed in modum regulæ, nam in septem saltem Ecclesiis invenitur; quod contra evolutionismi asseclas notatum voluimus.

Optime de hac quæstione scripsit Th. Zahn *Einl. in das N. T.* II, p. 601 ss.

A. D. B.

II

Q. *Explica cur Beata Maria Virgo, formaliter quatenus est* Mater Dei, *honoretur cultu* absoluto.

R. Tres distingui possunt rationes propter quas Beatæ Mariæ tribuatur cultus: nempe *primo contactus physicus* quem habuit cum incarnato Verbo quando Christum genuit, lacte proprio pavit, etc.; *secundo* ipsa *maternitas,* qualitas scilicet τοῦ esse matris Dei; *tertio sanctitas* supernaturalis et eminens secundum quam Maria fuit « gratia plena » et Deo semper gratissima (1).

Secundum *primam* harum rationum competeret Mariæ cultus *relativus latriæ.* Contactus physicus, secundum se spectatus, nullam perfectionem nullamque dignitatem intrinsecam affert rei tangenti: v. gr. crux cui et clavi quibus affixus est Christus, ex eorum contactu cum Deo incarnato, nullam acquisierunt perfectionem. Attamen propter contactum illum crux, clavi honorantur, sed cultu relativo, et quidem latriæ, sicut coluntur imagines Christi (2).

Unde non repugnat ut Maria etiam propter eamdem rationem honoretur, et eodem colatur cultu. Attamen talis cultus non admittitur in Ecclesia propter rationes quas in præcedenti responsione attulimus. (p. 240).

Tertia ratio assignata, nempe eminens sanctitas, est evidenter aliqua perfectio quæ ipsi Mariæ inest, et propter quam digna evadit quæ cultu absoluto honoretur: hoc constat ex illis quæ in præcedenti responsione diximus. (p. 240).

---

(1) Cf. Suarez, In 3am P, *De Mysteriis Vitæ Christi*, Disp. XXII, Sect. II; Salmanticenses, Tract. XXI, *De Incarnatione,* Disp. XXXVI, Dub. III, sect. I; De Lugo, *De Mysterio Incarnationis,* Disp. XXXV, sect. II.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 115.

Inquiri autem potest utrum præcise ex maternitate formaliter et in se sola spectata Maria acquirat excellentiam propter quam *absoluto* colenda sit cultu.

Huic quæstioni censemus respondendum *affirmative:* quod demonstratur et explicatur sequenti ratiocinio.

Si alicui personæ inest excellentia ipsi propria, ob hanc excellentiam hæc persona est colenda cultu absoluto; atqui præcise ex maternitate formaliter et in se sola spectata acquirit Maria aliquam excellentiam ipsi propriam et insitam. Ergo.

Major constat ex supra dictis, p. 179.

Minor sic explicatur. Quilibet cultus tribuitur ratione alicujus excellentiæ seu superioritatis. Jamvero « secundum hoc aliquæ creaturæ superiores dicuntur quod in bonitate perfectiores existunt » (1). Eo autem perfectiores in bonitate existunt quo magis de infinita Dei bonitate participes sunt: quia perfectio quælibet cujuslibet entis est quædam similitudo divini esse, quod est summum bonum (2).

Porro Deus est « nobis essendi et gubernationis primum principium; secundario vero nostri esse et gubernationis principia sunt parentes... a quibus nati et nutriti sumus » (3). Ergo mater, quia et quatenus est principium filii, est ipsi superior: et quia mater est persona, nempe suppositum rationalis naturæ, ideo mater ex ipso facto generationis acquirit aliquam dignitatem seu excellentiam ordinis intentionalis, ratione cujus debetur ei a filio reverentia et obsequium. Notemus hîc matrem non a solo filio colendam sed etiam ab aliis qui ab ipsa non dependent. Etenim « duplex est debitum. Unum quidem legale... Et sic homo debet honorem et cultum his qui sunt in dignitate constituti prælationem super ipsum habentes. Aliud autem est

(1) S. Thom. *Compendium theologiæ*, C. CXXIV.
(2) Cf. S. Thom. I, Q. VI, a. 1 et 4.
(3) S. Thom. II-IIæ, Q. CI, a. 1.

debitum morale, quod ex quadam honestate debetur. Et hoc modo debemus cultum et honorem his qui sunt in dignitate constituti, etiam si non simus ei subjecti » (1).

Ergo omnis mater, ex ipsa maternitate formaliter et in se sola spectata, habet aliquam dignitatem ipsi propriam et insitam ratione cujus competit ipsi honor absolutus.

Ulterius nunc consideremus matris excellentiam procedere ex relatione quam per actum generationis habet ad filium: si vero filius ipse speciali gaudet dignitate, hæc ipsa filii dignitas in matrem redundat, et consequenter ex hac maternitate specialem acquirit mater excellentiam ratione cujus specialis tribuendus est honor. Inde si filius est rex, ipsius matri specialis competit honor.

Hoc docet S. Thomas dicendo: « Matri regis non debetur æqualis honor honori qui debetur regi: debetur tamen ei quidam honor consimilis, ratione cujusdam excellentiæ » (2).

His S. Doctoris verbis optime confirmatur quod statuimus, nempe matrem honorari non præcise et unice propter relationem quam habet ad filium, sed propter dignitatem quam ipsa ex illa relatione acquirit. Si regis mater honoraretur præcise propter relationem quam habet ad filium, tunc ipsa mater honoraretur propter regiam dignitatem quæ in matre consideraretur ob relationem quam habet ad filium: tunc honoranda foret mater eodem honore quo ipse rex honoratur, sed honore *relativo:* sicut crux Christi adoratur adoratione *latriæ relativa.* Sed quum doceat S. Thomas regis matrem honorari honore absoluto et diverso ab honore qui ipsi regi tribuitur, sequitur mentem S. Doctoris esse matrem honorari ob excellentiam ipsi propriam, quæ nihil aliud esse potest quam excellentia ordinis

---

(1) S. Thom. II-IIæ, Q. CII, a. 2, ad 2.
(2) III, Q. XXV, a. 5, ad 1.

intentionalis quæ in matre consequitur ex facto generationis et relatione matris ad filium.

Tandem, si filius est ipse Deus, Rex regum et Dominus dominantium, patet, ex supra dictis, specialissimam omnino Dei matri ex facto hujus generationis acquiri excellentiam ordinis intentionalis: excellentia autem hæc mensuratur ex ipsius Dei dignitate, et ideo Dei matris dignitas est quodammodo infinita, ut docet S. Thomas in I, D. XLIV, Q. I, a. 3.

Ergo maternitas divina formaliter et in se sola spectata ponit in Maria excellentiam ipsi *propriam*, ratione cujus Maria *absolute* est honoranda, et cultu quidem omnino *speciali* quia prorsus singularis est illa excellentia.

J. V. D. M.

III

Q. *Explica quo sensu virtutes supernaturales dicantur consistere in medio?*

R. Virtutes supernaturales dicuntur in medio consistere dupliciter:

1/ *Sensu minus proprio et formali*, scil. *essentialiter* (uti minus recte dicunt), quatenus secundum suam essentiam virtutes *consistunt* mediæ inter duo vitia extrema. Hoc sensu omnes virtutes supernaturales dicuntur consistere in medio, sola excepta justitia;

2/ *Sensu proprio ac formali* scil. *causaliter* seu secundum effectum in propria materia, quatenus virtutes *faciunt medium rationis* in propria materia inter excessum et defectum. Hoc sensu omnes virtutes supernaturales morales sunt in medio per se et ratione sui objecti; virtutes theologicæ contrà omnino per accidens et ratione subjecti. — In sola virtute justitiæ medium rationis redundat in *medium rei*.

Explicatio. Notus est communis loquendi modus de

aurea via media, de extremis vitandis, de moderatione ubique usurpanda. Jam vero inde processit pervulgatum axioma seu proverbium: *In medio virtus.* Hæc autem proprietas duplici sensu de virtutibus prædicatur, quorum priorem minus proprium ac formalem dicimus, utpote minus usurpatum minusque virtutum *essentiam specificam* exprimentem; alterum vero proprium ac formalem prædicamus quippe qui sit usus communioris ac formaliter specificam virtutum essentiam attingat, ut ex infra dicendis patebit.

1/ *Sensu minus proprio ac formali,* virtutes infusæ dicuntur esse in medio *essentialiter.* Ità significatur medietatem competere his virtutibus secundum suam essentiam, quatenus *existunt* mediæ inter duo vitia extreme opposita, scil. inter excessum vitiosum et defectum similiter vitiosum. Hoc autem verificatur quando distincto actu peccatur per excessum et distincto actu per defectum: tunc enim virtus secundum essentiam interjacet inter duo opposita vitia. *Tali modo omnes virtutes supernaturales sunt in medio:* Ità spes est media inter desperationem et præsumptionem; fortitudo media inter timiditatem et temeritatem; temperantia inter generalia vitia insensibilitatis et intemperantiæ; liberalitas inter avaritiam et prodigalitatem. — *Excipitur sola justitia,* cui solum opponitur vitium injustitiæ, quia in hac materia uno eodemque actu contingit peccare per excessum et per defectum: eo ipso enim quod aliquis infra debitum reddit alteri simul ultra debitum retinet sibi.

2/ *Sensu magis proprio ac formali* virtutes supernaturales in medio esse dicuntur *causaliter seu secundum effectum in propria materia,* quatenus scil. in propria materia seu in propriis operationibus medium *causant* seu *servant* inter excessum et defectum. Etenim « medium » accipitur respectu alicujus regulæ vel mensuræ. Jam vero in virtutibus regula vel mensura directe desumenda est ex specifica virtutis essentia,

nempe ex objecto formali complete sumpto, regulato a ratione elevata.

Illud medium *quod a ratione constituitur* in propria virtutum materia, non eodem modo sed diversimode pro diversitate virtutum est intelligendum: diversitas in medio constituendo sequitur diversitatem objecti virtutum.

Ità **virtutes morales** omnes sunt in medio *per se et ratione objecti*. Etenim pro objecto habent bonum aliquod creatum seu finitum, scil. operationes vel passiones quarum mensura et regula est semper ipsa ratio. Ratio autem semper medium indicat, videlicet eas eligit in ea mensura quam oportet, et ubi oportet, et quando oportet et propter quod oportet.

Et ità medium attingitur quatenus neque ultra mensuram a ratione positam procedatur neque infra sistatur.

Aliter tamen atque aliter id locum habet in quatuor virtutibus moralibus cardinalibus. Etenim, licet idem medium rationis inveniatur in prudentia quod in cæteris virtutibus moralibus, in prudentia reperitur *ut ipsa regulat* morales alias seu ipsis medium præstituit, intra quod earum operatio coërceri debet; in aliis verò moralibus illud medium invenitur tanquam *in regulatis* et mensuratis per prudentiam (1).

« *Contingit tamen quod in justitia medium rationis sit medium rei:* in aliis autem virtutibus moralibus medium rationis non est medium rei, sed accipitur per comparationem ad nos. Cujus ratio est, quia justitia versatur circa operationes et res externas; unde rectum in ea constitui debet secundum res ipsas absolute (scil. abstrahendo a variis conditionibus personæ, temporis etc.). Aliæ autem virtutes morales versantur circa passiones internas, in quibus non potest rectum constitui eodem modo, quià homines diversimode se habent ad passiones. Sic, v. gr. in temperantia rectum seu medium non est

(1) Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *De Prud. Fort. et Temp*, p. 18.

idem pro omnibus, sed diversum pro qualitate personarum: quod enim est medium uni, parum est aut nimium alteri. At in actibus justitiæ medium est idem pro omnibus, ità ut si debeas centum, quivis sis, debes reddere centum creditori cuicumque (1) ».

Ad **virtutes theologicas** quod spectat, *per se et ratione objecti non sunt causaliter in medio.* Illarum enim objectum est Deus qui est infinita veritas, bonitas ac potentia: in quem igitur nemo potest nimis credere, nimis sperare, nimium ferri charitatis affectu. Unde per se et ratione objecti non solum non est vitandus excessus, sed actus fidei spei ac charitatis, quantumvis continui ac intensi, propriam objecti dignitatem adæquare non valent. Quod ità pulcherrime exponit S. Thomas: « Mensura et regula virtutis theologicæ est ipse Deus. Fides enim nostra regulatur secundum veritatem divinam, charitas autem secundum bonitatem ejus, spes autem secundum magnitudinem potentiæ et pietatis ejus, et ista est mensura excedens omnem humanam facultatem. Unde nunquam potest homo tantum diligere Deum quantum diligi debet, nec tantum credere aut sperare in ipsum quantum debet. Unde multo minus potest ibi esse excessus, et sic bonum talis virtutis non consistit in medio, sed tanto est melius quanto magis acceditur ad summum (2) ».

Attamen virtutes theologicæ causaliter sunt in medio *per accidens seu ex parte subjecti,* ergo ex causa quæ est omnino præter specificam harum virtutum essentiam. Nempe aliquod medium seu moderamen requirunt attentis circumstantiis naturæ, conditionis, facultatis subjecti in quo existunt. Ità subjectum in Deum ferri debet secundum mensuram propriæ conditionis: non nimio conatu quo corpus lædatur, non tempore inop-

---

(1) Cfr. Billuart, *Summa S. Thomæ,* De Passionibus et Virtutibus, Art. IV, § I.

(2) *Summa theol.*, 1ª 2æ, q. 64, a. 4 in corp.

portuno quod aliis deberet necessario impendi, ut si quis, quando deberet vacare rebus familiæ, contemplationi se daret (1). Apposite iterum S. Thomas: « Alia, vero regula vel mensura virtutis theologicæ est ex parte nostra; quia, etsi non possimus ferri in Deum quantum debemus, debemus tamen ferri in ipsum credendo, sperando et amando secundum mensuram nostræ conditionis. Unde per accidens potest in virtute theologica considerari medium et extrema ex parte nostra (2) ».

A. C.

IV

Q. *Explica quodnam sit munus donorum Spiritus Sancti in generali œconomia virtutum supernaturalium.*

R. I. **Generalis œconomia virtutum supernaturalium** adumbratur.

Cùm ordo supernaturalis naturalem ordinem non destruat sed sanet et elevet, cùmque gratia naturæ inseratur, consequitur virtutes supernaturales modo parallelo respondere principiis operativis in ordine naturæ. Jam vero *in ordine naturæ* habetur primo ipsa animæ *natura* ut remotum operationum naturalium principium; secundo in anima habentur potentiæ scil. intellectus instructus naturali habitu principiorum et voluntas in felicitatem seu finem inclinata, quibus homo rite disponitur ad *finem* naturæ, et in semine jam possidet virtutes requisitas ad ejus prosecutionem per media idonea; tertio sunt et habitus acquisiti virtutum moralium quibus homo rite disponitur in ordine ad *media* circa finem.

In ordine vero præsenti supernaturali, principiis operativis naturalibus parallelo ordine accedunt ac res-

(1) Cfr. Billuart, *l. c.*
(2) *Summa theol., l. c.*

pondent principia operandi supernaturalia. Ità primo essentiæ animæ respondet *gratia sanctificans* velut nova natura et radicale principium operationum supernaturalium; secundo potentiis operativis congenitis circa finem respondent *virtutes theologicæ* debite ordinantes hominem ad finem supernaturalem; denique tertio virtutibus acquisitis moralibus circa media ad finem naturæ respondent *virtutes morales per se infusæ*, quibus homo rite convertitur in media ad finem supernaturalem (1).

II. **Munus donorum Spiritus Sancti** indicatur:

Attamen inter utrumque ordinem existit notabilis differentia. Homo cùm per essentiam habeat naturam rationalem, in ordine naturæ positus ab actibus rationalibus solum deficeret propter imperfectum statum rationis cui lex concupiscentiæ dominaretur. At vero, in ordine præsenti natura supernaturalis divina homini *non inest per essentiam sed solum ab exstrinseco et per participationem*, adeoque principia supernaturalia operativa non tam perfecte habentur quam virtutes naturales. Unde *etiam ratione imperfectæ participationis divinæ naturæ deficit homo elevatus* ab actibus supernaturalium virtutum. *Dona autem Spiritus Sancti conferuntur in adjutorium homini virtutibus supernaturalibus jam elevato, et in hoc adjutorio præstando contra omnis generis impedimenta virtutum infusarum exercitio obstantia consistit proprium donorum munus.*

III. Illud **munus** seu **adjutorium explicatur**, breviter exponendo **donorum necessitatem** in ordine supernaturali, eorumque **ad virtutes infusas relationem**.

A) **Ad necessitatem** quod attinet, munus donorum Spiritus Sancti non est restringendum ad solos actus extraordinarios seu heroicos, sed extendendum ad totam vitam supernaturalem justorum, quam late in ea

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, Tom. VI, p. 248. — Billot, *De Virt. Inf.*, Romæ 1901, p. 11 s.

patet necessitas specialis motionis Spiritus Sancti, seu necessitas inspirationis divinæ.

Plane admittenda non est quorumdam sententia per dona justos non perfici nisi ad actiones quasdam heroicas. Nam in hac opinione dona manerent prorsus otiosa in plerisque hominibus, neque ulla ratio esset, cur omnibus indiscriminatim infunderentur, imo cur omnino infunderentur, cum ad actiones tam singulares ac raras sufficeret actuale et transiens adjutorium Spiritus Sancti (1). Apposite Suarez: « Licet inter actus donorum quidam qui ab ordinariis legibus exorbitant,... raro fient nisi ex instinctu Spiritus Sancti, non sunt illi adæquati actus horum habituum, sed per illos tanquam notiores, peculiarem modum operandi Spiritus Sancti per hæc dona explicamus (2) ».

Necessitas autem donorum directe consequitur ex necessitate specialis motionis Spiritus Sancti seu inspirationis divinæ.

Atqui necessitas inspirationis divinæ se extendit ad totam moraliter vitam supernaturalem (3).

Ergo et necessitas donorum Spiritus Sancti ad totam moraliter vitam supernaturalem est extendenda.

Probatur major. Formalis enim effectus donorum est positiva habilitatio seu adaptatio facultatum elevatarum ad motionem Spiritus Sancti *ab extrinseco* moventem, ut scil. homo huic motioni obediat. Quod S. Thomas ità pulcherrime exponit (4): « Manifestum est autem quod omne quod movetur, necesse est proportionatum esse motori.... Quanto igitur movens est altior, tanto necesse

---

(1) Cfr. C. Pesch, S. J., *Tract. Dogmatici*, Tract. VIII, Friburgi B. 1898, p. 45.

(2) *De Gratia*, L. VI, c 10, n. 6. — Cfr. J.-B. Terrien, S. J. *La Grâce et la Gloire*, Paris 1897, Tom. I, p. 188 ss.

(3) Notare juvabit hanc quæstionem de necessitate inspirationum divinarum nullo modo dirimere hanc alteram quæstionem: utrum ad singulos actus salutares *etiam in justo* requiratur gratia actualis qua adjuvetur ad agendum.

(4) *Summa theol.*, 1ª, 2ªᵉ, q. 68, a. 1 in corp.

est quod mobile perfectiori dispositione ei proportionetur... Manifestum est autem quod virtutes humanæ (etiam supernaturales) perficiunt hominem, secundum quod natus est moveri per rationem (in præsenti ordine fide et prudentia infusis elevatam) in his quæ interius vel exterius agit. Oportet igitur inesse homini altiores perfectiones secundum quas sit dispositus ad hoc quod *divinitus* moveatur; et istæ perfectiones vocantur dona ».

Probatur minor. Illa necessitas oritur imprimis ex eo quod motio supernaturalis in finem ac in media ad finem homini elevato non ex intimis ejus essentiæ insit, sed tantum ex principio supernaturali quod imperfecte habetur per participationem (1). Oritur præterea ex multiplicibus ingentibusque obstaculis quæ etiam in statu præsenti supernaturali virtutum infusarum exercitio obstant. Non enim per gratiam restituitur naturæ integritas, seu subjectio appetitus sensitivi ad rationem (2).

B/ Exposita donorum necessitate, explicanda manet **illorum ad virtutes infusas relatio**, quo clarius donorum munus patescat. Quæ relatio hoc modo compendiose exponi posse videtur: dona Spiritus Sancti sunt *habitus per se infusi, a virtutibus infusis realiter distincti, quibus homo justus rite disponitur ut sub altiori motione Spiritus Sancti ponat opera virtutum supernaturalium.* Quod breviter per partes expendimus.

Sunt *habitus:* ità docet sententia tum extrinsece (3), tum intrinsece probabilior. Sæpe enim homo sub divina gratiæ inspiratione actus ponere debet. Ergo supponendum est non deesse correspondentes habitus; nam generalis est regula providentiæ divinæ ad omnes actus supernaturales frequenter repetitos infundi proportio-

(1) Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *De Prud. Fort. et Temp.*, Brugis 1889, pp. XXV s., 3 ss.

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, Tom. IV, pp. 69 ss., 139 ss.

(3) Eam docent S. Thomas, (1^a, 2^æ, q. 68, a. 3) et Thomistæ; Scotus, (In 3, disp. 34, q. 1, n. 20) et Scotistæ, et reliqui theologi vix non omnes.

natos habitus. Illos habitus esse *per se infusos* satis constat, (cfr. *Coll. Brug.*, Tom. VI, p. 245 s.), nec heic probandum est.

Sunt *realiter distincti a virtutibus infusis*, quamvis theologi quidam meram nominum distinctionem admittant (1). Distinctionem realem suadet tùm recensio donorum (Isai. XI, 1 s.) diversa a recensione virtutum, tùm præsertim sensus communis et antiquus Ecclesiæ. *Ratio autem seu fundamentum distinctionis,* ut jam diximus, non est diversitas operum ad quæ hinc dona illinc virtutes ordinarentur; sed est *modus operandi* ut ait S. Thomas, (2ª, 2ᵃᵉ, q. 68 a. 2 ad 1ᵐ). Scilicet tùm virtutes infusæ tum dona Spiritus Sancti ordinantur (communiter saltem) *ad eadem opera supernaturalia virtutum;* at formaliter differunt in hoc quod per virtutes homo justus perficitur ad sequendam motionem rationis elevatæ instructæ virtutibus theologicis (motio in finem) ac prudentia infusa (motio in media ad finem); — per dona justus connaturaliter disponitur ad sequendam *motionem altiorem Spiritus Sancti* (2).

Dicitur denique quibus rite disponitur *homo justus.* Etenim dona Spiritus Sancti sunt inseparabiliter connexa cum charitate theologica qua justus motori supremo unitur (S. Thomas, *l. c.,* a. 5). Præterea merito dicuntur esse derivationes quædam virtutum theologicarum. Nam si dona animam efficiunt connaturale receptivum instinctuum Spiritus Sancti inhabitantis ac familiariter moventis, præsupponunt sane virtutes theologicas quibus primo justus ei unitur. (S. Thomas, *l. c.,* a. 8). Unde donis carent peccatores qui nihilominus absque dubio inspirationes divinas recipere possunt

(1) Cfr. Pesch, *o. c.*, p. 43 s. Ità Scotistæ generatim post Scotum (In 3, d 34, n. 20).

(2) Hac de re pulcherrime disserit S. Thomas, *Summa theol.*, 1ª, 2ᵃᵉ, q. 68, a. 2., III *Sent.* dist. 34 q. 1 a. 1 et 2. — Cfr. Illᵐ ac Reverendᵐ Waffelaert, *o. c.*, p. XXV s., 3 ss. — B. Froget O. P. *Revue Thomiste*, 1899 p. 530 ss.

atque debent, veluti necessarium principium præparationis ad justificationem. Sed id demum inter justum et peccatorem distat, quod justus præ peccatore habet in se habitualia principia exigitiva motionum specialium Spiritus Sancti (1).

A. C.

V

Q. *Describe effectus Indulgentiæ.*

R. Uti jam ex ipsa notione innotescit, indulgentiâ relaxatur *pœna temporalis, coram Deo debita:* in cujus effectus descriptione aliquatenus est immorandum. Nimirum

1°/ Relaxatur **pœna temporalis**, ad exclusionem *culpæ*, etiam venialis, quæ supponitur prævie soluta.

Cui asserto, in quod conveniunt catholici omnes, frustrà opponuntur formulæ, quibus concessa legitur indulgentia omnium *peccatorum*, vel indulgentia *a culpa et a pœna* (2).

Et revera in eodem textu præsupponunt Rom. Pontifices, ita loquentes, fidelem prævie confessionem instituisse vel contritionis actum elicuisse, adeoque remissionem peccati *quoad culpam* jam adeptum esse. Cf. Bullam Jubilæi 1901, *Temporis quidem sacri.*

Cæterum haud ægre componitur opposita formula cum vindicanda thesi nostra. Vel enim peccatum et culpa in hujusmodi locutionibus usurpantur sensu latiori pro pœna ex peccato relicta, quo sensu dictum vocabulum non semel occurrit in S. Scriptura, uti ostendit Beringer, *Les Indulgences*, tom. I, p. 11 (3);

(1) Cfr. Billot, *o. c.*, p. 180.

(2) Hanc formulam « a culpa et a pœna » abusive fuisse usurpatam a quæstoribus contendunt, post Bened. XIV, *De syn. diœc.*, l. XIII, c. 18, n. 7, Beringer, op. cit., p. 12; Pesch, *Tractatus Dogmatici*, VII, n. 466.

(3) Ita Dr Paulus, *Zeitschrift für katholische theologie*, 1899, p. 53, in nota, collata p. 431, in nota, docet indulgentiam a culpa et a pœna, tempore medii ævi, frequenter fuisse usurpatam hoc sensu, ita ut æquivaleret *plenæ* absolutioni a *pœna* temporali.

vel, si sensus proprius vocis peccati et culpæ urgetur tenendus, uti in nonnullis documentis videtur contingere, Pontifex, elargiendo sacramentaliter confessis seu corde contritis veniam peccatorum seu absolutionem a culpa et a pœna, censetur referre peccati remissionem ad *indulgentiam simul et ad confessionem* prævie requisitam, quatenus nempe *confessionem* consequatur *culpæ* solutio, ipsam vero *indulgentiam* relaxatio *pœnæ,* qua pœnæ relaxatione tandem consummatur peccati destructio (1).

2°/ Relaxatur pœna **coram Deo debita**: scilicet non tantum nos solvit a debito pœnæ coram foro Ecclesiæ solvendæ, sed a reatu pœnæ coram foro Dei contracto, hic vel in purgatorio luendæ.

Quod etiam valet, non secus ac de hodiernis, de indulgentiis antiquitus concedi solitis. Licet nimirum olim, quamdiu viguerunt pœnitentiæ canonicæ, dirigebatur indulgentiæ concessio in ipsas relaxandas pœnitentias canonicas (2), simul tamen attingebat ipsum

---

(1) Hæc altera interpretatio potissimum quadrat in indultis pro Jubilæo, in quibus, præter indulgentiam proprie dictam, pœnitenti datur facultas eligendi confessarium et confessario electo facultas impertitur absolvendi a peccatis etiam reservatis, adeo ut, integrum si spectetur diploma, copia fiat ad relaxandum peccatum quoad culpam et pœnam. Pari modo intelligi queunt confessionalia seu litteræ indulgentiales (Beicht- seu ablassbriefen, quibus muniti copiam habebant sibi eligendi confessarium a quo absolutionem consequerentur a *culpa* et indulgentiam a *pœna* residua.

(2) Eo ipso indulgentia olim afficiebat personam *particularem,* determinatam, siquidem mensura concessionis erat pœnitentia canonica singulis personis imposita, seu potius reatus pœnæ ipsi correspondens; deinceps vero, postquam, sublato usu pœnitentiæ canonicæ, in indulgentia intendebatur solus reatus solvendus, facta est indulgentia, uti vocant, *communis*, quibusvis nempe fidelibus indiscriminatim applicabilis. Cf. Boudinhon, *Le Jubilé de 1901*, p. 83 et seq.; quo loco etiam asserit indulgentiam cruciatam fuisse primam indulgentiam plenariam communem. Quo etiam attento primitivo conceptu indulgentiæ, explicatur quomodo, in vetustioribus indultis, non raro occurrat formula: « ab injunctis pœnitentiis », vel: « ab injunctis et injungendis ». Item exinde derivatur computatio quæ adhuc hodiedum adhibetur in determinanda amplitudine indulgentiæ partialis, uti infra dicetur.

reatum pœnæ coram Deo ex peccato relictum, imo non solvebat a pœnitentiis injunctis nisi per ipsam hujus reatus relaxationem.

Porro **probatur** hæc coram Deo efficacia

a/ ex art. 19 Lutheri a Leone X damnato: « Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam Justitiam »; necnon ex proscripta propos. 40ª Synodi Pistoriensis, quam refert Theol. Mechl., *De Indulgentiis*, 1897, p. 6.

b/ Eruitur ex natura indulgentiæ, ex qua sequitur indulgentiam suam efficaciam mutuari ab applicatione satisfactionum Christi et Sanctorum: hæ autem satisfactiones valent in solutionem coram ipso Deo. Item jurisdictio, vi cujus auctoritative applicantur dictæ satisfactiones vivis, est jurisdictio fori interni, attingens debitum quatenus existit coram divina Justitia.

c/ Insuper, uti ratiocinatur S. Thomas, *Supplem.*, qu. XXV, art. 1, in corpore, si indulgentia solveret a pœna coram solo foro Ecclesiæ, « Ecclesia hujusmodi indulgentias faciens magis damnificaret quam adjuvaret, quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet purgatorii, absolvendo a pœnitentiis injunctis ». Cæterum pronum est ut sicut Ecclesia, in impositione pœnitentiæ canonicæ, intendebat satisfactionem procurandam coram Deo, ita et in ejusdem pœnitentiæ relaxatione intenderit solvere reatum pœnæ coram divino judicio. Cf. *Kirchenlexicon*, V° Ablass.

d/ Accedunt varia documenta et testimonia quæ videre est apud Amort, *De origine... Indulgentiarum*, p. 7-8, inter quæ præ cæteris attende testimonium S. Cypriani. Hic etiam utiliter leges Sasse, *De Sacramentis Ecclesiæ*, Friburgi Brisgoviæ, 1898, tom. II, p. 234-241.

Nota. 1°/ Cum indulgentia auferat pœnam ex peccato quoad culpam remisso relictam, eo ipso subtrahitur materia *satisfactioni sacramentali*, in quantum est vin-

dicativa, adeoque per se, ubi plenè lucrifacta est indulgentia, non esset locus satisfactioni vindicativæ qua tali. Non est tamen, sub prætextu indulgentiæ lucrandæ, penitus prætermittenda pœnitentia sacramentalis, licet minor concedi possit, tum quia manet finis medicinalis, tum quia deest certitudo circa indulgentiæ perfectam adeptionem. Cf. Suarez, in h. l., disp. L, Sect. IV, n. 4-7; Theodorus a Spir. S°, *De Indulgentiis*, I, cap. V, art. 3; Palmieri, *De Pœnitentia*, p. 477-478; Pesch, op. cit., n. 473; Theol. Mechl., op. cit., p. 18; *Collat.*, hoc tomo, p. 276.

2°/ Indulgentia *plenaria* (1), attenta mente concedentis et positis ponendis, liberat ab *omni* pœnæ reatu; *partialis* autem *partem* tantum aufert pœnæ debitæ; ad cujus partis determinationem ratio est habenda, ut jam diximus, veteris disciplinæ Ecclesiæ circa pœnitentias canonicas: « quatenus sicut septem annorum vel quadraginta dierum pœnitentia canonica vel alia hujusmodi

---

(1) Circa sensum formulæ: « *plena*, *plenior*, *plenissima* », quæ occurrit in Bulla Bonifacii VIII, pro Jubilæo 1300, et in aliis documentis Pontificiis, variæ exstant sententiæ. Porro, quod spectat indulgentiam plenissimam, qualem *etiam nunc* dicitur concedi in Jubilæo, signanter in Jubilæo 1900 et in extensione Jubilæi 1901, intelligitur indulgentia plenaria, connotatis peculiaribus privilegiis adnexis in ordine ad hoc ut efficacius et facilius lucrifiat indulgentia in tota sua amplitudine. Adde cum Suarez, l. c., sect. IV, n. 7, rationem certitudinis, ex magnitudine causæ. Huic interpretationi favent Benedictus XIV; Leo XII, in Bulla extensionis pro Jubilæo 1825; De Lugo, *De Pœnitentia*, disp. XXVII, n. 128; Theodorus a Spir. S°, op. cit., cap. VI, art. 2°; Loiseaux, *Traité théorique et pratique du Jubilé*, p. 8-12; Beringer, op. cit., p. 54-55; *Collat. Brug.*, V, p. 182; Kurz, *Die katholische lehre vom Ablass*, 1900, p. 68-69; Dr Paulus in periodico citato, 1899, p. 54, cum nota. Nihil tamen impedit, uti videtur, quod *primitus* variæ illæ formulæ fuerint usurpatæ alio sensu deducto a primitivo usu, juxta quem, sensu indicato, directe afficiebat indulgentia ipsas pœnitentias canonicas. Ita, uti proponit Bellarminus, *De Indulgentiis*, l. I, cap. IX, *plena* fuerit illa quæ solvebat à pœnitentia injuncta seu ab injunctis et injungendis et a reatu correspondenti; *plenior*, illa quæ relaxabat pœnitentiam totam quæ secundum canones injungi debuisset; *plenissima* vero illa quæ valebat ad remissionem totius pœnitentiæ quæ a divino judicio posset exigi ». Cf. in eumdem sensum Pesch, op. cit., n. 472; Lehmk, *Theol. Mor.*, II, n. 526; Ballerini-Palm., *Opus Morale*, V, p. 654.

pro quorumdam criminum pœnis per se in hac vita persolvendis injungebatur, ita hujusmodi indulgentiarum beneficio pœnitentialis totidem dierum vel annorum satisfactio clavium virtute relaxetur: ac per consequens tantum pœnæ temporalis per se debitæ peccatis per hujusmodi indulgentiam expungitur, quantum per satisfactionem canonicam exhibitam remitteretur ». Theodorus a Spir. S°, op. cit,, cap. VI, art. 2° (1).

A. D. S.

VI

Q. *An et qualem incurrit censuram parochus vel sacerdos qui, sine debita licentia, alterius parochiæ sponsos matrimonio jungit aut iis benedictionem nuptialem impertit?*

R. In constitutione *Apostolicæ Sedis* nulla occurrit censura specialis respiciens præsentis quæstionis casum. Sed eadem constitutione Pius IX censuras a Concilio Tridentino *directe* latas innovavit, cùm quoscumque S. Synodus ipso jure excommunicavit, aut suspensos vel interdictos esse decrevit, ipse *pari modo* et eidem censuræ obnoxios esse voluit et declaravit.

Porrò Concilium Trid. Sess. XXIV, cap. 1 *De reform. matrim.* statuit: « Quod si quis parochus vel » alius sacerdos sive regularis sive sæcularis sit, etiamsi » id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine » licere contendat, alterius parochiæ sponsos, sine » illorum parochi licentia, matrimonio jungere aut be-

(1) « Quamobrem non oportet annos vel dies pœnitentiæ canonicæ numero annorum vel dierum pœnæ purgatorii, ut ita dicamus, respondere, adeo ut quot anni vel dies de injunctis pœnitentiis per indulgentiarum partialium concessionem relaxantur, totidem dierum vel annorum pœnæ purgatorii fiat remissio; pœna enim purgatorii plurium dierum vel annorum etiam intensione et acerbitate maxima, per hujus vitæ pœnitentiam unius diei ex fervore charitatis et contritionis præstitam, potest expungi ». Theod. a Spir. S°, l. c.

» nedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus » maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui » matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio » suscipienda erat, absolvatur ». — Ex hoc igitur decreto colligendum responsum ad nostram quæstionem. Jamverò

I. Dicto decreto censura plectuntur tum *parochus,* etiamsi nondum sacerdotio sit insignitus, tum *quivis sacerdos,* qui actus ponunt ibidem prohibitos: duplex autem actus prohibetur, nimirum *alterius parochiæ sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonio jungere aut benedicere;* adeo ut ad censuram incurrendam sufficiat alterutrum, sine debita venia, committere: vel matrimonio assistere, vel benedictionem nuptialem impertire; et qui utrumque actum poneret duplicem censuram contraheret: attamen, ut scite observat Pennacchi (1), hæc duplex censura « tum locum habet cum diverso actu sacerdos matrimonio alienæ parœciæ sponsorum assistit et benedicit; non autem si unica actione sponsorum consensum excipiat, et, inter missæ celebrationem, ut fit, eis benedicat; hoc enim in casu unus est matrimonii contrahendi ritus, et una perficitur actione et eodem tempore, ideoque unica incurritur suspensio, non duplex, ut prorsus incurreretur si quis, dimissis sponsis sine benedictione, post aliquod tempus eis benediceret. — Quod de cetero ex ipso Tridentino capite patere putamus, in quo propositio disjunctiva est: *matrimonio conjungere aut eis benedicere,* quo innuitur suspensionem quidem pro alterutra actione incurri, at supposita benedictione sine conjunctione et viceversa ».

Dicitur *sine illorum* (sponsorum) *parochi licentia:* casu autem quo sponsi sint parochiæ diversæ, cum de jure communi tum parochus sponsi tum parochus sponsæ possit illos conjungere ac benedicere, sufficit ad effu-

(1) *Comment. in Const.* « *Ap. Sedis* », tom. II, p. 485 sq.

giendam censuram alterutrius parochi habere licentiam, quamvis forte de jure diœcesano matrimonium coram parocho sponsæ contrahi præciperetur (1). — Porrò nomine parochi hoc loco etiam venit Episcopus ejusque Vicarius Generalis, necnon Vicarius Capitularis, sede vacante; siquidem et illi, vi jurisdictionis ordinariæ qua pollent in diœcesanos, horum matrimonio proprio jure assistere aut benedicere valent.

Qualis autem licentia requiratur in casu, resolvendum est juxta tradita ab auctoribus circa licentiam debitam ut quis sponsos non suos parochianos legitime matrimonio jungere possit. Cf. Feije, *De imped. et disp. matr.* n. 295 sqq.; — De Becker, *De sponsal. et matrim.*, p. 96 sqq.; — Theol. Mechlin., *Tract. de Sponsal. et matrim.* n. 88, q. 3; — aliosque passim.

Dubium non est quin censuram contraheret qui sine requisita licentia *secundis nuptiis* assisteret; at non ità certum est idem dicendum si hujusmodi nuptiis jam contractis *benediceret* tantum: ratio dubitandi esse potest quia, tempore concilii Trid., prohibitum erat secundis nuptiis benedictionem impertire; proindeque non concipitur lex de habenda a legitimo parocho licentia ad dandam benedictionem quam ipse parochus dare non poterat. Hoc argumento innixus censet Pennacchi l. c. p. 486 sq. vere probabilem esse sententiam negantem et consequenter in praxi sequendam (2). Nec, secus ac opinatur Hilarius a Sexten, *De censuris eccles.* p. 266, videtur rem dirimere argumentum deductum ex mutata jam disciplina, juxta quam, vi decreti generalis C. S. O. 13 Aug. 1881 (3), etiam secundis nuptiis catholicorum, excepto casu quo mulier vidua jam fuerit benedicta, benedictio est impertienda, utique a parocho

(1) Cf. *Nouv. rev. th.* tom. XXI, p. 527 sq.

(2) Quæstionem ut controversam exhibent etiam Piat, *Comm. in const. « Ap. Sedis »*, p. 323 et apud *Nouv. rev. th.* l. c. p. 527. — De Brabandere-Van Coillie *Jur. can. comp.*, tom. II, p. 326.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, tom. I, p. 97.

proprio: quamvis enim ità extensum fuerit jus parochiale quoad benedictionem nuptialem, nondum sequitur pœnam exorbitantem, qualis est censura gravis latæ sententiæ, similiter extendi et applicari posse ad casum violati ejusdem juris quem legislator ferendo legem non intendisse videtur.

Ulterius ex verbo decreti Tridentini *ausus fuerit* meritò deducunt ad censuram incurrendam requiri in agente temeritatem seu præsumptionem, ac proinde ab illa excusare ignorantiam etiam crassam, imo probabiliter et affectatam. Cf. *Collat. Brug.* Tom. IV, p. 38 sq.

Tandem censura, de qua hic agitur, non obtinet nisi iis in locis in quibus lex Tridentina de matrimoniis clandestinis viget; nam manifestò statuta fuit in sanctionem dictæ legis, ideoque hujus sortem subit nec extendi potest ad loca ubi ipsa lex non est in vigore. — Neque ideò, in regionibus ubi Trid. decretum *tametsi* non fuit publicatum, subsistit excommunicatio antiquitus lata (1) adversus religiosos, qui sine parochi licentia præsumebant matrimonia solemnizare, siquidem ista censura non fuit const. *Apostolicæ Sedis* conservata.

II. Censuræ *qualitatem* quod attinet, uti ex textu decreti Trid. liquet, est *suspensio latæ sententiæ reservata*. Sed

Quæritur 1/ utrùm sit suspensio *totalis* seu ab omni officio ac beneficio: quamvis autem dictionis generalitas, *suspensus maneat*, militet pro sententia affirmativa, plures tamen et graves auctores cum Suarezio (*De cens.*, disp. XXXI, Sect. III, n. 18) negant, et censent illam non esse nisi partialem ac limitari ad suspensionem *ab officio*, tum quia ex subjecta materia verba utut generalia hunc sensum restrictum patiuntur ac in lege odiosa minimum est sequendum, tum quia eadem pœna statuitur omnibus delinquentibus, inter quos plures *beneficio* carent (2).

(1) Clement. *Religiosi* 1, De privilegiis et excessibus privilegiatorum.
(2) Cf. Pennacchi, l. c. p. 488 sq. — Piat, *comment.* cit. p. 323 et *Nouv.*

Quæritur 2/ cuinam sit reservata illa suspensio. Respondetur ex ipso decreto: *Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat.* — Sed quid si sponsi sint diversæ diœceseos? Videtur quod in casu absolvere possit tam Episcopus unius quàm alterius, siquidem de jure communi tum parochus sponsi, tum parochus sponsæ matrimonio assistere seu benedictionem nuptialem dare poterat; (1) nam de solo jure communi disposuit Concilium Trid., nec censetur voluisse sancire consuetudinem particularem aut statutum diœcesanum, vi cujus debeat matrimonium contrahi coram parocho sponsæ, atque ab eodem benedictio nuptialis suscipi.

Rursus observa sub nomine Ordinarii hic intelligi etiam Vicarium Generalem et Vicarium Capitularem, sede vacante.

H. V. D. B.

Ex S. R. et Univ. Inquisitione

De absolutione a reservatis S. Pontifici in casibus urgentioribus.

In casibus urgentioribus... (Decret. S. Officii 20 Junii 1886), dari potest absolutio a reservatis S. Sedi, sub pœna tamen reincidentiæ nisi absolutus infra mensem ad Sanctam Sedem recurrat, ejus mandata suscepturus.

Ubi tamen Episcopi facultatem habent delegatam absolvendi a prædictis reservatis, qualis solet ipsis concedi per quinquennale folium S. Congr. de Propaganda Fide (F. X)

---

rev. th., l. c. p. 532; — Feije, l. c. n. 283; — De Becker l. c. p. 102; — Hilarius a Sexten, l. c. — alii plures qui saltem ut probabilem ideoque in praxi servandam hanc mitiorem sententiam habent.

(1) Cf. *Nouv. rev. th.*, l. c. p. 533. — Haine, *Theol. mor. elementa*, Tr. de matr., q. 140.

sub. n. 10 (1), dubitatur de necessitate recursus immediate ad Sanctam Sedem.

Quærit igitur Episcopus N. N., ad pedes Sanctitatis Vestræ humiliter provolutus:

I. Utrum sufficiat in casu absolutionis, ut supra, concessæ, recursus ad Episcopum facultate absolvendi instructum; et quatenus affirmative;

II. Utrum sufficiat etiam in casu eodem recursus ad Vicarium generalem Episcopi, tamquam ad Ordinarium facultatum episcopalium absolvendi de jure participem:

III. Utrum generatim sufficiat recursus ad quemlibet sacerdotem habitualiter subdelegatum ab Ordinario ad absolvendum ab his papalibus reservatis, a quibus pœnitens fuerit accidentaliter, ut supra, vi decreti S. Officii 1886, absolutus?

RESPONSUM:

Die 19 Decembris 1900.

Ad I et II. *Affirmative*, facto verbo cum Sanctissimo.
Ad III. *Negative.*

Adnotatio. Præsenti decreto completur disciplina Romana, servanda casu quo communis confessarius pœnitentem a censuris Rom. Pontifici reservatis absolvit in casibus urgentioribus, quam disciplinam summarie expositam videsis apud *Collat.*, hoc tomo, p. 214 et seq.

Nimirum sic absoluto onus est imponendum, sub pœna reincidentiæ, ut infra mensem vel *recurrat* ad S. Sedem, vel *novam consequatur absolutionem*, sive ab eodem confessario, interea debita facultate munito, sive ab alio confessario ad id habitualiter deputato.

Recursus ille ad S. Sedem eò tendit ut rescriptum obtineatur, sive in forma commissoria sive in forma gratiosa, quo rescripto *ratihabeatur absolutio*, vi decreti 1886 impertita, ac clausulæ opportunæ præscribantur.

(1) Facultas, quæ hic memoratur, conceditur Episcopis Belgii sub Formula III, eodem n. 10.

Jamvero respondit C. S. O., facto verbo cum Sanctissimo, 1°/ dictum recursum posse institui ad *Ordinarium,* ad Episcopum nempe aut ad Vicarium Generalem, vi indulti facultatem habentem a reservatis Rom. Pontifici;

2°/ Non sufficere recursum « ad quemlibet sacerdotem habitualiter subdelegatum ab Ordinario ad absolvendum ab his papalibus reservatis ».

Unde quotiescumque pœnitens a præfatis censuris, urgente necessitate, absolvitur a communi confessario, satis est ut absolutio, sub injungendis clausúlis, confirmetur ab Ordinario (1); non vero sufficit, ut a simplici sacerdote ratihabeatur, sed ab eo nova absolutio foret impetranda.

Quod valet de omnibus censuris S. Pont., non modò simpliciter sed etiam specialiter reservatis, excepta tamen excommunicatione adnexa absolutioni complicis, a qua censura neque ipse Episcopus, in nostra diœcesi, valet absolvere nisi sub ea lege « ut sic absoluti..., infra mensem a recepta absolutione, per medium confessarii, suppresso nomine, ad S. Pœnitentiariam recurrere, eique explicare quot personas complices in re turpi et quoties a peccato complicitatis absolverint et mandatis ejusdem S. Pœnitentiariæ desuper ferendis obedire teneantur, sub reincidentia in easdem censuras, si contravenerint ». Cf. *Libellum* de casibus reservatis, p. 74.

A. D. S.

(1) Hæc solutio posset usui esse signanter quando pœnitenti, ad alium confessarium tendere renuenti, impossibile est ad eumdem confessarium redire: potius nempe quam recurrat ad M. Pœnitentiarium, ipsi nunc præsto est recursus ad Ordinarium, qui provideat per rescriptum in forma gratiosa.

Ex S. Rituum Congregatione

BRUNEN.

R^mus D^nus Franciscus Salesius Bauer, Episcopus Brunensis, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter expostulavit; nimirum:

I. Utrum Litaniæ Lauretanæ post tertium *Agnus Dei* rite ac recte absolvi possint, addito statim versiculo, responsorio et oratione, vel inserto prius *Christe, audi nos* etc. prouti fit in Litaniis Sanctorum, cum *Pater* et *Ave* vel uno alterove?

II. Oratio ad S. Joseph, in mense Octobri ponenda est inter Rosarium et Litanias, an post Litanias rite absolutas?

III. Quandonam dicendæ sunt cum populo preces post quamvis Missam sine cantu præscriptæ, si S. Rosarium, Litaniæ et oratio ad S. Joseph non eodem cum Missa momento finiunt?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicæ omnibusque perpensis respondendum censuit:

Ad I. Litaniæ Lauretanæ concludendæ sunt uti in Appendice Ritualis Romani, omissis *Christe, audi nos* etc. (1); versiculus autem, responsorium et oratio post dictas Litanias mutari possunt pro temporis diversitate.

Ad II. Oratio ad S. Joseph in fine Litaniarum Lauretanarum adjungi potest, juxta prudens arbitrium Episcopi (2).

Ad III. « Preces a SS^mo D. N. Leone Papa XIII in fine Missæ præscriptæ recitandæ sunt immediate, expleto ultimo Evangelio », ita ut aliæ preces interponi nequeant, juxta decisionem S. R. C. in una *Basileen.* N. 3682, diei 23 Novembris 1887 (3); et si, Missa absoluta, Rosarium a populo

(1) Cfr. *Collat. Brug.* 1896, p. 33.

(2) Cfr. Encyclica SS. D. Leonis XIII, de die 15 Aug. 1889, et litteræ pastorales Rev^mi Episcopi Faict 24 Sept. 1889 quibus præscribitur ut oratio *post* litanias Lauretanas recitetur. (*Collectio epistolarum Pastoralium*, XV, p. 112).

(3) In decreto citato *in Basileen.* quæstio ita se habet: « Utrum preces præscriptas (3 *Ave, Salve Regina* etc.) in quibusdam casibus, nempe vel alicujus parvæ functionis vel Communionis distribuendæ, peracta demum ista adnexa Missæ cæremonia, recitare licéat; an subsequi Missam ipsæ

recitandum non sit finitum, Celebrans dictas preces recitet cum Ministro solo.

Atque ita rescripsit. Die 7 Decembris 1900.

L. ✠ S.

D. Card. FERRATA, *Præf.*
D. PANICI, *Archiep. Loadicen. Secret.*

H. V. D. W.

Ex S. Congregat. Indulgent.

LEOPOLIEN. RUTHENORUM.

De indulgentiis altaris privilegiati et in articulo mortis.

Vicarius Capitularis Archidiœc. Leopolien. Ruthenor. a S. Indulgentiarum Congregatione humiliter expostulat solutionem sequentium dubiorum:

I. Utrum Indulgentia altaris privilegiati possit lucrifieri pro anima unius defuncti, si respectiva Missa offertur non tantum pro defunctis, sed simul etiam pro vivis?

II. Cum ex una parte expresse statuatur quod Indulgentia in articulo mortis pro defunctis applicari non possit, ex altera vero parte illi qui fecerunt actum heroicum pro defunctis, omnes Indulgentias, etsi alias pro defunctis non applicabiles, tamen pro ipsis offerre possint, ideo quæritur:

a/ An illi qui laudatum actum heroicum fecerunt, possint, immo, si istum actum revocare nolunt, etiam debeant Indulgentiam lucrifactam in articulo mortis pro defunctis offerre?

Atque, si affirmative:

b/ An posito isto actu heroico Indulgentia plenaria in articulo mortis, etsi variis titulis et repetitis respectivis operibus lucrifacta, tamen una tantum et non pluribus vicibus pro defunctis lucretur?

---

semper immediate debeant? » Et Sacra Congregatio proposito dubio sic rescripsit: « Preces a SS^{mo} Domino nostro Leone Papa XIII præscriptæ, recitandæ sunt immediate expleto ultimo Evangelio ».

Porro S. Cong. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita, audito etiam unius Consultoris voto, respondendum mandavit:

Ad I. Negative, et detur decretum in una *Squillacen.* (1) d. d. 25 Augusti 1897, ad dub. 2um.

Ad II. Ad 1am partem: Non esse interloquendum; Ad 2am partem, reformato dubio uti sequitur: An ii qui laudatum actum heroicum emiserunt, et ex variis titulis lucrari possunt plures Plenarias Indulgentias in mortis articulo, valeant saltem unam tantum Indulgentiam Plenariam pro defunctis lucrari, alias vero sibi reservare; resp.: Ut in præcedenti responsione ad 1am partem, et ad mentem: mens autem est plenariam Indulgentiam pro mortis articulo concessam una vice tantum lucrari, id est in vero mortis articulo, etsi moribundus ad eam jus habeat ex variis titulis.

Datum Romæ ex Secr. ejusdem S. C. die 23 Januarii 1901.

S. Card. Cretoni, *Præf.*
Franciscus Archiep. Amiden., *Secretarius.*

Adnotationes

I. De indulgentia altaris privilegiati.

Quæstio de applicabilitate indulgentiæ altaris privilegiati recentiori tempore in S. Cong. Indulg. pluries ita agitata fuit ut jam penitus solvi posse videatur. Hucusque hæc tria principia statui poterant:

I. Nisi beneficium altaris privilegiati expressis terminis concedatur *pro vivis* vel *pro vivis et defunctis,* quod maxime extra Urbem rarissime contigit (2), indulgentia altaris privilegiati non intelligitur concessa nisi in gratiam *defunctorum.*

II. Ex voluntate Romani Pontificis, beneficium *indulgentiæ separari nequit* ab applicatione seu fructu sacrificii Missæ.

III. Indulgentia altaris privilegiati, juxta mentem concedentis, ad *unam dumtaxat aninam defuncti* limitatur.

(1) *Collat. Brug.* III, p. 179.

(2) Quomodo intelligenda sit, ubi forte occurrerit, hujuscemodi concessio, satis explicavimus *Collat. Brug.*, III, 180-182.

Unde, excepto casu specialis indulti et dummodo adsint debitæ conditiones (1):

a/ qui celebrat pro vivo vel pro vivis, indulgentiam altaris privilegiati lucrari non valet;

b/ qui Missam celebrat pro uno defuncto, huic soli animæ acquirere potest indulgentiam altaris privilegiati;

c/ qui sacrificium Missæ litat pro pluribus defunctis, pro uno tantum ex his defunctis indulgentiam lucrari valet. Congruum igitur est ut celebrans unam ex his animabus vel ipse specialiter designet, vel divinæ miserationi eligendam remittat. Si tamen de neutro cogitaverit, indulgentiam acquiret, *si* Deo placuerit, illa anima *quæ* Deo placuerit.

Dubium remanebat utrum sacerdos celebrans *pro defunctis simul et pro vivis*, posset lucrari indulgentiam pro una ex animabus defunctorum pro quibus sacrificium offert. Qua de re interrogata S. Cong. præsenti decreto respondet: *Negative*. Adeo igitur urgeri voluit principia antea statuta ut indulgentia altaris privilegiati nullo modo acquiri possit nisi quando Missa celebratur *pro solis defunctis*.

II. De indulgentia in articulo mortis.

In dubio secundo movetur quæstio specialis de collisione legum contrariarum.

I. Ex una parte « expresse statuitur quod indulgentia in articulo mortis pro defunctis applicari non potest ».

Hoc revera apparet non tantum ex eo quod præfata indulgentia nullibi expresse conceditur defunctis applicabilis, sed insuper ex pluribus motivis specialibus:

a/ Ex natura et fine hujus indulgentiæ: « Finis Summorum Pontificum hujusmodi gratiam concedentium est, ait Theodorus a Spiritu S. (2), ut decedentibus nihil supersit post hanc vitam mortalem purgandum, ac

(1) Quas vide ap. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. Canon. compendium* (ed. sexta), II, p. 31 sq.

(2) *De Indulg.*, part. II, p. 204.

per consequens summi Pontifices eam peccatorum remissionem impertiuntur quæ (quantum est ex se) efficaciam habeat perducendi illos vere contritos de peccatis ad æternam beatitudinem *statim possidendam.* »

b/ Ex diserta declaratione D. Secretarii S. Cong. Indulg., data litteris 17 Martii 1886, quæ uti authenticum testimonium ipsius Congregationis habenda est (1), et in qua edicitur « hanc indulgentiam *non esse applicabilem per modum suffragii animabus purgatorii,* eo quod, juxta mentem Summi Pontificis eam concedentis *personalis est moribundo* » (2).

c/ Ex textu authentico *Raccolta.* Difficultas olim moveri poterat ex verbis hujus collectionis declarantis « omnes et singulas sanctas indulgentias adnexas precibus et piis operibus contentis in *Raccolta* esse, ad modum suffragii, applicabiles animabus fidelium defunctorum » (3). Jamvero ibidem invenitur indulgentia in articulo mortis adnexa pluribus orationibus vel piis operibus. Verùm in ultima *Raccolta* editione, a. 1898, p. XXII, n. 4, expressis terminis additur exceptio pro indulgentiis in articulo mortis. Amota igitur difficultas locum cessit argumento invicto.

d/ Ex hoc plenius intelligitur quomodo, licet quis, ex pluribus titulis et propter plura diversa injuncta opera adimpleta, jus habeat ad indulgentiam plenariam in articulo mortis, nihilominus unam dumtaxat lucrari valeat, idque in ultimo vitæ instanti, in ipso mortis momento. Si indulgentia in articulo mortis possit defunctis applicari, illa restrictio positivæ voluntati Ecclesiæ est adscribenda. Sin autem in solius moribundi lucrum cedere possit, præfata restrictio sequitur

(1) B. Melata, *An indulgentia in articulo mortis pluries impertiri possit,* Rome, 1894, p. 9.

(2) P. Mocchegiani a Monsano, *Collectio indulg.,* 1897, n. 615. Cf. Beringer *Les indulg.,* I, p. 521-522.

(3) *Raccolta* ed. 1886, p. XXVIII, n. 3. Cf. Melata, *o. c.,* p 8; Mechl. *Tract. de Indulg.,* 1897, p. 96.

sponte ex natura rei. Non enim apparet quomodo posset quis *eodem physico momento* plures sibi lucrari indulgentias plenarias.

Notare juvat in responso ad secundam partem reformati dubii præfatam restrictionem rursus inculcari.

II. Ex alia parte decretum est ut illis qui actum heroicum charitatis pro defunctis fecerunt (1) « omnes et singulas indulgentias *quocumque* modo concessas, vel in posterum concedendas, quas lucrari possunt, animabus pariter defunctorum applicare liceat » (2).

Præterea declaratum est: « Oblationi isti (actus heroici) non satisfit ab iis qui sibi reservare volunt indulgentias quæ *pro vivis* conceduntur ; sed sunt hæ indulgentiæ, ad satisfaciendum pio proposito, *defunctis applicandæ* » (3). Si igitur indulgentia in articulo mortis pro actum heroicum professis *possit* applicari defunctis, ab eis etiam *debet* applicari, nisi oblationis suæ professionem retractare et privilegiis ei adnexis renuntiare velint.

III. Oritur nunc quæstio quænam ex duabus regulis præfatis prævalere censenda sit? An qui actum charitatis emiserunt *debeant*, an vero *non valeant* indulgentiam in articulo mortis applicare animabus purgantibus?

Pluribus auctoribus non infimæ notæ *videtur* indulgentia in casu defunctis applicanda (4); cl. Boudinhon minime dubitando idem asseverat (5); aliis tamen res

---

(1) « Actus heroicus charitatis erga animas in Purgatorio detentas in eo consistit, quod christifidelis, sive aliqua adhibita formula, sive etiam tantummodo mente, offerat Deo O. M. pro animabus Purgatorii *omnia opera satisfactoria* quæ ipse, quoad vixerit, peraget; necnon *omnia suffragia* quæ post mortem quomodocumque ei obvenire poterunt. » (Ex Decr. Urbis et Orbis, S. Cong. Indulg. 19 Dec. 1885, ap. *Nouv. Rev. Théol.*, XVIII, p. 173.

(2) Decr. Urb. et Orb. S. Congr. Ind. 20 Nov. 1854, ap. *Rescripta Authent.*, n. 392, p. 305.

(3) Decr. cit. 19 Dec. 1885.

(4) B. Melata, *op. cit.*, p. 9, sq; P. Mocchegiani, *o. c.*, n. 616; *Tractatus* Mechl. *de indulgentiis*, ed. 1897, p. 96, nota 1.

(5) *Le Canoniste contemporain*, 1901, p. 183; Item R. P. De Busschere,

valde dubia est, (1) quia speciales omnino sunt rationes cur hæc indulgentia solis vivis reservetur, et notatim quia expresso modo et sine ulla restrictione declarata fuit « personalis moribundo ». Nec videretur adeo incongruum ut Ecclesia eis, qui sponte renuntiant fructui satisfactorio suorum operum et suffragiis quæ eis post mortem obvenire possunt, reservaret occasionem unius indulgentiæ qua possent in articulo mortis minuere vel et exstinguere debitum pœnarum pro multis peccatis solvendarum. Minueretur quidem inde heroicitas hujus oblationis, maneret tamen actus præstantissimus charitatis, ad quem in forma ab Ecclesia probata emittendum allicerentur sane, cum maximo lucro meritorum pro seipsis et solatii pro animabus purgatorii, plures fideles quos alias retraheret absoluta hujus cessionis plenitudo.

Merito igitur, ut videtur, proposita fuit quæstio S. Congregationi, quæ tamen rem dirimere non est dignata. Qua de re apposite scribit R. P. Besson, S. J. (2): « La Congrégation s'abstient de répondre: *Non esse interloquendum.* Pourquoi? Nous ne le savons pas; peut-être parce que la solution n'a pas mûri. Pour ma part j'incline à croire que jusqu'à nouvel ordre cette question reste, comme auparavant, douteuse.

O. F. P., *Le Rosaire de Marie,* 1901, p. 383, qui circa hanc nostram materiam plura alia erronea vel minus accurata asserere non dubitat, v. g. moribundum posse saltem partialiter sibi lucrari plures indulgentias in articulo mortis (p. 382); omnes indulgentias etiam pro articulo mortis, concessas sodalibus confraternitatis SS. Rosarii, esse defunctis applicabiles (p. 383), dum e contrario constat in ultimo catalogo authentico harum indulgentiarum a SS. D. N. Leone XIII, 19 Aug. 1899 approbato, n. 65, expressis terminis excipi indulgentiam in articulo mortis; tandem (p. 384) nihil obstare quominus actum heroicum professi plures lucrentur indulgentias in articulo mortis pro defunctis, quod in præsenti decreto diserte rejicitur.

(1) W. Neyer, *Die Apostolische Benediktion in der Sterbestunde*, ap. *Pastor Bonus,* 1897, p. 557.

(2) *Rev. Théol. Française,* 1901, p. 158.

Dans la pratique les mourants dont il s'agit n'auront qu'à se conformer en général à l'intention de l'Eglise. » (1)

C. C.

Ex S. Pœnitentiaria

I

Non irritatur dispensatio matrimonialis eo quòd pœnitentia imposita non impletur.

Beatissime Pater,

Vicarius Gen. archidiœcesis (Cosenza) suppliciter petit ut in dispensationibus matrim. peccati causa (datis) non imponatur pœnitentia ulla, quia periculo exponitur validitas executionis, maxime quando agitur de gravi et diuturna pœnitentia. Ipse experimento novit pœnitentiam acceptari ficte, et deinde certo non adimpleri. Bonum foret ut quoad pœnitentiam provideat ipse Confessarius, et ut in concessione dispensationum pœnitentiæ nullus prorsus fiat sermo (2).

Sacra pœnitentiaria ad præmissa rescribit: Pœnitentias in executione dispensationum matrimonialium omnino imponendas esse, sed omissum earumdem adimplementum secum non ferre dispensationis invaliditatem. Et notet orator in imponendis pœnitentiis, quæ non specificantur, ab executore rationem habendam esse conditionis, ætatis, virium aliarumque qualitatum personarum, quibus dispensatio impertitur.

Datum Romæ in S. Pœnitentiaria, 14 Septembr. 1891.

R. Card. Monaco, P. M.
R. Celli, S. P., Substit.

---

(1) Addi forte posset prohibitionem lucrandi *plures* indulgentias in articulo mortis, in responso ad dubium reformatum luculenter inculcatam, potius aliquatenus favere iis qui putarent neque actum heroicum professos posse indulgentiam in articulo mortis defunctis applicare.

(2) Ex textu Italico translatum.

II

Imo non irritatur etiamsi pœnitentia acceptata fuerit sine animo eam adimplendi.

Beatissime Pater,

In dispensationibus super occultum impendimentum, probati auctores docent Confessarium, si culpabili negligentia non imponit pœnitentiam graviter peccare, attamen, secundum quasi communem sententiam, dispensationem valide executioni mandari: *non vero si pœnitens, gravem suscipiendo pœnitentiam, intentionem eam implendi non habeat.*

Docent etiam validam futuram esse dispensationem si confessio fuerit invalida et sacrilega, aut etiam si non data fuerit absolutio. Ita non ab invaliditate confessionis, nec ab omissione adimplementi subsequentis pœnitentiæ, sed ab intentione non adimplendi (pœnitentiam) prædicti Theologi deducunt invaliditatem dispensationis. Tales fictiones sæpissime accidunt, scilicet quibus acceptatur pœnitentia sine animo ipsam adimplendi. Propterea missa fuit prior petitio: nisi adesset hæc ratio prior petitio fuisset saltem importuna. (1)

Sacra pœnitentiaria Dilecto in Christo Vicario Generali scribenti super præmissis respondet: clausulæ præscribenti impositionem pœnitentiæ censeri satisfactum, etiamsi ficto animo ab iis suscipiatur qui dispensantur.

Datum Romæ in S. Pœnitentiaria, 12 Novembris 1891.

R. Card. Monaco, P. M.
A. Can. Martini, S. P., Secr.

Tractatus de jubilæo anni sancti, *aliisque jubilæis,* cui accedunt variæ appendices... auctore R. P. D. Petro Bastien O. S. B., Rollarii Flandrorum, J. De Meester, 1901.

Omni laude dignum opus conscripsit olim de jubilæo doctissimus Loiseaux (2) (R. P. Piatus O. F. M. C.); sed ex hoc tempore in praxi jubilæi jam nonnulla mutata,

(1) Ex textu Italico translatum.

(2) *Traité canonique et pratique du jubilé,* par J. Loiseaux, Tournai 1859. Novas decisiones et nonnullas correctiones indicavit ipse auctor in *Nouv. Rev. Theol.,* præsertim tt. I, VII, XI, XVIII.

dubiaque plura a SS. RR. Congregationibus soluta fuerunt.

Opus igitur perutile aggressus est R. P. Bastien et tractatum concinnavit in hoc vere laudandum, quod singulis quæstionibus locupletissimam, licet interdum minus nitidam et superfluam, adjecerit bibliographiam, et quod per modum appendicum præcipua huc spectantia documenta et indicem rerum notabilium addiderit.

Utrum autem laudatus auctor in documentis explanandis, in sententiis proponendis dijudicandisque, in antiquis opinionibus hodiernæ praxi accommodandis, apices perspicuitatis, veritatis vel et seriæ probabilitatis semper sit assecutus, dubitare licet. Missis nonnullis mendis, auctorem non adeo dilucide aut ordinate res tractare, exemplo sint p. 72 (cf. *Coll. Brug.* suprà, p. 320); p. 78 sub 3°; p. 73 in medio, collata p. 81 in fine; p. 92, nota 3, in fine; p. 96, ubi post explicata verba « *semel* in die » ignoramus quid adhuc sibi velint verba: Plures antiqui etc.; p. 156 b/; p. 158-159.

De operibus jubilæi quædam valde practica nec facillima desiderantur v. g. de processionibus instituendis et de ecclesiis designandis ac visitandis tempore jubilæi extensionis. Quæ scribit p. 76 : « ecclesia principalis loci, i. e.... in aliis vero locis, ecclesia *parochialis* » non omnino concordant cum adjecta nota R. D. Bouquillon: « ce n'est évidemment pas la *paroisse* ». Nullibi diserte asseritur visitationes debere institui per series quaternas. In hoc opere præcise oppositum affirmat ejus quod ex alio opere citavimus suprà p. 269 n. 1. In nota 2 p. 336 dicit Constitutionis publicationem faciendam esse *sine mora;* quod assertum correxit p. 350: « Episcopi *intra annum* hanc publicationem facere possunt » dum revera possunt tantum eam facere intra sex priores menses (supra p. 262). Quædam alia minus accurate tractari satis patebit legenti quæ supra de jubilæo enucleata fuerunt.

C. C.

Collationes Brugenses

Acta Congregationis Prosynodalis

habitæ die 21 Maii 1901, in Palatio Episcopali Brugis

Post Missam, omnes Amplissimi ac reverendi adm. Domini præsentes in aulam palatii majorem convenerunt, ubi, recitato hymno *Veni Creator*, Ill^{mus} ac Rev^{mus} D^{nus} venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

Amplissimi Domini ac dilectissimi Cooperatores,

Ineunte hoc sæculo vicesimo, cum oculos quaquaversus in universum terrarum orbem convertimus, mirantes ac gaudentes aspectu sistimus et conquiescimus in patria nostra, in hac nostra dilecta diœcesi, quæ nobis apparet *sicut paradisus Domini*, cui dedit Deus *de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam* benedictionum; *de rore*, inquam, *cœli*, quo bona præcipua, spiritualia, terrenisque longe anteponenda, significentur.

Re quidem vera, cum reliquæ regiones ferme omnes et singulæ vicibus suis peste, fame, bello dire vastarentur, cum et hostium spiritualium insultibus nimis paterent, patriæ nostræ non tantum diuturnam Deus concessit pacem, multiplicavit gentem nostram, bonisque terrestribus auxit, sed et ab hostibus maxime tremendis animarum nos singulari protectione defendit, mala innumera ab animabus avertit, et, rore gratiæ cœlestis abundanter immisso, suprema beneficia, scilicet supernaturalia, cæteris beneficiis addidit.

Res indubia est et luce meridiana illustrior, cujus nos omnes testes fuimus ac sumus. Et hoc addere licet eadem pretiosa dona a Domino fuisse concessa, ut concedi solent, cooperantibus, pro parte licet exigua nimis, cum divina gratia, atque allaborantibus præ cæteris Dei ministris, qui zelo indefesso, pro variis temporum aliorumque adjunctorum necessitatibus ac exigentiis, præeuntibus Episcopis, decessoribus nostris sapientissimis, ipsoque hortante Pastore su-

premo, Christi in terris Vicario, novis semper ac multiplicibus curis populum christianum excolere non destiterunt. Quorum nos laborum fructus quasi pinguem hæreditatem accepimus, sed et hodiernus Clerus noster dilectissimus, majorum suorum vestigiis inhærens, exstructam molem ædificii spiritualis non modo conservat, sed illud amplius exornare eique novas addere, pro novis adjunctis rerum, institutiones per temporalia etiam commoda ac subsidia fovendæ æternæ saluti aptissimas continuo studet, sicque ingens quasi rete operum omne genus contexuit, totam superficiem diœcesis contegens, ita ut in omni loco, omnis hominum conditio, omnis ætas præsidium atque auxilium opportunum quovis in discrimine inveniant, quo facilius ac tutius per temporalia transeant ad æterna bona consequenda.

Hæc dicta sint, non ut vanæ cuidam gloriæ indulgeamus, sed ut profundissime nos humiliantes sub potenti manu Dei, summo benefactori gratias quam maximas agamus; eo vel magis quod et ipse det princeps operans unde nos, pro modulo nostro, ipsi cooperemur. Neque magis ideo hæc dicta habeantur, ut jam turpi otio nos torpere licitum censeamus: siquidem multa nobis deinceps præstanda sunt ut habita conservemus, ut ea in melius provehamus, ut adversus antiquos et novos hosque infensissimos hostes eadem tueamur.

Profecto in præteritum oculos conjicere non decet, nisi ut mox in futurum prospicientes, Deo juvante, ad ulteriora nos extendamus. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei* (1).

Et hoc est hujus orationis propositum, ut quæ emendanda, quæ perficienda videantur, qua via quoque et modo id præstandum sit, breviter indicetur.

Præprimis quidem necesse omnino est servetur ordo inter varias ministerii sacri functiones, ordo, inquam, dignitatis atque utilitatis seu momenti rerum efficiendarum vel ipsa natura vel jussu aut consilio Prælatorum statutus.

Qua in re manifestum est natura ipsa primum tenere locum officia nostra proprie et stricte sacerdotalia, nempe offerre, orare, docere, sacra ministrare.

---

(1) *S. Luc.*, IX, 62.

Primum est et princeps officium sacerdotis litare, ita quidem ut non esset sacerdotium, nisi sacrificium esset offerendum. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis* (1).

Alterum officium priori simillimum nec, adæquate saltem, ab eo distinctum, eodem ex titulo infertur quod sacerdotes sumus, quod sacerdos est alter Christus, quod cum Christo et sub Christo mediator est Deum inter et homines: officium videlicet orandi, quod adeo inter præcipua sacerdotis officia est recensendum. Quæ quidem tum de oratione canonica præcipue seu officio divino, tum de alia oratione sive interna potissimum seu meditatione rerum divinarum, sive externa et vocali sunt intelligenda.

Adde quod utrumque munus sacrificandi et orandi exercere debet sacerdos, non tantum pro populo, sed et pro semetipso. Ut enim pergit Apostolus, modo citatus: *qui condolere possit iis, qui ignorant, et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate: et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis* (2). Nonne propria sanctificatio propriaque salus suprema lex est, ut omni fideli, ita et sacerdoti? Imo et quasi a fortiori sacerdoti, vel eo titulo quod alios sanctificare vix poterit, nisi ipsemet sanctus sit.

Atqui, an nullum putatis unquam inveniri sacerdotem ita in exteriora, aliquando futilia, aut in sui muneris, esto, officia minora effusum, ut illa longe sanctissima ac gravissima quasi accessorium quoddam habere, ut quam citissime et negligenter ea expedire, ut vix reliquias temporis diurni aut et nocturni eisdem impendere videatur? Hunc si quandoque reperiri contingat, Rev. adm. ac dilectissimi Cooperatores, instanter, quæso, monete: præterquam enim quod ex dictis hæc aperta est violatio ordinis, res est periculis alius generis iisque multiplicibus plena. Similiter, vobis hortantibus, agant omnes Pastores respectu suorum cooperatorum; imo, frater fratrem amice monere utinam numquam omittat.

---

(1) *Ad Hebr.*, V, 1.
(2) *Ad Hebr.*, V, 2 et 3.

Itaque memores usque simus oportet nos ante omnia et per omnia esse Christi sacerdotes, præprimis quidem sacrificium offerendi et orandi causa.

Præterea, sunt sacerdotes Ecclesiæ et ipsius Christi ministri et legati ad populum, cooperatores Episcoporum, qui legitimi sunt Apostolorum Christi successores; adeoque omnes pro gradu et ordine nostro dicere possumus cum Apostolo: *Pro Christo ergo legatione fungimur* (1).

Jamvero, ad quid misit Christus apostolos suos? Num ut temporalibus gregis commodis invigilarent? Hoc quidem non exclusit: quemadmodum ipse sanabat omnes ægrotos, miseros fovebat, solabatur afflictos, imo cibabat turbas, sic et Apostolis dedit gratiam curationum aliaque charismata; et hi quidem diaconos quoque instituerunt ut ministrarent mensis, atvero eum etiam in finem ut ipsimet libere essent *instantes orationi et ministerio verbi* (2).

Quid ergo Apostolos mittens ajebat Salvator? *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (3). Et nos igitur eamus ad populum, præsertim docendo fidem et præcepta, atque sacra ministrando. In rebus quidem temporalibus etiam auxilio et consilio eidem adsimus, atvero ne obliviscamur missionis nostræ principis; imo, ne nos fugiat ministerium nostrum res temporales non attingere nisi ut viam ac medium quo spirituale ministerium efficacius exerceamus, quemadmodum ipsæ divitiæ hominibus non sunt finis, nec esse possunt, sed rationem unice et mere habent mediorum ad finem consequendum seu promovendam finis assecutionem.

Sane, ni attendamus, periculum quoddam facile irrepere poterit ne accidens substantiam, ne accessorium principale vincat seu absorbeat, ne tempus ita insumatur operibus sic dictis socialibus, forte etiam mere œconomicis, ut ajunt, et materialibus, ut ministerium spirituale doctrinæ ac sacramentorum negligatur aut postponatur. Zeli hujusmodi indiscreti et non secundum scientiam atque prudentiam signa

---

(1) 2 *ad Cor.*, V, 20.
(2) *Act. Apost.*, VI, 2-4.
(3) *S. Matth.*, XXVIII, 19, 20.

quædam apud unum alterumve jam advertere visum est, qui visitationem scholarum, catechesim puerorum, directionem piarum congregationum, ministerium sacri tribunalis, aliaque hujusmodi primaria ac maxime necessaria officia posthabere videbantur, ut toti essent intenti in rem socialem, camque nimis arcte sumptam, atque, exempli causa, in coëmenda semina aut stercora aliaque similia incumberent quasi in princeps studium et officium. Cæterum, nemo non videt hujusmodi negotia caute esse tractanda a sacerdote ne invidiæ det locum, ne ansam præbeat oblocutionibus variisque incommodis, ne fiduciam multorum fidelium amittat potius quam lucretur, ne dignitatem ac auctoritatem suam pessumdet, imo ne *se implicet negottis sæcularibus, cum militare debeat Deo*, secundum verbum Apostoli (1).

Igitur et in hoc invigilate diligenter, Reverendi admodum ac dilectissimi Cooperatores, ut nullus e sacerdotibus vobis subditis non servet ad amussim quæ tum Statutis diœcesanis, tum aliis ordinationibus tam sapienter præcepta sunt de administratione sacramentorum, et, quod forte magis urget, de doctrina sacra populo tradenda, catechesi tum minori tum majori habenda, de concionibus sub omnibus missis docendi imprimis gratia, de visitatione assidua et ordinata scholarum. Timemus ne non satis proficiamus in impugnanda ignorantia rerum salutis, ne non, multiplicatis licet scholis, progressi fuerimus in spargenda doctrina christiana, quemadmodum latius exposuimus in recentibus litteris ad Clerum magistrosque scholarum. Qua de re, fatemur, plurimum solliciti sumus atque non parum angimur.

Faxit Deus ut omnes dilecti sacerdotes intelligant ac perspiciant quo tendant continua monita, hortationes, consilia nostra de pietate sacerdotali, de meditatione rerum divinarum ac studiis theologicis; det omnibus Deus cor humile ac docile ut viam quam ipsis demonstramus ac prosternimus, ordinem quoque et methodum zelosi laboris sequantur fideliter.

Ut nempe 1° omnibus princeps opus diei, et centrum totius vitæ sacerdotalis sit oblatio sacri charitate ferventis-

(1) 2 *Tim.*, II, 4.

sima et perfecto decore externo. Hic fons est totius sanctitatis propriæ, omnisque efficaciæ laborum nostrorum.

Ut 2° singulis diebus, quibus nihil extra communem ordinem accidens id impediat, sit omnibus quædam mentis et corporis saltem ad horam solitudo, quasi cellula, quæ continuata dulcescit, ad studium doctrinæ christianæ, ita ut idonei sint alios rite docere e cathedra, in sacro tribunali, in scholis; ad meditationem quoque agendorum, sine qua nihil umquam sapienter, prudenter, efficaciter nos moliri contingit. Quot præterea pericula vitabit mens solitudini isti ac recollectioni assueta, studiis intenta, sanctis meditationibus nutrita! Nihil putamus efficacius inveniri posse ad vincendum cum divina gratia adversarium, præ omnibus sacerdoti timendum, scilicet hostem domesticum seu carnalem, a quo pleraque, si non omnia, mala sacerdotis originem ducunt, quique certo ad extrema ducit, ad profundum abyssi. Et hæc quidem, quæ modo de studiis sacris et de meditatione agendorum dicebamus, non tantummodo valent ad hoc ut rite doceamus fidem divinaque præcepta, ut sacramenta salutariter administremus, ut opera spiritualia ac pia promoveamus, puta recte dirigamus congregationes, sodalitia pia, sed ad hoc etiam ut prudenter et cum fructu salutis allaboremus aliis operibus, non pure spiritualis indolis, sed mixtæ, ut solent esse opera quæ socialia nuncupant, imo et iis quæ in se et immediate sunt potius œconomicæ, ut ajunt, et materialis indolis, quamquam hujusmodi opera a sacerdote diriguntur ac dirigi debent ad altiorem finem spiritualem.

3° Hæc opera socialia et œconomica, inspectis nostrorum temporum circumstantiis, valde utilia ac necessaria, ab Episcopis et ab ipso summo Pontifice zelo cleri summopere commendantur, de quibus proinde in specie quædam addenda seu in memoriam revocanda censemus. Itaque, post munia nostra proprie et stricte sacerdotalia, de quibus supra, secundo loco et ordine veniunt opera quæ uno nomine socialia dicemus.

Sed et in his ordo servandus est, non tantum respectu priorum, quibus primum locum, ut diximus, cedere debent in sacerdotali vita et actione, sed inter se. Ordo autem iste definitur ratione affinitatis seu nexus arctioris aut laxioris

cum sanctificatione et salute animarum. Ita opera quæ mixtæ indolis vocavimus, puta quæ ad christianam virtutem temperantiæ seu sobrietatis promovendam intendunt, potioris dignitatis sunt quam quæ directe solum temporale subsidium conferunt, adeoque et majoris sollicitudinis nostræ, cæteris paribus, digna; eoque potiora sunt quo propius salutem animarum respiciunt. Sic quæ directe temperantiam seu sobrietatem promovent, qua tanta mala (apud nos fere omnia), tum individuis, tum familiis ipsique rei publicæ ex intemperantia oriunda, extinguerentur, propriæ saltem naturæ ac indolis dignitate vincunt quæ parcimoniæ aut reditui seu pensioni comparandæ student; quamquam ob arctum parcimoniæ cum sobrietate nexum, opera parcimoniæ non infimum tenent locum. Cæterum, ut quæ præ cæteris sollicitudine nostra digna sunt definiatur, præter intrinsecam quasi naturæ dignitatem et alia sunt inspicienda, ut est v. g. influxus magis universalis et major efficacia operis ad ordinem publicum stabiliendum et commune bonum promovendum, adeoque et finaliter ad salutem æternam plurium; diversa quoque diversis in locis adjuncta, necessitates atque exigentiæ peculiares sunt attendenda.

Ideo nihil sapientius, nihil melius esse potest quam ut cum perfecta et omnimoda docilitate sacerdotes, et viri catholici laïci, hujusmodi operibus sese devoventes, ultro excipiant quæ communi consilio Reverendissimi Episcopi Belgii efficienda proposuerunt, et in singulis præterea diœcesibus ductum sequantur sui Episcopi, ut toties jam inculcavit supremus Ecclesiæ Pastor. Sane in sua diœcesi Episcopus judex est et legitime imperat; neque umquam audiendi sunt qui quovis quæsito colore aut prætextu Episcopo obedientiam ac debitam docilitatem detrectare non verentur, quasi privata sententia aut sensu quodam ac lubidine abripi se sinant Prælati, aut alio quovis quam solo et puro animo divinæ gloriæ et salutis gregis sui promovendæ ducantur, quod dicere et vel cogitare profecto nefas est.

Illud tandem in hujusmodi operibus zeli est attendendum, idque eo diligentius quo magis opus quoddam remotum videtur a spirituali bono procurando, videlicet, dictum sapientis: Respice finem, id est, respice quomodo opus tendere possit ad bonum animarum, eoque illud dirige.

Hanc ob causam tam instanter commendavimus ut quæcumque opera parcimoniæ, mutualitatis, ut ajunt, aliaque similia annectantur cuidam sodalitio pio, societati cuidam intime catholicæ et religiosæ indolis. Quod quidem maxime in nostra diœcesi usui est et fieri decet, tum quia, Deo sint laudes, fere ubique locorum hujusmodi congregationes et sodalitates piæ existunt et florent, ideoque res in nostra regione facilioris est executionis, tum quia nulla apud nos, quod in aliis regionibus aliter contingit, necessitas est ut mere laïcalia, quæ vocantur, erigantur sodalitia et opera; eoque ipso potius in detrimentum religionis quam in bonum hæc instituerentur. Raro opus est apud nos, Deo sint iterum atque iterum laudes, homines, quasi essent a religione et a sacerdote alieni, paulatim per temporalia commoda ad meliora adducere, ut alibi sæpius accidit faciendum.

Cæterum, si alicubi talis necessitas sit, aut si agatur de tali opere quod vix potest annecti alicui pio sodalitio, ut sunt pleraque opera naturæ pure œconomicæ, ut quæ cooperativæ nuncupantur societates, item uniones ejusdem artis et conditionis hominum, aliaque similia, tum sedulo attendatur monitum sæpius a Nobis datum, ut scilicet hujusmodi opera non omnem religiosum caracterem exuant, sed servetur saltem minimum religiosæ indolis a Nobis olim indicatum. Hujusmodi instituta, ne obliviscamur, maximam prudentiam a parte sacerdotis et peritiam rerum exigunt, nec facile sine consilio peritorum et expressa superiorum approbatione sunt attentanda; ea quoque, ni cautiones adhibeantur, haud ægre in adversam partem, influxui salutari religionis et cleri prius subtracta, detorquerentur.

Neque hoc supervacaneum erit obiter notare, in iis institutis quæ negotiationem implicant, in iis quæ in re pecuniaria gerenda versantur, clerico esse cavendum ne sive in leges canonicas impingat, sive civiliter respondeat ultra quam licet aut decet; inde rursum intelliges cur ad consilium peritorum et superiorum assensum in similibus rebus recurrendum esse plus semel monuimus.

Ex modo propositis pronum est quædam educere ad praxim utilissima, quæque extra omne dubium posita nulla demonstratione indigent.

Primo quidem, opera quæ mixta vocavimus, in quibus

non modo indirecte sed et directe, imo et primario agitur de conservandis, tuendis, promovendis fide et bonis moribus hominum protegendorum, ut sunt opus *conscriptorum*, opus *emigrantium* præsertim temporanei laboris causa, opus *nautarum*, opera *alcoolismum impugnantia*, aliaque hujusmodi, ea omnia, ut patet, directe et per se spirituali sacerdotis missioni subjiciuntur, ejusque zelo maxime sunt commendanda; præ cæteris vero, ut iterum iterumque in memoriam id revocemus, opera quæ ad temperantiam seu sobrietatem promovendam spectant. Hæc magis urgent, suntque præliminare quoddam omni actioni sociali. Quorsum enim et cui bono sortem materialem pauperum et operariorum in melius convertere et promovere, quamdiu ebrietate seu nimia compotatione omnia consumuntur, cum proprio corporis et animi detrimento, et ruina totius familiæ? Et quomodo paci publicæ et bono spirituali populi nostri efficacius allaborabimus, quam extirpando hanc radicem, dicere non vereor, omnium fere in nostra gente malorum, etiam spiritualium?

Secundo, opera quæ directe vel et primario tendunt ad levamen paupertatis, ad auxilium qualecumque ferendum miseris et operariis in necessitatibus eorum corporalibus, sunt opera eleemosynæ seu misericordiæ et charitatis in proximum; neque enim eleemosyna corporalis sola panis, aut pecuniæ elargitione continetur, sed omni etiam subsidio, opera atque consilio ad miseriam corporalem levandam. Proinde, qua opera christianæ misericordiæ, missionis sacerdotalis ambitum nequaquam excedunt: fiant autem semper animo exercendi virtutem christianam, et dirigantur præterea ad altiorem finem spiritualis boni miserabilium hominum, quemadmodum corporalia suapte natura spiritualibus subordinantur.

Tandem tertio, opera quæ directe et ex se immediate tendunt ad sortem temporalem hominum certæ conditionis, vel artis, puta, agricolarum, artificum meliorandam, nec proprie eleemosynæ naturam induunt, quia non agitur præcise de miseria et paupertate lenienda, ea directe et secundum se non pertinent ad missionem sacerdotis. Ne tamen inde concludas sacerdotem iis sese immiscere non posse, aut saltem non debere, cum utilissimus, imo, certis in adjunctis, necessarius sit sacerdotis interventus. Unde et

hujusmodi instituere, aut instituta promovere, inspectis rerum, locorum, temporum circumstantiis, prudenti consilio adjutum, annuente superiore, sacerdotem minime dedecet; necnon ad commune bonum et ad efficaciam addendam missioni spirituali Ecclesiæ plurimum juvare potest; sed hoc ex ipsa natura hujusmodi operum deducitur, scilicet, totam sacerdotis operam in iis instituendis aut promovendis in eo collocari debere ut ad finem pacis publicæ, bonique communis, et denique tandem ad religionis et Ecclesiæ laudem ac profectum, salutemque animarum dirigantur. Quam ob causam, ut supra dicebamus, tanti momenti est ut caracter religiosus iis operibus imprimatur, isque quam maxime licet intimus et efficax. Ex quibus etiam omnino necesse esse intelligetur ut, æqua lance retenta inter varias humani convictus classes, non uni præ altera faveat sed omnibus æque paratus sit opem ferre sacerdos; qua in re, mediæ classis civibus, si agricolas apud nos excipias, forte minus provisum est, quamquam res difficultate non caret.

Finem dicendi facimus, Reverendi admodum Domini et dilectissimi Cooperatores, docilitatem atque zelum vestrum, totiusque Cleri, cujus vos Nobiscum duces ac patres estis, appellando, ut omnes, attentis sedulo his monitis nostris, ordinem ac methodum zelosi laboris observent fideliter, ut nemo novitatis sensu quodam, aut vanitate quasi sciolus se abripi, sed solida ratione seriaque meditatione rerum, consilio quoque et ductu superiorum regi se sinat; ut omnes tandem et singuli præprimis in munia sua stricte sacerdotalia toto animi fervore incumbant, studioque sanctificationis propriæ vacent; eo vel magis quod, si instrumentum sumus in manu Domini ad divinam gloriam salutemque animarum promovendam, nemini dubium esse potest quin id ea mensura, ea efficacia efficiamus, qua mensura, qua intima unione aptamur manui supremi omnium bonorum Artificis.

Quum Rev^mus^ D^nus^ dicendi finem fecisset, auditis Ampl. et RR. adm. DD. sententiis, a Rev^ma^ sua Dominatione promulgatæ sunt ordinationes sequentes:

I.

Vi Indulti pontificii, Nobis, 11 Augusti 1900, ad quinquennium concessi, RR. adm. DD. Decanis facultatem impertimur benedicendi nolas recenter fusas in usum Nobis commissæ Diœcesis; « ipsa non excepta aquæ benedictione, si qua legitima causa id exigat, dummodo servetur forma in Pontificali Romano præscripta. »

II.

Rescriptis S. Congregationis Concilii, 17 et 20 Maii 1901, ad triennium, Episcopo Brugensi prorogata est facultas missarum perpetuarum onera suæ Diœcesis, tum nondum reducta reducendi, tum alias jam reducta iterum reducendi, justis scilicet de causis, « ac signanter propter diminutionem legatorum redituum, aut inopiam eorum qui ad onera implenda tenentur,... quoties nemo sit qui ad eleemosynæ supplementum de jure et utiliter cogi queat,... sub lege ut de missarum sic reductarum adimplemento coram Ordinario quotannis docere singuli indultarii teneantur. »

Auctoritate igitur apostolica et dummodo *exposita rationum momenta adhuc perdurent*, ad 17-20 Maii 1904 prorogamus fundationum reductiones, a Nobis aut Decessoribus nostris concessas, quin exinceps opus sit, dum ad finem vergit concessionis tempus, ad Nos dirigere actum authenticum reductionis, ut huic prorogatio inscribatur. Sufficiet, ad tramites concessionis pontificiæ, quotannis, exoneratis missis reductis, de earum adimplemento nos doceant Parochi.

III.

Deinceps concedimus confessariis facultatem commutandi-dispensando vota non reservata omnibus diebus, quibus, juxta *Tractatum de casibus reservatis*, anno 1898 a Nobis editum, pag. 22, sub B, n. 2, 3, 4, communis confessarius, pro territorio in quo jurisdictionem exercet, gaudet facultate absolvendi a casibus Episcopo reservatis.

IV.

Ut principiis obstemus, prohibemus ne clericus quivis rheda tertiæ seu infimæ classis in via ferrea utatur; neve quovis in loco, quo cuicumque adventanti patet accessus, tabaco utatur fumeo..

V.

Invigilent RR. DD. Parochi ut sæpius mundentur ecclesiæ, speciatim confessionalia, vasa aquæ benedictæ, utque omnino exstirpetur mos exspuendi in pavimentum.

VI.

Omnes dilectos sacerdotes nostros iterum in Domino obsecramus ut, tum ipsimet cum omnimoda ædificatione populi sacra peragant altarique ministrent, religiose et propter conscientiam servantes omnes rubricas, tum fidelem populum puerosque sæpius doceant quæcumque conferunt ad fructuosam assistentiam sacrosancto Missæ sacrificio, aliisque divinis officiis, præcipue parochialibus (Vid. *Lib. manual.*, 2ᵃᵉ edit., pp. 157 sq.).

Omni ope atque opera, collatisque consiliis remedium afferre conentur abusui lugendo nimis summisque malis gravido, omissionis Missæ in diebus de præcepto, qui paulatim irrepere videtur, tum incuria parentum, ita ut quibusdam in locis vel ipsi pueri et adolescentes non infrequenter Missam non audiant, tum generatim facilitate itinerandi, frequentia festivitatum mundanarum aliisque causis jam ansam præbentibus vix aut non adeundi ecclesias.

VII.

Stadia Exercitiorum spiritualium, ad quæ, occasione Jubilæi, dilectum Clerum universum impense invitamus, hoc anno erunt quinque:

1ᵐ Rollarii, inchoandum Dominica, 18 Augusti, hora VIII vespertina.

2ᵐ Brugis, Dominica, 25 Augusti, hora VII vespertina.

3m Poperingis, Dominica, 1 Septembris, hora VII vespertina.

4m Rollarii, Dominica, 15 Septembris, hora VIII vespertina.

5m Brugis, pro Professoribus, eadem die 15 Septembris, hora VII vespertina.

Non omittant RR. DD. Exercitaturi, *datis litteris* ad Superiorem domus, in qua Exercitia obire cupiunt, locum postulare, quindecim ante Exercitia diebus, quatenus nomina eorum catalogo adscribi valeant.

Datum Brugis, 4 Junii 1901.

† G. J., Episc. Brugen.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Augusti-Septembris.

—

I

Explica Gen. XLIX, 8 *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui.* 9 *Catulus leonis Juda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum?* 10 *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium.*

II

Da notionem infallibilitatis in docendo, quæ magisterio Ecclesiæ competit, et generatim indica objectum ad quod extenditur.

III

Explica hanc propositionem: actus formalis fidei debet esse firmus æstimative super omnia.

IV

Expone undenam *in ipso actu fidei* firmitas super omnia proveniat.

V

Expone quomodo assensus super omnia firmus possibilis sit pueris et rudioribus?

VI

Describe indolem jurisdictionis parochialis.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Maii propositas.

—

I

Q. Explica Apoc. II, 20-23: *Sed habeo adversus te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere et seducere servos meos, fornicari et manducare de idolothytis. Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, et non vult pœnitere a fornicatione sua. Ecce mittam eam in lectum, et qui mœchantur cum ea in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint. Et filios ejus interficiam in morte, et scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans renes et corda.*

R. Thyatiræ episcopus laudes acceperat v. 19; Sequitur nunc vituperatio, quia malum quod vi muneris sui impedire debebat impune grassari permittit; hujus autem mali 1° tum subjectum, tum gravitas indicatur (20, 21), et 2° pœna prædicitur (22, 23).

1° *Sed habeo adversus te (pauca*, ολιγα, non pertinet ad textum: deest in fere omnibus codd. et facile irrepsit ex v. 14), *quia permittis* (ἀφεις = sinis, episcopus certe positivam permissionem non dedit, sed non impedivit) *mulierem* (+ σου, uxorem tuam, cf. supra p. 350) *Jezabel, quæ se dicit propheten, docere et seducere* (potius juxta græcum: et docet et seducit; seducit est explicatio et quasi correctio prioris) (1), *servos meos* (= christianos) *fornicari et manducare de idolothytis.*

---

(1) Crimen docendi non est distinctum a crimime seducendi, ac si mulier violasset prohibitionem a S. Paulo mulieribus factam docendi in publicis Christianorum cœtibus (1 Cor. XIV, 34; 1 Tim. II, 11, 12): occulte enim nefandam doctrinam spargebat.

a/ Persona peccans.

1. Illa mulier est persona quædam individua, non personificatio sectæ Nicolaïtarum: etenim α/ non posset impia secta exhiberi ut uxor pii episcopi; β/ secta personificata non distinguitur ab ejus asseclis, hæc autem mulier distinguitur ab ejus amatoribus et filiis in pœnæ comminatione; γ/ pœna tandem qua plectetur ægre intelligitur de quadam persona ficta.

2. Est episcopi uxor, ut l. c. diximus; quod incredibile videri non debet, nam peccatum ejus occultum fuisse innuitur ex duplici designatione Christi v. 18 *hæc dicit Filius Dei qui habet oculos tanquam flammam ignis,* qui sunt symbolum scientiæ et v. 23. *Et scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans renes et corda*, cui scil. etiam secretissima peccata cognita sunt.

3. Nomen *Jezabel* non intelligendum est ut nomen huic mulieri proprium, sed symbolicum, quod ipsi propter analogiam cum Jezabel, regis Achab uxore, imponitur: sicut enim hæc Israelitas traxit ad cultum impudicum et idololatricum Baal, ipsa vero adulterii accusabatur, ita illa luxuriam et esum idolothytorum Christianis commendabat et ipsa adulteria committebat.

4. *Quæ se dicit propheten:* prætensum illud charisma simul fuit callidæ mulieri aptum medium celandi perversum modum agendi, et procaci occasio alliciendi viros ad luxuriandum cum ipsa; non raro enim cum religiosa exaltatione conjungitur libidinis excitatio.

b/ Ipsum peccatum.

Secta cujus hæc episcopi uxor caput existebat, eadem erat ac illa quæ vv. 6 et 15 Nicolaïtarum vocatur: eadem enim erat doctrina practica: non tantummodo permittebant, sed commendabant luxuriam et esum idolothytorum (Cfr. vv. 14 et 20). Et rationem speculativam allegabant ut hoc modo cognoscerent *altitudines* (βαθέα melius profunda) *Satanæ* (v. 24), non utique ad ibi pereundum, sed ad addiscendam ejus impotentiam.

Fornicatio intelligenda est non sensu metaphorico de

idololatria ut sæpe in S. Scriptura, sed sensu proprio: ita enim cohæret cum interpretatione totius contextus quam secundum proprium sensum proponendam esse censemus. Esus idolothytorum seu carnium idolis immolatarum qui a gentilibus post sacrificium peractum fieri solebat cum amicis sive in fano sive in privatis ædibus, non erat directa participatio idololatriæ sed occasionis peccati periculosa frequentatio. Notanda hic venit comparatio cum decreto Apostolorum Act. XV 28, 29. Ex verbis Christi fidelibus Thyatiræ directis: *Non mittam super vos aliud pondus. Tamen id quod habetis, tenete*, (vv. 25, 26) sequitur eos præter præscriptiones quas observant, præsertim abstinentiam a fornicatione et idolothytis, aliis similis speciei non teneri. Ex quatuor ergo prohibitionibus in concilio Hierosolymitano latis duæ adhuc obligabant; duæ vero, abstinentia a suffocatis et sanguine, usu abolitæ jam erant in Ecclesiis Asiaticis circa finem Sæculi I[1]; ex illa porro allusione ad Act. XV 28, 29 confirmatur fornicationem de qua hic agitur sensu proprio esse sumendam.

Gravitas peccati inde augetur quod ab aliquanto jam tempore perdurat et quod admonitionem jam recepisse peccatrix videtur: *et dedi illi tempus ut* (= in quo) *pœnitentiam ageret: et* (= sed) *non vult pœnitere a fornicatione sua* (21).

2° Comminatio pœnæ

a/ in ipsam mulierem: *Ecce mittam* (melius juxta meliorem lect. *mitto* sed cum significatione proximi futuri) *eam in lectum*, ita ut idem thorus adulterio maculatus fiat lectus doloris et pœna respondeat culpæ.

b/ in amatores ejus: *et qui mœchantur cum ea in tribulatione maxima erunt*, (juxta græcum: in tribulationem maximam [mitto]) *nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint* (græce probabilius εργων αυτης, ab operibus ejus, np. Jezabelis; sunt opera ejus quatenus ea sermonibus suis commendavit et cum ipsis de facto patravit.

Conditionata, adeoque benignior apparet sententia

erga complices, tum quia mulieri olim jam concessum est spatium pœnitentiæ, tum quia hæc apparet ut seducens, illi ut seducti.

c/ in filios: *et filios ejus interficiam in morte.* Filios intelligimus non sensu metaphorico de discipulis sed sensu proprio: secus non distinguerentur ab amatoribus; filii autem probabilius sunt legitimi, non adulterini, hæc enim determinatio addi debuisset; sunt ergo simul filii episcopi, dicitur tamen *filios ejus* et non: *filios tuos* quia mors eorum exhiberi debet ut pœna matris, non vero patris. Auctor sicut VI, 8, ita etiam hic mortem ponit pro peste, modum loquendi imitatus LXX qui vocem hebraïcam *deber* (pestis) non raro vertunt per θάνατος.

A. D. B.

II

Q. *Quæritur utrum cultus* hyperduliæ *qui tribuitur B. Mariæ V. quatenus hæc est Mater Dei, sit* specifice *diversus a cultu duliæ qui cæteris Sanctis tribuitur.*

R. I. **Prænotandum** nomen *dulia* diversis acceptionibus usurpari a S. Thoma:

a/ *dulia*, in sua universalissima acceptione, significat omnem cultum, qui debetur alicui ratione excellentiæ *dominii.* Etenim « dulia quantum ad proprietatem vocabuli dicit servitutem communiter, cuicumque debeatur » (1). Unde quum Deus sit supremus omnium dominus, et quum Ipsi qua tali debeatur reverentia, ideo etiam cultus qui Deo debetur est dulia, quatenus hæc significat *servitutem cuicumque debeatur.* Animadvertamus oportet in Deo per rationem distingui posse duplicem excellentiam: unam quæ a creaturis participari nequit, et hæc est excellentia Creatoris, secundum

(1) S. Thom. in III, D. IX, Q. II, a. 1, ad 1.

quod Deus est finis et origo prima nostri esse; alteram quæ participatur a creaturis, et hæc est excellentia dominii: nam licet creatura non participet potentiam creandi, participat tamen quamdam similitudinem divini dominii, secundum quod habet super aliquam creaturam particularem potestatem, fundatam in aliqua ratione principii (1). Porro ad significandum honorem qui debetur Deo ratione excellentiæ Creatoris (quam nulla creatura participare potest) accommodatum est nomen *latria;* ad significandum autem honorem qui debetur alicui ratione excellentiæ dominii (quæ diversa quidem ratione invenitur et in Deo et in creaturis) impositum est nomen *dulia* (2). Inde dicit S. Thomas: « Ipsi Deo Patri debetur honor latriæ propter deitatem et honor duliæ propter dominium quo gubernat creaturam. » (3) et alibi: « Sicut religio per excellentiam dicitur pietas inquantum Deus est per excellentiam pater; ita etiam latria per excellentiam dicitur dulia, inquantum Deus excellenter est dominus » (4).

Ergo nomen *dulia* in sua universalissima acceptione designat omnem cultum et analogicè dicitur tum de cultu qui Deo, tum de quolibet cultu qui alicui creaturæ debetur (5).

b/ *Dulia,* sensu minus lato et generico significat omnem cultum qui *creaturæ* debetur: « nomen duliæ commune contrahitur et quodammodo appropriatur ad

(1) Cf. Ill. ac Rev^mus Waffelaert, *Principes généraux de la Science Sociale,* n. 98, ex doctrina S. Thomæ, 2, 2, q. CI et sqq.

(2) Ita fere Billot, De Verbo Incarnato, 3^a Ed., p. 324.

(3) III, Q. XXV, a. 2. Ad ulteriorem hujus loci explicationem, cfr. Cajetan. in h. l. et Billuart, *De Incarnatione*, disp. XXIII, a. 2, nota.

(4) II-II^æ, Q. CIII, a 3, ad 1.

(5) Notemus bene non duos specie diversos cultus tribui Deo: quia unica est excellentia *divina*, ratione cujus specialis omnino et supremus debetur cultus, ideo unicus est cultus Dei: quia autem hæc divina excellentia eminenter continet omnem excellentiam et diversa ratione considerari potest, ideo cultus Dei, secundum supra dicta, vocari potest *latria, pietas, dulia:* attamen nomen proprium divino cultui qua tali est latria.

honorem creaturæ » (1). In hoc sensu dulia opponitur latriæ, et est nomen genericum quod sub se continet varias species: in creaturis enim inveniuntur excellentiæ formaliter diversæ ob quas tribuendi sunt cultus specifice diversi.

c/ Dulia, sensu stricto et specifico dicitur dupliciter: σ/ uno modo secundum quod designat « reverentiam (quam) exhibet servus domino... et secundum hoc non dividitur in diversas species, sed est una speciorum observantiæ... eo quod alia ratione servus reveretur dominum, miles ducem, discipulus magistrum, et sic de aliis hujusmodi. » (2); ϵ/ alio modo secundum quod designat reverentiam quæ Sanctis ob supernaturalem ipsorum sanctitatem tribuitur. Hanc acceptionem indicat S. Thomas: « Abraham adoravit eos (sc. angelos), putavit quod essent viri sancti a Deo missi: et adoravit eos adoratione duliæ, quæ exhibetur sanctis.... » (3).

II. De dulia in hoc ultimo sensu accepta, (sc. quatenus designat cultum qui convenit Sanctis ob eorum supernaturalem sanctitatem) (4) inquiritur utrum sit specifice diversa a cultu qui B. Mariæ V. tribuitur quatenus hæc est Dei mater.

Consequenter ad ea quæ in præcedenti nostra responsione, p. 352 exposuimus, respondemus *affirmative*.

Quæ responsio sic probatur:

Si excellentiæ super quas fundatur debitum adorationis seu cultus sunt formaliter diversæ, etiam cultus erunt specifice diversi. Atqui excellentia super quam fundatur debitum colendi Mariam ut Dei matrem est formaliter diversa ab excellentia propter quam colendi sunt Sancti. Ergo cultus Mariæ qui vocatur hyperdulia est specifice diversus a cultu duliæ qui Sanctis tribuitur.

---

(1) S. Thom in III, D. IX, Q. II, a. 1, ad 1.
(2) S. Thom. II-IIæ, Q. CIII, a. 4.
(3) In Epist. ad Hebræos, C. XIII, lect. 1.
(4) Cf. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 238.

Major constat: etenim excellentia est objectum formale actus adorationis seu cultus: est enim ratio propter quam formaliter alicui tribuitur honor. Atqui ex objectis formalibus specificantur actus: ergo ex excellentiis formaliter diversis consequuntur adorationes seu cultus specifice diversi (1).

Minor consequitur ex illis quæ supra p. 353 exposuimus: ibi enim ostendimus Mariæ inesse aliquam omnino specialem dignitatem quæ ipsi immediate advenit ex maternitate divina, et propter quam Maria absoluto honoranda est cultu. Porro hæc excellentia Matris Dei est formaliter diversa ab excellentia sanctitatis supernaturalis: excellentia enim maternitatis divinæ consistit in *affinitate* omnino speciali quam habet Maria ad Deum propter consanguinitatem omnino specialem quam ut mater habet ad incarnatum Verbum; excellentia vero sanctitatis supernaturalis consistit in unione supernaturali quam creatura rationalis habet ad Deum ut *finem ultimum*. Utraque quidem excellentia consistit in quadam unione cum Deo: sed omnino alterius ordinis est unio Mariæ tamquam matris ad incarnatum Verbum, et alterius ordinis unio creaturæ ad Deum tamquam ad ultimum finem. Ergo excellentia maternitatis divinæ formaliter diversa est ab excellentia sanctitatis supernaturalis.

Nota. Licet hæc dignitas quæ Mariæ inest, quatenus est Dei Mater, sit formaliter diversa a sanctitate supernaturali hanc tamen connaturaliter exigit illa dignitas. Nam « quanto aliquid magis appropinquat principio in

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, T. V, p. 471. Hoc docet S. Thomas: « Respondeo dicendum, quod habitus diversificantur per actus et actus per objecta: unde ubi invenitur diversa ratio objecti, oportet quod sint actus et habitus specie differentes. Cum ergo honor debeatur alicui ratione excellentiæ quam habet, et non sit ejusdem rationis excellentia in diversis; ideo oportet quod sit alia ratio honoris et alia virtus secundum speciem, quæ diversos honores exhibet: non enim idem honor debetur patri, regi et magistro, et sic de aliis..... » In III, D. IX, Q, II, a. 2.

quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii.... Christus autem est principium gratiæ, secundum Divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter.... Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo præ cæteris majorem debuit a Christo gratiæ plenitudinem accipere » (1).

Inde dignitas maternitatis divinæ est ratio exigitiva plenitudinis donorum gratiæ et gloriæ (2). Quare ubi dicitur Mariam cultu hyperduliæ esse colendam *quia Dei mater est*, hæc profecto dignitas consideranda est *et formaliter in se ipsa et* etiam *quatenus virtualiter continet omnia dona gratiæ et gloriæ.* Sed dignitas *Matris Dei* illa est quæ Mariæ omnina propria est et a qua tamquam a radice et mensura dependent omnes excellentiæ quæ Mariæ insunt: inde maternitas divina est ratio formalis propter quam Maria honoratur cultu omnino speciali.

Corollarium. Ex hoc quod actus cultus qui tribuitur Mariæ tamquam Matri Dei est specifice diversus ab actu cultus qui tribuitur aliis Sanctis, sequitur etiam virtutem qua inclinamur ad honorandam Mariam ut Dei Matrem esse specifice diversam a virtute qua inclinamur ad honorandos alios Sanctos: ab actibus enim specificantur habitus.

J. V. D. M.

---

(1) S. Thom. III, Q. XXVII, a. 5.

(2) Hac de re optime scripsit P. Terrien in egregio opere quod nuper edidit et cujus titulus est: *La Mère de Dieu et la Mère des Hommes.* (Paris, Lethielleux, 1900): ad quæstionem hic indicatam, v. præsertim 1a P., T. 1, L. III.

III

Q. Expone quomodo virtutes morales per se infusæ secundum suam essentiam sint ad invicem *connexæ?*

R. Ad connexionem proprie dictam (1) requiritur ut plura connexa sic sese in solidum ad invicem teneant, *ut nullum ex eis sine omnibus aliis consistere possit.* Si enim unum sine altero nequeat consistere, alterum tamen sine illo primo, erit quidem habitudo dependentiæ vel exigentiæ ex una parte sese tenens, connexio autem proprie dicta de qua loquimur nequaquam existet.

Virtutes igitur morales per se infusæ dicuntur secundum suam essentiam ad invicem connexæ, quatenus *secundum suam simplicem essentiam consideratæ* (2), sic sese in solidum tenent ut nulla ex eis sine aliis omnibus esse possit et, una pereunte, amittantur et reliquæ omnes.

Virtutes autem morales per se infusas secundum suam essentiam esse connexas veritas est in philosophia morali fundata. Etenim, easdem inter se essentiales relationes servant virtutes morales infusæ, quas inter se habent virtutes naturales analogæ perfectæ, salva semper respectiva conditione propria.

Atqui virtutes morales *naturales perfectæ* secundum suam essentiam sunt ad invicem connexæ.

Ergo secundum suam essentiam etiam connexæ sunt virtutes morales per se infusæ.

Major sequitur ex generali principio: ordo supernaturalis naturalem ordinem non destruit sed perficit

---

(1) Cfr. Billot, *o. c.*, p. 144 ss.

(2) Dicitur « *secundum suam simplicem essentiam consideratæ* » i. e. quatenus sunt habitus supernaturales bene disponentes ad suum respective speciale objectum, abstrahendo a statu ultimæ formationis extrinsecæ ac perfectionis quam cæteris virtutibus infusis affert charitas theologica. Vide notam finalem.

ac elevat. Principia operandi supernaturalia inseruntur naturæ, adeoque principiis operativis naturalibus ità correspondent ut, salva utriusque ordinis diversa conditione, eædem vigeant essentiales relationes inter prudentiam infusam et infusam justitiam, temperantiam ac fortitudinem, quæ inter correspondentes acquisitas.

Minor probatur. Ultro concedimus virtutes morales naturales quoad essentiam *imperfectas* inter se non esse connexas. Virtus imperfecta est, quæ vel non attingit rationem essentialem habitus, sed est quædam dispositio vel inclinatio ad aliquod bonum, orta aut ex temperamento aut ex assuetudine quorumdam actuum imperfectorum; vel si attingat rationem essentialem habitus, non tamen ità firmiter inhæret subjecto ut det rectum usum constanter et in omnibus occurrentibus impedimentis. Ità videmus aliquos ex naturali complexione vel ex aliqua consuetudine promptos ad opera misericordiæ qui non sunt prompti ad opera castitatis. Ità aliquis potest habere temperantiæ habitum ut non sinat se abduci amore superfluæ delectationis, sinat tamen timore mortis. Virtutes alterutro modo imperfectæ non sunt igitur inter se connexæ (1). — At, hujusmodi imperfectiones in virtutibus infusis non occurrunt: vel enim istæ virtutes nullo modo existunt, vel si existunt, necessario sunt perfectæ saltem quoad suam essentiam, seu quoad suum esse intrinsecum.

Virtus *perfecta* est quæ sic firmiter subjectum actuat ac perficit, ut illud inclinet ad opus bonum constanter et in omni eventu, non obstantibus obstaculis sive in propria materia sive in connexis materiis occurrentibus. Jam vero, virtutes morales naturales *perfectæ* sunt inter se connexæ.

Ratio connexionis apparet juxta Angelicum (2), sive

---

(1) Cfr. Billuart, *Tract. de pass. et virt.* Diss. I, Art. IV, § 2. — Ill^{mi} ac Reverend^{mi} Waffelaert, *De Prud. Fortit. ac Temp.* p. 18 s.

(2) *Summa theol.* 1^{a} 2^{æ} q. 64 a. 1 in corp.

virtutes cardinales considerentur ut *generales conditiones* omni virtuti communes, sive spectentur ut *virtutes speciales* in propria materia (cfr. suprà p. 306 ss).

Etenim si eas accipias ut *conditiones communes* omni virtuti, eo ipso deficiet ratio virtutis; quod vel una conditio desit, quia nec prudentia vera est quæ justa, temperans ac fortis non sit, et eadem ratio est de aliis.

Similiter, si eas accipias ut *virtutes speciales*, nulla virtus moralis sine prudentia esse potest, et vicissim sine moralibus virtutibus prudentia haberi non potest.

Et primo, nulla virtus moralis sine prudentia esse potest. Prudentia enim est directiva cæterarum virtutum moralium, quatenus homo per virtutes morales debite inclinatus in finem, ope prudentiæ recte eligit ea quæ sunt ad finem in unaquaque virtutum materia. Hinc sæpius videmus eos qui aliqua virtute videntur pollere, puta fortes, misericordes, pœnitentes, devotos etc. defectu prudentiæ male eligere in propria illarum virtutum materia ea quæ sunt ad finem. Sola scil. prudentia illud medium rationis constituere valet quod virtutes morales in variis operationibus et passionibus servare debent.

Secundo vicissim prudentia nequit esse sine virtutibus moralibus. Etenim prudentia non potest recte eligere et disponere ea quæ sunt ad finem in singulis materiis virtutum moralium, nisi sit in subjecto relate ad fines illos bene disposito, quæ recta appetitus dispositio habetur per ipsas virtutes morales. Judicium scil. prudentiæ est *practicum.* « Cum enim aliquis prudenter se habet ad ea quæ sunt temperantiæ v. g., non eatenus prudenter se habet, quatenus potens est bene discurrere circa cibum et potum prout sumendum in ea quantitate quam oportet, et ubi et quando et propter quod oportet, (hoc enim facere potest quilibet etiam gulosus vel ebriosus); sed quatenus recto dictamine prætico judicat quid sibi *in hac materia hic et nunc* bonum sit. Bona autem habitudo ad tale judicium ferendum dependet a bona habitudine appetitus ad materiam de qua judican-

dum est, pro quanto scilicet hæc habitudo est in ratione ut substante appetitui. Iracundus enim non potest esse bene dispositus ad bene judicandum *practice* de tenendo medio mansuetudinis, nec superbus de tenendo medio humilitatis, nec gulosus de tenendo medio sobrietatis (1) ».

Ergo cùm nulla virtus moralis *perfecta* esse possit sine prudentia, neque prudentia possit esse sine consortio omnium virtutum moralium, nulla esse potest virtus moralis *perfecta* nisi omnes alias habeat sibi connexas.

Jam vero, ut ad *majorem* dicebamus, si secundum essentiam connexæ sunt virtutes morales naturales perfectæ, eodem modo connectuntur virtutes morales per se infusæ.

Nota. De sola connexione *essentiali* virtutum moralium infusarum agit quæstio præsens. Ut notum est, virtutes omnes infusæ, adeoque etiam morales infusæ connexæ sunt *in suo fieri* uti dicunt, quatenus omnes simul infunduntur, nec ulla earum a cæteris sejuncta infundi possit. Connectuntur autem infusæ morales in fieri ratione connexionis in esse, cùm solitarie *fieri seu infundi* non possint quæ solitarie *esse* nequeunt. — Præterea omnes virtutes infusæ adeoque morales præterea *in suo esse et in suo fieri* connexæ sunt ex connexione cum *charitate theologica* eas informante, quacum simul infunduntur et, qua amissa per peccatum mortale, etiam amittuntur (2).

A. C.

---

(1) Billot *o. c.* p. 149 nota.

(2) Cfr. Billot *l. c.* Charitas, uti notum est, est cæterarum virtutum forma (non essentialis et intrinseca sed) *extrinseca, extrinsece perficiens,* quatenus est habituale principium omnes actus aliarum virtutum in finem ultimum referens. Ratio dictæ connexionis sic exponitur ab Ill° ac Reverend° Waffelaert: « Sicut in ordine naturæ,ità in ordine gratiæ Deus non indit alicui rei principium operum quin in eadem re constituantur omnia necessaria ad illa opera perficienda; et vicissim non po-

IV

Q. An Virtutes per se infusæ *diminui* possunt? Proba responsum.

Prænota. Præsens solutio ut *corollarium* fluit ex duplici quæstione suprà (p. 244 ss.) exposita, scilicet de natura virtutum infusarum, necnon de relatione quæ virtutes infusas inter et acquisitas viget. Utrumque responsum præsupponimus.

Respondetur. Virtutes per se infusæ non habent causam diminutionis intrinsecæ seu proprie dictæ, qua in se diminueretur essentia habitus supernaturalis. — Attamen virtutes per se infusæ diminui possunt, uti aiunt, ab extrinseco et modo indirecto, id est remitti possunt in actuum fervore et frequentia; tùm per cessationem ab operibus illarum virtutum, tùm per peccata venialia ipsis opposita. Utroque enim modo diminuuntur virtutes acquisitæ infusis virtutibus inservientes.

Probatur prior pars. Virtutes per se infusæ nullam habent causam **diminutionis intrinsecæ.** Etenim diminutio directa ac intrinseca virtutis infusæ oriretur a Deo vel ab aliquo peccato. « A Deo quidem, ut loquitur S. Thomas (1), non causatur aliquis defectus in nobis nisi per modum pœnæ..... Pœna autem debetur peccato ». Ergo si virtus infusa intrinsece diminueretur, causa diminutionis esset peccatum sive mortale, sive veniale.

Atqui neutrum dici potest.

---

nuntur in aliqua re instrumenta optime disposita, nisi simul insit altior virtus iis utens eaque movens. Jamvero charitas in quantum ordinat hominum in finem ultimum est principium omnium bonorum operum quæ in finem ultimum ordinari possunt. Unde oportet cum charitate simul infundantur omnes virtutes morales, quibus homo perficit singulas species bonorum operum, et quod charitate amissa, virtutes morales infusæ amittantur. » *o. c.* p. 20.

(1) *Summa theol.*, 2ª, 2ᵃᵉ, q. 24, a. 10 in corp.

Causa diminutionis non est peccatum *mortale:* etenim peccatum lethale meretur corruptionem seu totalem subtractionem virtutis infusæ a Deo, ponendo in homine dispositionem moralem eidem virtuti repugnantem et cum ea incompossibilem. Per peccatum enim mortale charitas theologica, adeoque justitia supernaturalis totaliter perditur.

Neque causa diminutionis est peccatum *veniale*. Nam, si peccatum veniale intrinsece minueret justitiam supernaturalem adeoque habitus infusos, posset homo per multa peccata venialia absque ullo peccato mortali pedetentim (1) devenire ad amissionem totius justitiæ supernaturalis.

Atqui hoc pugnat cum doctrina Ecclesiæ docentis justitiæ statum indefinite non tolli per peccata venialia (Itâ Conc. Milev. II, can. 7. — Trid. Sess. VI, Can. 11 et 23) (2).

Cæterùm peccatum veniale præfatam diminutionem producere nequit neque ut causa formalis dispositiva, neque ut causa meritoria. **Primò**, *non ut causa formalis dispositiva.* Etenim cum non sit contra sed tantum *præter* substantiale ac primarium bonum virtutum infusarum, non inducit dispositionem moralem repugnantem gradui intensivo quem obtinent dictæ virtutes in justo, ac illæsum relinquit ordinem voluntatis ad substantiale bonum virtutum. — **Secundò**, *non ut causa meritoria.* Cùm enim aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in majori, nec Deus sese plus avertit ab homine, quam homo se avertat ab ipso. Unde qui inordinate se habet in iis quæ illæsum relinquunt habitualem ordinem in finem, non meretur detrimentum pati

(1) Cùm enim virtutes per se infusæ sint finitæ et omne finitum per detractionem finiti absumatur, tot possent multiplicari venialia ut virtutes infusas destruant.

(2) Cfr. C. Pesch, *Tract. Dogm.*, Tract. VIII, Friburgi Brisgoviæ 1898, p. 35.

in iis per quæ habitualiter ordinatur ad eumdem finem » (1).

Probatur altera pars. Virtutes per se infusæ diminui possunt, uti dicunt, **ab extrinseco et indirecte** scil. **possunt remitti in actuum fervore et frequentia**: tùm per cessationem ab operibus illarum virtutum, tùm per peccata venialia. *Ratio est quia utroque modo intrinsece diminuuntur habitus acquisiti qui inserviunt exercitio virtutum infusarum,* eique facilitatem conferunt ac promptitudinem, quatenus vincunt difficultates extrinsecas, minuunt atque destruunt inclinationem ad vitium oppositum, ut supra explicatum fuit (2).

Primò, habitus acquisiti minuuntur *per solam cessationem ab actibus virtutum infusarum.* Nam conservatio uniuscujusque rei dependet a causa sua efficiente; causa autem efficiens habitus seu virtutis naturalis est actus humanus (etiam elevatus) frequenter repetitus. (Facultas enim per virtutem infusam elevata eumdem servat modum tendendi in objectum quem habuisset absente elevatione, et ità acquiritur habitus naturalis). Cessantibus igitur actibus virtutis infusæ, diminuitur virtus acquisita correspondens, quatenus deperditur facilitas operandi, et ità sensim præparatur totalis amissio ipsius virtutis infusæ per peccatum mortale. Etenim « cum aliquis non utitur habitu virtutis ad moderandas passiones vel operationes proprias, necesse est quod insurgant multæ passiones et operationes præter modum virtutis ex inclinatione appetitus sensitivi et aliorum quæ exterius movent (3) ».

Secundò, *peccata venialia* frequenter commissa diminuunt vel impediunt eosdem habitus acquisitos, adeoque sensim sine sensu minuitur proclivitas seu inclinatio

---

(1) Cfr. Billot, *De Virtutibus infusis,* Romæ 1901, p. 47.

(2) Cfr. p. 248 ss. Huic quæstioni præsupponimus relationem virtutes infusas inter et acquisitas ibidem expositam.

(3) S. Thomas, *Summa theol.*, 1ª, 2ªᵉ, q. 53, a. 3 in corp.

ad actus similis tendentiæ impressa facultatibus animæ per actus bonos frequenter repetitos. Ut supra dicebamus (1): Sicut virtutes acquisitæ, virtutibus infusis inservientes, efficienter generantur et augentur ex eo quod facultates *multoties* moventur ad actus ejusdem tendentiæ, ità efficienter diminuuntur et totaliter destrui possunt per hoc quod eædem facultates *multoties* moventur ad actus oppositos. — Præterea peccata venialia non tantum diminuunt bonos habitus acquisitos, sed simul generant habitus oppositos malos quibus homo justus pedetenim disponitur ad peccatum mortale.

Animadvertendum tamen quod simplex cessatio ab actu non est causa diminutionis ac corruptionis eodem modo ac frequentatio actuum virtuti oppositorum: est enim solum causa *per accidens*, in quantum cessationis tempore absunt actus prohibentes seu comprimentes positiva corruptiva (ut peccata) quæ sunt causa diminutionis ac corruptionis *directa* et *per se* (2).

A. C.

V

Q. *Explica modum quo indulgentia effectum suum operatur.*

R. *Duplici modo* potest indulgentia spectari: sive *passive* et in ipso effectu, sub qua ratione passim eam definiunt AA. eamque, post ipsos, descripsimus, suprà p. 241 et seq.; sive quasi *active* seu in ipso actu legitimæ potestatis haurientis ex thesauro Ecclesiæ, et satisfactiones Christi et Sanctorum ex thesauro haustas applicantis ad effectum relaxandæ pœnæ temporalis: qua ratione sumitur quotiescumque indagatur circa effectum indulgentiæ et circa modum quo effectum suum operatur.

Quo monito, ad petitum respondemus indulgentiam operari remissionem pœnæ temporalis:

(1) Cfr. p. 251.
(2) Billot, *o. c.*, p. 29.

A/ **Independenter** *a dispositione subjecti tanquam causaliter influente in effectum indulgentiæ.*

Nimirum statim ac adest actus legitimæ potestatis haurientis et applicantis satisfactiones in thesauro reconditas, causa existit de se efficax ad remissionem pœnæ, ex virtute illarum satisfactionum, quatenus a legitima potestate applicantur; nec ulla ratio est habenda actionis vel dispositionis subjecti, tanquam causaliter influentis in effectum indulgentiæ, non secus ac in sacramentis, quæ vidimus, statim ac in suo esse constituuntur, suo modo valere ad infusionem gratiæ, independenter a dispositione subjectiva ministri vel subjecti tanquam causaliter influente in effectum sacramentalem. Cf. *Collat. Brug.*, III, p. 515 et seq.; S. Thom., *Suppl.*, qu. 25, art. 2.

Dicitur 1°/ « independenter a dispositione subjectiva *tanquam causaliter influente* ». Rursus enim ad analogiam dictorum circa modum operandi sacramentorum, excluditur ab opere operantis influxus *positivus et causalis* in remissionem pœnæ per indulgentiam consequendam, sed minime negatur dependentia aliqua *negativa*, quatenus

a/ requiruntur in subjecto quædam conditiones sine quibus non sive ad valorem sive ad fructum, vel quædam dispositiones tanquam *removentes prohibens*. Ita passim postulatur adimpletio quorumdam operum, necnon intentio indulgentiam lucrandi; pariter requiritur in subjecto status gratiæ, cujus defectus constituit *obicem simpliciter*, totaliter impedientem fructum indulgentiæ (1); et

b/ quatenus, sublato obice simpliciter, *plenius* obtinetur effectus indulgentiæ plenariæ pro *pleniori* remissione peccatorum venialium, cum non relaxetur pœna temporalis nisi in quantum peccatum, quoad culpam

(1) Cf. etiam dicenda infrà de defunctis.

est prævie remissum (1). Culpa scilicet venialis relicta esset quasi obex *secundum quid* ad plenam indulgentiæ consecutionem. Cf. *Collat.*, III, p. 516.

Additur 2°/ «... *in effectum indulgentiæ* », nempe in remissionem pœnæ vi indulgentiæ obtinendam : quod non impedit quominus iisdem operibus præstitis, quæ vices explent conditionis sine qua non ad effectum indulgentiæ, non impedit, inquam, quominus illis innata virtus agnoscatur non tantum meritoria sed et satisfactoria, ex opere operantis valens in ulteriorem solutionem pœnæ, si quæ relinquatur, independentem a remissione pœnæ per indulgentiam comparata.

B/ **Infallibiliter** operatur *totum* effectum suum *saltem pro vivis*, seu, juxta vulgatum axioma, *tantum valet quantum pronuntiatur*, in supposito quod a legitima auctoritate conceditur, et quod conditiones adsunt ad valorem et ad fructum necessariæ.

Dicitur : « *saltem pro vivis* ». Et profectò vix dubium movetur circa indulgentiam *pro vivis*, siquidem in hac non tantum in compensationem offeruntur satisfactiones abundè sufficientes, sed etiam *auctoritative* in solutio-

---

(1) Semel autem ac peccata omnia sunt quoad culpam penitus deleta. nihil jam obstat quominus integer fructus comparetur indulgentiæ, etiamsi *in minimo devotionis gradu* peragantur opera præscripta. Attamen cum ad pleniorem peccatorum venialium remissionem conferat actualis devotio subjecti, *hac ratione indirecta* potest indulgentiæ fructus *negative* pendere a devotione opera adimplentis : quo sensu intelligi potest Bonifacius VIII, *Antiquorum*, ubi ait : « unusquisque... indulgentiam efficacius consequetur qui basilicas ipsas (SS. Petri et Pauli) amplius et devotius visitabit ». Ulterius, juxta Lehmk., *Theol. Mor.*, II, n. 526, collato n. 534, ferventior devotio subjecti potest esse conditio, qua posita, amplior obtingat *partialis* indulgentiæ effectus. Nimirum, uti vidimus, lucrantes indulgentiam partialem, tantam consequuntur pœnæ remissionem quantam consecuti fuissent explentes pœnitentiam canonicam tot dierum vel annorum, quot dierum vel annorum inscribitur indulgentia ; proinde, sicut olim efficacia pœnitentiæ canonicæ mensurabatur juxta fervorem pœnitentis, pronum est ut et nunc indulgentiæ efficacia augeatur pro crescente dispositione ipsam indulgentiam lucrantis, ita tamen ut major fervor non sit *causa* amplioris remissionis sed mera *conditio sine qua non*.

nem *imponuntur* Deo creditori, vi nempe auctoritatis cui competit reatum pœnæ solvere vel ligare.

Idem vero argumentum non possumus urgere quoad indulgentiam *pro defunctis:* equidem, non secus ac pro vivis, abundantes satisfactiones offeruntur in compensationem pœnæ relaxandæ, sed, deficiente jurisdictione in defunctos, *auctoritative imponi* nequeunt in solutionem, sed *suppliciter* dumtaxat *offerri*, cui supplicationi Deum necessariò acquiescere apodictice demonstrari posse non videtur.

Infallibilitatem proinde indulgentiæ pro defunctis, in operando integro suo effectu, certò vindicare non audemus, licet sententia illam propugnans magis placeat, utpote quæ magis commendat auctoritatem Ecclesiæ, bonitatem Dei et dignitatem satisfactionum Christi et Sanctorum.

Et revera, si bene attendatur indulgentiæ indoles, non tantum sollicitat Ecclesia ut Deus ignoscat animæ purganti, sed, simul cum instanti oratione dilectissimæ Christi sponsæ (1), offert Deo, in compensationem pœnæ solvendæ, abundantissimas satisfactiones Christi Domini et Sanctorum, quæ satisfactiones ad hoc in thesauro sunt reconditæ ab ipso Deo ut prosint in pœnarum remissionem omnibus qui sunt in communione sanctorum, quæque, notate, ab Ecclesia *auctoritative dispensantur*, vi nempe auctoritatis ab ipso Deo super thesauro concreditæ (2).

Huic sententiæ favent vel saltem in eam inclinant S. Thomas, *Supplem.*, qu. XXV, art. 2, in corpore; Suarez, disp. LIII, Sect. III, n. 3 et seq., cum Aucto-

(1) Censemus nempe, uti videre est supra, p. 299, in indulgentia pro defunctis satisfactiones, thesauro haustas ex Deo suppliciter offerri *ab ipsa Ecclesia* et non a vivente qui opera præstat.

(2) Inde intelligitur Leo X, in Decretali *Exurge* ad Cajetanum, docens Pontificem indulgentiam concedere « apostolica auctoritate thesaurum Jesu Christi et sanctorum dispensando... »

ribus citatis, collata disp. LVI, sect. III, n. 5 et seq. (1); De Lugo, *De Pœnitentia,* disp. XXVII, n. 59; Theodorus a Spir. S°, *De Indulgentiis*, Part. I, cap. V, art. 6 et 7 et cap. XIV, art. 5; Beringer, *Les Indulgences*, tom. I, p. 46-47; Pesch, *Prælectiones dogmaticæ*, VII, n. 478-479 (2).

Ad *objectionem* quæ deduci solet ex praxi in Ecclesia vigente, juxta quam *pluries eidem* defuncto applicatur indulgentia plenaria, puta altaris privilegiati, responderi potest Ecclesiam sequi viam tutiorem; cæterum non constare utrum causa adfuerit proportionata et rite fuerint adimpleta opera præscripta; tandem posse supponi obicem in anima purgante ad modum quem proponit Lehmk., op. cit., II, n. 181, et post eum Pesch, op. cit., VII, n. 479, quatenus nempe « ob certa peccata in hac vita commissa Deus eam (animam) excludat a communicatione suffragiorum, donec ira divina placata sit » (3). Cf. etiam Sasse, op. cit., p. 252.

Neque dicas ex admissa infallibilitate indulgentiæ pro defunctis sequi Ecclesiam posse a pœnis liberare omnes simul animas purgatorii; præter namque modò adnotata, non est omittendum ad valorem indulgentiæ requiri causam proportionatam, quam frustra quæreres pro hujusmodi exorbitanti concessione.

Tandem ex responso S. Congr. Indulg. 28 Julii

---

(1) Inter alia provocant prælaudati auctores ad eamdem Decretalem, cujus tenor ibidem refertur.

(2) Bellarminus, *De Indulgentiis*, l. I, cap. XIV, n. 7, neutram sententiam reprobare audet et opinionem infallibilitatem tuentem vocat admodum piam; huic autem sententiæ minus favent Palmieri, *De Penitentia,* pp. 479-480, collatis pp. 434-435; Sasse, *De Sacramentis Ecclesiæ,* II, p. 251-252; quorum cæteroquin opinio magis congruit cum sententia quam amplectuntur iidem AA, juxta quam Ecclesia non est quæ indulgentiam applicat defunctis sed ipse vivens. Cf. supra, p. 299, in nota. Consentit Theol. Mechl., *De Indulgentiis*, p. 18.

(3) « Hoc autem non obest infallibilitati indulgentiarum, non magis quam obest efficaciæ sacramentorum quod gratiam non dent habenti obicem ». Pesch, l. c.

1840 (1) ad summum eruitur infallibilem efficaciam, juxta mentem Ecclesiæ, non esse certam.

Nota. De modo operandi proprio indulgentiæ pro vivis et indulgentiæ pro defunctis actum est suprà, p. 297 et seq.

A. D. S.

VI

Q. *Quibusnam ritibus et precibus impertienda est Benedictio Apostolica in articulo mortis, 1° si immediate post Extremam Unctionem datur; 2° in casu quo mors proxime urgeat?*

R. 1° Si immediate post Extremam Unctionem datur Benedictio Apostolica, nisi agatur de casu quo infirmus est adeo morti proximus ut tempus non suppetat et de quo agetur in 2°, adhibenda est, sicuti alias, integra formula a Benedicto XIV in Bulla *Pia Mater* præscripta, quam exhibet Rituale Romanum tit. V, cap. 6 (2), incipiendo saltem a verbis *Adjutorium nostrum* etc. Dicimus *saltem* a verbis *Adjutorium* etc.; dubitatur enim utrum salutatio *Pax huic domui* et aspersio aquæ benedictæ sub antiphona *Asperges me* etc. omitti non possint, quum jam in ingressu Sacerdotis ante Extremam Unctionem vel ante Viaticum dicta et facta fuerint. Juxta plures (3) securius repetuntur ante Benedictionem, quia Benedictus XIV præcipit formulam a se confectam stricte usurpari, prædicta autem in formula habentur. Breviarium tamen Romanum (Editio typica) post *Ordinem commendationis animæ* exhibet eamdem « formulam ad imper-

(1) « Per indulgentiam altaris privilegiati, si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligendam esse indulgentiam plenariam, quæ animam statim liberet ab omnibus purgatorii pœnis: si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam, cujus mensura divinæ misericordiæ beneplacito et acceptioni respondet ».

(2) Cfr. p. 309.

(3) Vide De Herdt III, n° 310; Ill. Vanderstappen, *de Administratione Sacram.*, q. 244.

tiendam indulgentiam plenariam in articulo mortis » et omittit salutationem et aspersionem, unde erui videtur eas in casu nostro non requiri. (1) Reliquæ autem omnes preces et cæremoniæ præscriptæ adhibendæ sunt a Sacerdote superpelliceo et stola violacea induto. Unde quamvis *Confiteor* jam fuerit recitatum in administratione Extremæ Unctionis, imo et in administratione Viatici, tamen repetendum est juxta decretum S. C. Indulg. 5 Feb. 1841, quo respondetur, juxta praxim et rubricas tribus vicibus necesse esse recitare *Confiteor*, in casu quo administratur viaticum et Extrema Unctio ac indulgentia in mortis articulo impertitur. Inde etiam concludi debet singulis vicibus repetenda esse *Misereatur* et *Indulgentiam* quia hæc Confessionem generalem semper subsequuntur (2).

2° « Si infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum suppetat tempus, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur ». Ita Rituale, l. c., n° 7; Breviarium autem Romanum (editionis typicæ) determinat, ubinam incipiendum sit in casu, addens textui Ritualis: « dicendo *Dominus noster etc.* Et si mors proxime urgeat », ita scilicet ut nec tempus permittat totam formulam *Dominus noster* et sequentia recitare, « dicat (Sacerdos): Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen ».

H. V. D. W.

---

(1) Cfr. Pourbaix n° 693; O'keane *Explications des rubriques du rituel*, n° 968.

(2) Aliqui dubitant utrum dicendum sit *Indulgentiam*, quia in forma à Benedicto XIV et a Rituali præscripta ponitur tantum *Misereatur etc.* Sed sub hac expressione sufficienter comprehendi formulam *Indulgentiam* merito concluditur, quum in similibus casibus hæc semper subsequitur *Misereatur*. Ita v. gr. in « *Formula absolutionis generalis pro Regularibus* » et in « *Formula Benedictionis cum indulgentia plenaria pro Tertiariis sæcularibus* », quæ in Appendice Ritualis inveniuntur, indicatur expresse *Indulgentiam etc.* post *Misereatur etc.*

Fabriques d'église

Les conseils de fabrique sont tenus de se réunir en séance ordinaire, le Dimanche 7 Juillet prochain (art. 10 du décret du 30 Décembre 1809).

Cette séance sera consacrée principalement à l'examen du budget pour l'exercice de 1902, à moins que cet examen n'ait été fait à la séance légale du mois d'Avril.

On sait que le budget de la fabrique doit être, avant le 15 Août, transmis, en quadruple expédition et avec toutes les pièces à l'appui, au conseil communal, qui doit en délibérer et donner son *avis* (art. 1, 2 et 14, de la loi du 4 Mars 1870).

Voir sur la confection et l'examen du budget De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compendium*, T. II, n. 1089 sv. (éd. 1899) — Cfr. *Collat. Brug.*, T. I, p. 309 et 368; T. II, p. 349.

Ex S. R. et Univ. Inquisitione

De cautionibus præstandis in matrimoniis mixtis et de ritu eorundem matrimoniorum.

I. Sufficitne in matrimoniis promiscuis, si pars catholica promittat, sine juramento et absente parte acatholica, coram duobus testibus, se id acturum ut pars acatholica convertatur.

II. Utrum continuari possit usus, qui invaluit, ut matrimonia mixta celebrentur in Ecclesia sine benedictione nuptiali ad vitandum periculum, ne coram ministro acatholico celebrentur.

RESPONSUM.

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. Detur *Instructio Antonelliana diei 15 Decembris 1853.*

Die 24 Novembris 1900.

EX INSTRUCTIONE ANTONELLIANA.

Jam vero quod attinet ad prædictas conditiones, de his nempe mixtis nuptiis extra Ecclesiam, et sine parochi benedictione alioque sacro ritu celebrandis, cum conditiones ipsæ in plurimis similium dispensationum rescriptis clare aperteque fuerint enunciatæ, in aliis vero permultis rescriptis haud explicite expressæ, quamvis iisdem rescriptis implicite continerentur, idcirco Sanctissimus Dominus Noster, pro summa ac singulari sua prudentia, hanc formularum varietatem de medio tollendam existimavit, ac jussit in posterum unam eamdemque formulam esse adhibendam ab omnibus Congregationibus, per quas hæc Apostolica Sedes dispensationes super hoc mixtæ religionis impedimento concedere solet. Itaque, rebus omnibus maturo examine perpensis, temporumque ratione habita, et iis consideratis, quæ a pluribus Episcopis exposita fuere, atque in consilium adhibitis nonnullis S. R. E. Cardinalibus, idem Sanctissimus Dominus Noster constituit, in harum dispensationum concessione utendam esse formulam illius rescripti, quo etiamsi conditiones prædictæ de mixtis hisce conjugiis extra Ecclesiam, et absque parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis haud aperte declarantur, tamen implicite continentur. Ac Sanctitas Sua omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios vehementer in Domino monet, hortatur, et excitat, eisque mandat, ut cum ipsi in posterum hujus rescripti formula ab hac Sancta Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtæ religionis, in eadem facultate exsequenda nunquam desistant omni cura, studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce matrimoniis extra Ecclesiam, et absque parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis. Quod si in aliquibus locis sacrorum Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad hujusmodi majora damna, ac mala vitanda, prudenti eorumdem sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis firmisque semper, ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a conjuge catholico, de conversione acatholici conjugis ab ipso conjuge catholico

pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate catholicæ religionis omnino educanda, judicent quando commemoratæ conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra Ecclesiam, et absque parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce conjugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in diœcesano Rituali legitime præscriptum, exclusa tamen semper Missæ celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum, ac personarum adjunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate, et gravitate. Summopere autem exoptat Sanctitas Sua ut iidem sacrorum Antistites hujusmodi indulgentiam, seu potius tolerantiam eorum arbitrio, et conscientiæ omnino commissam, majori, quo fieri potest, silentio ac secreto servent. Cum vero contingere possit, ut iidem Antistites nondum fuerint exequuti illa similium dispensationum rescripta, quæ ipsis ante hanc Instructionem concessa fuere, idcirco ad omnes dubitationes amovendas Sanctitas Sua declarandum esse jussit, eosdem Antistes hanc Instructionem sequi debere in commemoratis exequendis rescriptis.

Pensions de vieillesse

(Loi du 10 Mai 1900 et Arrêté royal du 20 Octobre 1900).

I

Les Ministres des cultes sont-ils admissibles aux primes annuelles d'encouragement accordées *par l'Etat* en vertu de la loi du 10 Mai 1900, et dont le montant est fixé à 60 centimes par franc versé (a. 5)?

Voici la réponse que M. le Ministre de l'Industrie et du Travail a faite à cette question dans sa dépêche du 18 Avril 1901.

MONSIEUR,

Vous m'avez demandé si les ministres des cultes sont admissibles aux primes instituées par la loi du 10 mai 1900 à raison de leurs versements à la Caisse de retraite.

Il est résulté de l'examen de cette question que les termes « agents de l'État », employés dans l'alinéa final de l'article 2 de la dite loi, doivent recevoir une interprétation large; ils s'appliquent à toutes personnes dont les services sont, pour une cause quelconque, rétribués par l'État. Dès lors, bien qu'ils ne soient pas agents de l'État, au sens littéral et usuel de cette expression, les ministres des cultes dont les traitements ou indemnités sont à charge du Trésor public, sont exclus du bénéfice des primes d'encouragement du moment où ils ont droit à une pension de retraite en vertu des lois et règlements qui les régissent.

Ils peuvent, toutefois, s'affilier à la Caisse de retraite, et leurs versements, s'ils sont opérés par l'intermédiaire d'une mutualité reconnue, seront pris en considération au point de vue de l'allocation à cette société de la subvention de deux francs par livret prévue par l'article 12 de la loi précitée.

Les ecclésiastiques, séminaristes ou congréganistes qui ne reçoivent pas de l'État un traitement ou indemnité avec ouverture à un droit certain à une pension, sont admissibles, d'autre part, aux primes de 60 centimes par franc versé.

Agréez, etc.

Le Ministre,
Bon SURMONT DE VOLSBERGHE.

II

Exécution de l'article 7 de la loi du 10 Mai 1900.

Plusieurs ouvriers hésitent à s'affilier aux mutualités de retraite, parce que le capital versé, même le capital réservé, leur semble versé à fonds perdus, attendu que ce capital n'est remboursé qu'au décès du rentier, à ses héritiers ou ayants droit, sous déduction de 3 °/₀ pour frais d'administration. Il est naturel d'ailleurs, et l'on comprend que les ouvriers célibataires ou veufs sans enfants et n'ayant point de proches parents, désirent jouir personnellement du capital formé par leurs versements.

Aussi la loi du 10 Mai 1900 dit-elle (art. 7, al. 1) « Un arrêté royal pourra décréter, complémentairement aux dispositions de l'article 52 de la loi du 16 Mars 1865, que la Caisse de retraite aura la faculté de rembourser à l'assuré, après l'entrée en jouissance de sa rente, la valeur de rachat du capital réservé ». L'arrêté royal du 11 Mars 1901 a autorisé la Caisse de retraite à rembourser, sur leur demande, aux personnes entrées en jouissance de leurs rentes, la valeur de rachat du capital réservé, c'est-à-dire ce capital réduit à ce qu'il vaut au moment où l'intéressé en demande le remboursement. Le tarif suivant, annexé à l'arrêté royal du 11 Mars, servira de base au calcul de la somme à rembourser.

TARIF I. — Valeurs de rachat d'un capital de 1 franc réservé.

AGE.	VALEUR DE RACHAT.	AGE.	VALEUR DE RACHAT.
50 ans.	0.554	71 ans.	0.755
51 —	0.564	72 —	0.763
52 —	0.573	73 —	0.770
53 —	0.583	74 —	0.777
54 —	0.592	75 —	0.784
55 —	0.602	76 —	0.791
56 —	0.612	77 —	0.797
57 —	0.621	78 —	0.804
58 —	0.631	79 —	0.810
59 —	0.641	80 —	0.816
60 —	0.651	81 —	0.823
61 —	0.661	82 —	0.828
62 —	0.671	83 —	0.833
63 —	0.680	84 —	0.839
64 —	0.690	85 —	0.844
65 —	0.699	86 —	0.847
66 —	0.707	87 —	0.851
67 —	0.717	88 —	0.855
68 —	0.727	89 —	0.859
69 —	0.737	90 —	0.864
70 —	0.746		

III

Règlement organique des commissions provinciales d'appel instituées par arrêté ministériel du 5 Avril 1901 en exécution de l'article 11 de l'arrêté royal du 20 Octobre 1900 sur les **allocations de 65 francs.**

Article premier. — Les commissions d'appel instituées par l'arrêté ministériel du 5 avril 1901 sont composées d'un délégué du Gouvernement, d'un délégué du Conseil supérieur du travail et d'un délégué de la Députation permanente du Conseil provincial. Chaque membre aura un suppléant, qui le remplacera en cas d'empêchement.

Les membres suppléants ont le droit d'assister à toutes

les séances de la commission. Ils n'ont voix délibérative qu'en cas d'absence du membre effectif qu'ils sont respectivement appelés à remplacer.

Art. 2. — Le mandat des membres effectifs et suppléants s'étend à trois sessions annuelles ; en conséquence, le mandat des membres désignés pour l'exercice 1901 prendra fin le 31 décembre 1903. En cas de vacance, le membre désigné en remplacement d'un membre décédé ou démissionnaire achève le mandat de celui-ci.

Le mandat de tout membre peut être renouvelé à l'expiration de sa durée.

Art. 3. — Le délégué du Gouvernement, ou en son absence, son suppléant, est président de la commission.

Il fixe les séances et envoie les convocations, reçoit la correspondance, veille à l'exécution des lois et règlements, contresigne les acquits des recettes, ordonnance les dépenses et signe, avec le secrétaire-trésorier, au nom de la commission, les extraits des délibérations.

Art. 4. — Le Ministre de l'Industrie et du Travail désignera auprès de chaque commission un secrétaire-trésorier, qui assistera aux séances sans avoir, en cette qualité, voix délibérative. Son mandat aura la même durée que celui des membres.

Le secrétaire-trésorier tient la correspondance, rédige les procès-verbaux, transcrit les délibérations et résolutions, expédie les écritures et veille à la conservation des archives et du matériel.

Il donne acquit des recettes et paye sur mandats visés par le président. Il est responsable des fonds qu'il détient ; il en opère le placement et le retrait sur un ordre signé par le président.

Art. 5. — Chaque année, la commission soumet au Ministre de l'Industrie et du Travail le budget de ses recettes et dépenses, ainsi que le compte des opérations de l'exercice antérieur, avec les pièces justificatives des dépenses. Le budget et le compte sont arrêtés par le Ministre.

Art. 6. — Le mandat des membres effectifs et suppléants est gratuit ; toutefois, des jetons de présence pourront être attribués aux membres ouvriers et au secrétaire-trésorier. En outre, celui-ci pourra recevoir une indemnité. Les frais

de déplacement des membres et du secrétaire-trésorier seront remboursés sur les bases établies pour les comités de patronage par l'arrêté royal du 18 octobre 1898.

Art. 7. — Les commissions statuent dans le mois de la date où elles auront été saisies de l'appel.

Elles pourront, avant de statuer, prendre les mesures d'instruction nécessaires, et spécialement réclamer des comités de patronage, des administrations communales, des intéressés et de toutes autres personnes les renseignements qui leur paraîtront utiles.

Les décisions des commissions sont en dernier ressort; elles sont notifiées sans retard à l'intéressé et au Gouverneur. Après la notification, les dossiers sont renvoyés au Gouverneur pour être transmis par ses soins au Ministre de l'Industrie et du Travail.

Art. 8. — Tous les ans, dès la fin de leurs travaux, les commissions adressent au Ministre un rapport sur les résultats de la session; elles lui font connaître les observations qu'elles ont pu faire au cours de leur mission.

Bruxelles, le 25 avril 1901.

Le Ministre,
Bon Surmont de Volsberghe.

A. C.

Consultationes

I

Cuinam S. Rituum Congregationis decreto standum est in transferenda Solemnitate Patroni loci, utrum decreto diei 2 Decembris 1891, in *Collat. Brugen.* relato tomo V, p. 448 ad III; an decreto diei 6 Martii 1896 in eodem periodico relato tom. II, ubi pag. 238 in adnotationibus sub 5° ponitur exemplum festi S. Eligii (1 Decembris), cujus solemnitas in Dominicam Adventus *non primam* sed *secundam* transferenda dicitur?

R. Utrique decreto standum est, quum nulla inter utrumque habeatur discordantia quoad solemnitatem festorum non transferendam in Dominicam majorem primæ classis. In decreto enim 6 Martii 1896 ad II decernitur solemnitatem illam celebrari non posse « in festis Circumcisionis et SS. Trinitatis, die Octava Epiphaniæ, Dominica Passionis et Dominica in Albis, *quæ festa quælibet alia, etiam duplicia primæ classis excludunt* », quod applicari optime debet aliis Dominicis primæ classis, scilicet Dominicæ primæ Adventus, primæ Quadragesimæ et Dominicæ Palmarum, cum æque omnia festa impediunt. Unde, si festum S. Eligii patroni loci occurrat infra hebdomadam quæ præcedit primam Dominicam (1 cl.) Adventus, solemnitas, uti diximus tom. II, p. 239, transferenda est non in Dominicam hanc primam sed in secundam Adventus.

Nec licet simplificare hanc solemnitatem in Dominica prima addendo orationi missæ Dominicæ orationem festi S. Eligii sub unica conclusione, quia ex III ejusdem decreti, eruitur solemnitatem, quando impeditur per occurrentiam Dominicæ primæ classis, ideo nec omittendam esse nec simplificandam sed *transferendam in proximiorem Dominicam liberam*, quæ in casu nostro

est secunda Adventus. Jamvero in decreto 2 Decembris 1891 (primò publicati in nova Collectione Decretorum anno 1900) ad IV explicite idem statuitur: « Si solemnitas ipsa translata incidat *in Dominicam primæ classis* vel in qua Vigilia Nativitatis Domini occurrat... missa erit de Dominica; quoad reliqua servatis rubricis... et *eadem solemnitas in proximiorem Dominicam liberam transferatur* ». Ideo ex hoc decreto idem sequitur, scilicet: si festum S. Eligii Patroni occurrit *infra hebdomadam ante primam Dominicam Adventus*, ejus Solemnitas celebranda non est in hac Dominica, utpote impedita, sed transferenda est in secundam Dominicam, quæ cum non sit nisi secundæ classis, libera est pro celebratione solemnitatis.

In errorem autem vel dubitationem Reverendum Dominum consultantem induxisse videtur confusio inter *ipsum festum* Patroni incidens in Dominicam primæ classis et *solemnitatem festi* per hebdomadam occurrentis in Dominica primæ classis sequenti celebrandam. Decretum 2 Decembris 1891 sub numero III, quem citat, agit de primo casu et disponit ut, si « *festum (v. gr. S. Eligii Patroni)* cujus esset transferenda solemnitas *(si infra hebdomadam occurreret)*, incidat in aliquam ex Dominicis primæ classis (Palmarum excepta) semiduplicis *(v. gr. Dom. 1 Adventus)* aut duplicis minoris ritus *(Dom. in Albis)*, cantabitur missa de Dominica et illius primæ orationi adjungetur, sub unica conclusione, occurrentis festi *(S. Eligii Patroni loci)* commemoratio: quoad reliqua serventur Rubricæ et *de dicta solemnitate nihil amplius fiat*. Si vero incidat in Dominicam Palmarum aut in festum aliquod ex solemnioribus Universalis Ecclesiæ *(puta Pascha, Pentecosten etc.)*, nulla de eo commemoratio fiat, neque transferatur solemnitas, sed officium tantum juxta rubricas ».

Ex hoc ergo decreto 2 Decembris 1891 ad III, sequitur festum Patroni loci incidens in Dominicam primæ classis impedientem ejus celebrationem per officium et

missam, nunquam transferri quoad Solemnitatem in sequentem Dominicam, sed vel fieri ejus commemorationem in missa solemni Dominicæ occurrentis, per ejus orationem additam primæ orationi missæ sub unica conclusione, (prouti fit hoc anno 1901 die 1 Decembris, Dominica prima Adventus, in locis ubi S. Eligius est Patronus), vel omitti omnino omnem commemorationem et solemnitatem, si scilicet occurrit in Dominica Palmarum vel in Dominicis in quibus celebratur unum ex festis solemnioribus universalis Ecclesiæ. Ex eodem autem decreto ad IV et ex decreto 6 Martii 1896 ad II et III concluditur: si agitur non de festo incidente in Dominicam primæ classis (qualis est Dominica prima Adventus), sed de facienda solemnitate festi occurrentis per hebdomadam præcedentem, illa solemnitas fieri non potest in hac Dominica, sed transferenda est in ulteriorem Dominicam liberam, v. gr. in Dominicam secundam Adventus pro festo S. Eligii occurrente ante Dominicam primam.

H. V. D. W.

II

Ex variis locis, v. gr. ex Tomo I Collectionis Epistolarum Pastoralium, p. 296, nota 2, videtur colligendum indultum fuisse pro semper « ut confessarii facultatibus, occasione Adorationis Perpetuæ concessis, etiam utantur in favorem suorum pœnitentium, quibus infra octavam præfatæ solemnitatis absolutionem distulerint, modo infra quindenam dispositi revertantur ad eundem confessarium. »

Quæritur 1/ utrum hæc extensio facultatum adhuc subsistat. De ea namque non fit mentio in Tractatu de Casibus in Diœcesi Brugensi reservatis.

Si hæc extensio facultatum adhuc subsistat,

Quæritur 2/ a quanam die incipiat quindena de qua fit mentio, utrum a die ipsius Adorationis Perpetuæ, an potius a die dilatæ absolutionis.

Respondetur.

Ad 1m. Censemus jam non subsistere extensionem facultatis de qua quæritur. Ratio est quia jam non occurrit in elencho facultatum in Tractatu de Casibus Reservatis, ad editionem 1898, jussu et auctoritate Illustrissimi Episcopi inserto, quæ omissio æquivalet positivæ exclusioni.

Attamen, hac occasione, opportune posset inquiri utrum confessarius non valeret, vi principiorum generalium et absque facultate speciali, ejusmodi pœnitentem a casibus reservatis absolvere, quando, post absolutionis dilationem, ad confitendum redeat. Et sane sententiæ affirmanti non parum favet *Libellus,* sub cap. V, hac salva conditione ut in priori confessione, in Adoratione Perpetua ejusve vigilia vel per ejus octavam peracta, peccata reservata fuerint exposita et nullum exinde peccatum reservationi obnoxium fuerit contractum.

Revera ibidem expresse docemur quomodo, casu quo reservata fuerint quidem exposita sed ob indispositionem pœnitentis absolutio data fuerit nulla, mens Illustrissimi Episcopi sit ut reservatio habeatur sublata (Cf. p. 24). Jamvero in ordine ad auferendam reservationem non interest absolutionem dilatam inter et nulliter concessam, et utrique hypothesi pariter suffragatur ratio qua nititur authentica interpretatio Illustrissimi Reservantis, quatenus scil. « pœnitens satisfecit fini reservationis, peccata reservata peritiori medico exponendo » ibid.

Quo pacto communis confessarius posset pœnitentem, dilata absolutione, confessionem post tempus privilegiatum iterantem, a casibus reservatis, in priori confessione clavibus subjectis, absolvere, idque *quovis tempore* ipsum redire contingat, sive idem confessarius sit sive diversus.

Ad 2m. Provisum ad 1m.

A. D. S.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. VI, pag. 337).

§ III.

De ratione *quæ fuit Deo operandi ad extra et de* fine *operum* (1).

234. Omnis operatio Dei ad extra suapte natura ad hoc proxime tendit seu hunc effectum et finem operis immediatum habet ut bonitas Dei se diffundendo aliquod bonum finitum producat quod Deum revelet seu manifestet ejus perfectiones. Cum autem bonum finitum qualecumque et manifestatio per illud divinæ majestatis, divinæ bonitati nihil plane conferant sintque inutilia, nisi sit aliqua creatura cui utile sit bonum creatum ad agnoscendam divinam bonitatem ac perfectionem, nec *ratio* esset Deo operandi, nec *finem* haberet opus seu esset frustra, nisi produceretur creatura rationalis; unde statim intelligis Deum non potuisse creare sola irrationalia, non defectu potentiæ absolutæ, sed defectu rationis creandi, et defectu finis rei creatæ, quia nec arbitrarie et absque ratione, nec cæce et absque fine agere potest Deus.

Ratio igitur proxima operationis Dei ad extra (seu finis *operantis* Dei proximus) est rectitudo et rationabilitas benefacti revelandi se creaturæ rationali, et *finis* (*operis*) (2) proximus est ipsa manifestatio divinarum perfectionum creaturæ rationali ut fini cui fiat.

---

(1) De quibus utiliter leges *Coll. Brugen.*, tom. II, p. 17 sq, et p. 63 et sq.

(2) Apud omnes philosophos et theologos solemnis est distinctio finis *operantis* et finis *operis*. Ast præterea apud singulos, ne erretur, sedulo attendenda est hac in re terminologia, apud diversos valde diversa et

Sed ulterius quæritur ratio quare Deus voluit suam bonitatem quadamtenus, et primo quidem creando, communicare cum creatura rationali, se ipsi per seipsam et alia creata cognoscibilem præbendo; et quis sit finis istius suî manifestationis. Ratio autem illa est quia rectum et bonum, rationique conforme est ut creatura rationalis Deum agnoscat, ejusque bonitatem amet, qua agnitione et dilectione finem suæ perfectionis et felicitatis prosequatur et attingat, simulque gloriam det Deo. Finis divinæ manifestationis est illa ipsa felicitas creaturæ rationalis et glorificatio Dei.

Si igitur quæratur ultima ratio cur Deus voluerit ad extra operari ad creaturæ rationalis felicitatem et suam gloriam extrinsecam, illa ratio alia non est quam quia summe bonus est; sicut finis absolute ultimus, principalis omnium operum ad extra est tandem divinæ bonitatis glorificatio, qui quidem finis est infrustrabilis, utpote quem, *immediate* quidem attingunt creaturæ rationales ad finem suum beatum pertingentes; *mediate* vero, omnes creaturæ, tum irrationales, tum rationales, etiam sua culpa a fine felicitatis excidentes, cum omnes finem proximum, omni creaturæ communem, scilicet manifestationem divinæ perfectionis, non consequi non possint; certe damnati, vel ipsis suppliciis suis, divinam perfectionem ac justitiam proclamant.

---

nonnumquam satis confusa. Nonnulli finem operantis (qui operi extrinsecus esse potest) vocant *intrinsecum*, nempe operanti; cumque sit agenti ratio cur seu quare agat, seu motivum agendi, aliquando eumdem nuncupant finem *cur* vel *quia* vel *cujus gratia;* finem vero operis vocant *extrinsecum*, nempe operanti, cum sit operi intrinsecus; eumdem etiam appellant finem *ad quem*, vel *qui*. Alii tamen aliter easdem voces usurpant, vel et alia addunt. Nos, quantum licet, a multiplicandis terminis abstinemus, adhibentes vocem nobis aptiorem visam, ita ut vox cum re simul declaretur. Itaque, cum Deus non moveatur, sermo esse nequit de motivo agendi, sed de *ratione* quare operetur ad extra, et rationem prætulimus dicere quam finem (operantis), ut vox *finis* (operis) reservetur fini operum ipsorum; ita ab initio de *ratione* operandi ad extra et de *fine* operum quærimus.

235. Itaque, quod *finem* attinet, vere omnia propter semetipsum operatus est Dominus, nec aliter esse potest. Sicut Deus est absolute primum principium, tum ut ratio operandi tum ut exequens opus ad extra, ita est ultimus finis rerum omnium. Neque hoc derogat gratuitæ Dei bonitati et amori pure benevolo, cum finis divinæ gloriæ formalis non sit sine beatitudine creaturæ, ita ut merito cantemus: « Gratias agimus tibi, propter magnam gloriam tuam ». Quod quidem magis elucet si *rationem* inspiciamus cur Deus operatus sit. Nihil enim extra Deum, ut manifestum est, Deum movere potest (ideo non motivum sed rationem vocamus) nec quidquam beatitudinis aut perfectionis Deo afferre, unde evidenter summa Dei liberalitas et amor gratuitus commendatur: ratio etenim operandi est ipsa divina bonitas, quæ non est causa realis operationis ad extra, nec finis qui operandi decreto acquiratur aut amplificetur, nec talis ut Deum necessario determinet, sed est objectum princeps divinæ voluntatis, quam nisi amore naturæ prosequeretur, numquam aliquid ad extra vellet; quare ad hunc amorem veluti ad fontem revocanda sunt omnia bona, quæ Deus liberrime ad extra operatur. Neque Deus huic rationi seu fini operantis intrinseco, quia nempe infinitam bonitatem se ad extra communicare ac manifestare summe rationabile et rectum est, satisfacit per effectus ad extra productos sed per ipsum actum immanentem seu bonitatem et amorem, qui est ipsa divina essentia inquantum ad extra operans. Est igitur finis ille intrinsecus ipse Deus, ut est ratio ab intellectu voluntati proposita, nec alius esse potest a Deo, cum sit sibi sufficiens, independens, absolute perfectus.

236. Ex dictis elucet, ut supra jam notavimus, Deum non potuisse creare sola irrationabilia, non defectu potentiæ absolutæ, sed defectu rationis et finis, seu obstante sapientia, bonitas enim divina non haberet terminum communicationis et manifestationis nec crea-

turæ haberent finem. Et hic exurgit quæstio, cum homo tantum creatus sit, ut decuit, post sibi paratam sedem, post reliquas omnes creaturas irrationales ipsi inservientes, an nulla fuerit creatura rationalis, quam Deus operis creationis et ordinationis hujus mundi visibilis, per tot sæculorum spatia, ut plerique nunc autumant, testem adhibuerit? Quamquam dici potest, ea omnia quondam revelanda esse omnibus in æternum electis, verum nihilominus esset, totam illam manifestationem primam, sane mirabilem, divinæ majestatis fuisse pro tunc saltem inutilem, nisi facta fuerit alicui creaturæ ratione præditæ, ita ut argumentum heic invenias pro creatione Angelorum ante creatam materiam vel simul cum initio materialis creationis, quam quidem quæstionem relinquimus ac commendamus disputationi theologorum (1).

Potuit Deus creare rationales creaturas eas relinquendo suis viribus in ordine naturæ, sed magis decuit

---

(1) Alia quæstio est, cum hac connexa, an sint aliæ creaturæ rationales in astris vel alibi, nobis ignotæ; quam rursus quæstionem meditationi ac disputationi theologorum relinquimus. Hoc solum notandum censemus, nullum nobis videri argumentum cogens, imo nec vere probabile ad asserendam necessitatem existentiæ hujusmodi creaturarum. Ita minime cogit ratio quam nonnunquam afferunt, immensitatem illam mundorum, si absque habitatoribus sit, videri inutilem: respondetur enim, nobis quidem, et pro tempore, in quantum plurima de ista immensitate ignoramus, eam inutilem videri posse; sed angelis, pro nullo forte tempore, nec nobis post hanc vitam esse inutilem, præterea, ipsam illam immensitatem, quamvis exiguam quoad partem cognitam, nobis declarare immensam Creatoris potentiam, sapientiam ac bonitatem, quemadmodum et in ipsa terra, quam habitamus, infinitæ quasi creaturæ nobis ignotæ, quales identidem deteguntur inter minimas (microbes), fini Creatoris inserviunt, quamquam modis nobis ignotis, quod de mundis innumeris ac ingentibus similiter est asserendum. — Contra, argumentum in oppositum, desumptum ex Christo, Deo-*Homine*, totius mundi Redemptore, valide confutatum nuspiam invenimus, nec videmus quomodo revera Christus qui, ut homo, non tantum est caput omnium Angelorum et hominum, sed est et Rex et Dominus totius mundi, fastigium totius operationis Dei ad extra, nobis qua talis divina revelatione exhibeatur absque ulla relatione ad innumeras creaturas rationales, habitatores mundorum, si isti reipsa sint.

plus facere ac meliora providere; seu potius Deus eas in ordine mere naturali non constituit, non defectu potentiæ, aut imo obstante sapientia seu ratione, sed præ aliquo defectu rationis seu ratione quadamtenus deficiente, quia non erat ratio sistendi in illa naturali manifestatione et communicatione boni, cum alia esset possibilis major, imo et optima (1), quod tamen sola

---

(1) Heic merito notatur relatio ordinem naturæ inter et ordinem gratiæ, seu naturalia inter et supernaturalia; videlicet, hæc duo, quamvis sint distincta, non tamen esse opposita aut imo disparata, sed ita supernaturalia naturam perficere ac quasi complere ut novus ordo perfectus exurgat. Rem declaramus ex S. Thoma, interjectis paucis verbis interpretationis. Ita habet *de Virt. in communi Q. unica, inter QQ. disput., a. X, in corp :* « Perfectiones et formæ, quæ proveniunt ab agente supernaturali infinitæ virtutis, excedunt facultatem naturæ recipientis [non dicit eas esse eo ipso supernaturales stricto sensu et absolute]; unde etiam anima rationalis, quæ immediate a Deo causatur, excedit capacitatem suæ materiæ [adeoque est relative supernaturalis], ita quod materia corporalis non totaliter potest comprehendere et includere ipsam; sed remanet aliqua virtus ejus et operatio in qua non communicat materia corporalis; quod non contingit de aliqua aliarum formarum, quæ causantur ab agentibus naturalibus. [Et in hoc jam elucet *aptitudo* animæ seu *potentia obedientialis* ad supernaturalia absolute et stricte dicta]. Sicut autem homo suam primam perfectionem, scilicet, animam acquirit ex actione Dei, ita et ultimam suam perfectionem, quæ est perfecta hominis felicitas, immediate habet a Deo, et in ipso quiescit. [Illa nempe beatitudo homini naturalis, quam propriis viribus naturæ acquirere posset, non esset omnino *perfecta,* sicut et natura ipsius, utpote creata ac finita, non potest esse sine defectu, sed ista tantum est perfecta beatitudo, quæ non tantum in Deo sed a Deo est immediate ut agente supernaturali, et supra exigentiam naturæ] Quod quidem ex hoc patet quod naturale hominis desiderium in nullo alio quietari potest, nisi in solo Deo. [Sicut enim natura rationalis potentiam obedientialem habet ad supernaturalia, ita desiderium naturæ etiam hanc aptitudinem manifestat, quod quidem desiderium frustrari nequit a fine naturæ, sed omnino perfecte tantum expletur, si aptitudini ad supernaturalia satisfactum fuerit et beatitudo perfecta visionis concessa]. Innatum est enim homini ut ex causatis desiderio quodam [nota: *quodam*] moveatur ad inquirendum causas; nec quiescit illud desiderium quousque perventum fuerit ad primam causam, quæ Deus est. [Omnino non quiescit, (et est vere *naturale*) nisi Deus cognoscatur quo modo naturaliter in termino cognosci potest; non quiescit *perfecte*, (et est elicitum, a natura tamen sponte suggestum, efficax posito ordine supernaturali, secus inefficax) nisi Deus intuitive videatur, natura, pro sua potentia obedientiali ad

revelatione positiva Dei nobis innotuit. Revera, per creationem et ordinem naturæ non fit revelatio Dei ipsius ut in se est, ne in termino quidem, nec communicatio boni divini ipsius, sed solum manifestatio Dei prout relucet imperfecte in creaturis, et communicatio non est nisi boni a Deo creati; altera vero manifestatio est possibilis et reipsa a Deo facta, infinite perfectior, vere suprema, Dei nempe ut in se est et communicatio ipsius beatitudinis divinæ Trinitatis: ea nec indiget Deus, neque magis a creatura, etiam in naturali perfectione condita, exigi ullo modo potest, adeoque et optime salvatur ratio meræ bonitatis suî diffusivæ.

Hanc alteram suî revelationem et communicationem jam videbimus in sequentibus quomodo Deus reapse prædefinivit atque exsequitur vere summam, perficiendam in civitate cœlesti, et modo quidem absolute summo in Christo, Capite omnium Angelorum et beatorum hominum, Rege supremo supernæ civitatis, modo quodam medio in Beatissima Virgine Matre Dei Maria, modo infimo, quamquam in certo genere et ordine semper supremo, mira varietate, in numero, pondere et mensura, in reliquis Sanctis Angelis et hominibus.

(Continuabitur).

---

supernaturalia, jam elevata et beatitudine perfecta, quæ soli Deo natura convenit, a Deo donata]. Oportet igitur quod, sicut prima perfectio hominis, quæ est anima rationalis, excedit facultatem materiæ corporalis, ita ultima perfectio ad quam homo potest pervenire [*potest*, Deo ipsum supernaturaliter et gratuito elevante], quæ est beatitudo vitæ æternæ, excedat facultatem totius humanæ naturæ. » Deinde deducit S. Thomas (lege totum articulum, coll. *Q. unica de charit.*, a. 2, ad 16) necessitatem gratiæ, habituum theologalium, ut convertatur homo in finem supernaturalem, etc. Solet S. Doctor (cf. 1, q. XII, a. 1; 1. 2, q. III, a. 8; contra Gent., l. III, c. 50 et sqq.) factum instituti ordinis supernaturalis supponere; quo posito, dilucide demonstrat, ut hoc loco a nobis recitato, quomodo ex natura et donis supernaturalibus vere unus et perfectus ordo exurgat; natura aptitudinem habente ad supernaturalia, his vero illam reapse complentibus et perficientibus. Utiliter leges Cajetanum in 1, 2, q. LXII. a. 2. — Hoc præprimis attendi nunc volebamus, in natura, licet nulla sit exigentia ut ad ordinem supernaturalem extollatur, esse tamen vere convenientiam et desiderium seu appetitum *quemdam*.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Octobris.

—

I

Breviter explica benedictionem in Joseph prolatam Gen. XLIX 22-26.

II

An et qua ratione infallibilis est Ecclesia in disciplina generali?

III

Breviter expone cur in theologia morali prima et fundamentalis sit consideratio finis ultimi.

IV

Explica qua ratione dici possit finem ultimum hominis esse ejus beatitudinem.

V

Expone modum agendi confessarii erga pœnitentes qui confitentur se contra fidem fuisse tentatos?

VI

Quibusnam diebus et sub quibus conditionibus licet celebrare missam exequialem corpore non præsente?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Junii propositas.

—

I

Q. Explica Apoc. XIV, 13: *Et audivi vocem de cœlo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.*

R. **Nexus cum præcedentibus.** Visio quæ incipit XI, 19 præparat descriptionem certaminis in fine sæculorum ineundi inter Christum et potestates infernales; duo exercitus hostiles jam apparent; ex una parte draco (XII) qui duas bestias excitat (XIII), ex altera parte Christus cum electis suis (XIV). Antequam vero certamen describatur, angelus quidam minas profert contra illos qui bestiam sequuntur, et vox de cœlo præmium promittit eis qui perseveraverint.

Et audivi vocem de cœlo dicentem mihi: Scribe, quod non statim faciendum erat nec factum est, sed post absolutam visionum seriem. Licet omnia quæ vidit et audivit scribere debeat Joannes, de quibusdam in specie hoc dicitur ad indicandum illa verba attentione digna esse. Cf. I, 11, 19, etc., XIX, 9; XXI, 5.

Plures difficultates statim facit vox *amodo* (απαρτι) quarum

1ª est de propositione ad quam spectat. Vulg., multi veteres latini et recenter Drach (1) referunt ad sequen-

(1) Mirum allegat argumentum, quod refutatione non indiget: *A cause de son origine* (quam non indicavit) *et de l'usage qu'en fait l'Église* (Ecclesia utitur Vulgata, quis unquam dixit eam uti interpunctione Vulgatæ?), *la ponctuation de la Vulgate a une plus grande valeur que celle du texte grec. C'est pourquoi nous devons ici protester une fois de plus contre la liberté que s'est donnée*

tia: *Amodo jam dicit Spiritus;* plerique tamen codices et omnes ferme editiones textus græci cum præcedentibus nectunt, et recte quidem: etenim a/ particula affirmantis alterius dictum vel factum, ναι (*jam* in vulg.) semper incipit phrasim; b/ si pertineret ad sequentia, restrictionem videretur importare quæ explicatione indigeret, hæc autem non occurrit.

2ª est de scriptione et sensu. Si scribitur ἀπαρτί significat: perfecte, omnino; si vero ἀπάρτι, sensus est: ex nunc (amodo = a [ex] modo) Prior vox non occurrit in novo Test.; altera vero non est infrequens, præsertim apud Jo. Cf. Jo. XIII, 19; XIV, 7.

3ª tandem est de voce ad quam spectat. Plerique, inter quos Beelen, Bleek, referunt ad *beati;* quidam, v. g. Bisping, Bousset referunt ad *moriuntur*. Huic alteræ sententiæ adstipulamur: a/ favet enim locus propinquior; b/ beatitudo martyrum non incipiet ex nunc, sed tantum post absolutum certamen quando instaurabitur regnum mille annorum. Cf. VI, 9-11 et præsertim XX, 4-6. *Et vidi... animas decollatorum propter testimonium Jesu... et regnaverunt cum Christo mille annis... Hæc est resurrectio prima. Beatus... qui habet partem in resurrectione prima.*

4ª Supposito vocem *ex nunc* referendam esse ad *moriuntur*, inquiri potest quodnam præcise tempus designet. Nostra sententia, non significat: *ante proximum certamen* quasi beati prædicarentur qui magnam hanc tribulationem non fuerint experti (1); sed: *post*

Tischendorf de changer la ponctuation de la Vulgate (sic), *et d'y substituer sans motif, celle du texte grec* Franzelin falso, ut nobis videtur, asseruit versionem Vulg. fidelem esse in locis dogmaticis; hic autem eam fidelem dicit etiam in aliis, vix non affirmat eam textui originali prævalere! — De authentia Vulgatæ cfr. quæ docte disseruit cl. Van de Putte apud *Collat. Brug.* T. III, p. 165 sqq, 635 sqq, et apud *Nouv. rev. th.* T. XXV, p. 428 sqq. et T. XXVI, p. 71 sqq.

(1) Ita nonnulli, sed sensus ille videtur esse contra integrum contextum: sicut 9-11 angelus minas profert contra illos qui in certamine stabunt a parte bestiæ, ita 13 vox de cœlo præmio allicit homines ut in eodem certamine stent a parte Christi.

incœptum nunc certamen et beati dicuntur qui in illo vitam quidem amittent, palmam tamen victoriæ referent. Licet ergo verba omnino generalia : *qui in Domino moriuntur* designent omnes qui in fide et charitate mortem obeunt, nec ad solos martyres restringi possent, ex contextu tamen patet martyres intendi.

Jam (ναι = certe, profecto) *dicit Spiritus;* intelligitur non idem angelus qui censetur loqui initio versiculi, sed Spiritus Sanctus, vel Spiritus propheticus qui in ipsō Jo. lòquitur.

Diversimode explicant AA. constructionem *ut requiescant* (ινα αναπαησονται). Probabilius videtur hanc propositionem non pendere a *moriuntur* (ita Winer *Grammatik des neutest. Sprachidioms* p. 297), moriuntur eo fine ut requiescant; neque a *beati* (Bousset in h. l.), beati quia requiescunt; sed absolute sumendam esse (De Wette, Bisp.). Ita scribit Beelen (*Gramm. Græcitatis N. T.* p. 346 s.) : « Imperativi veluti periphrasis est, ubi ινα construitur cum Aoristo (et etiam Futuro) ad mandatum, monitum, aut votum aliquod exprimendum... Sed... agnoscenda est ellipsis verbi cujuspiam, quo mandatum, monitum, aut votum significetur ». Confirmat ergo Spiritus verba angeli et beatitudinem ab ipso prædicatam quoad partem negativam explicat : *requiescant a laboribus suis*, ab ærumnis et persecutionibus.

Opera enim (1) *illorum sequuntur illos* (græce μετ' αὐτων, cum illis, comitantur illos apud Deum). Metaphorice exprimitur bonis operibus in vita peractis vim meritoriam ad beatitudinem inesse.

A. D. B.

---

(1) Ultima propositio legitur in Q et plerisque codd. min. τα δε ἐργα hi omnes codd. fidem non merentur, quia sæpe non transscribunt, sed corrigunt (?) suum textum; melius vero in præstantioribus codd. sin. ACP et juxta antiquas vers. syr. et lat. τα γαρ εργα.

II

Q. *Supposito demonstrato Christum* ut hominem *habuisse potentiam faciendi miracula, explica modum quo Christus* ut homo *operatus sit miracula.*

R. Quamvis omnes theologi admittant Christi animæ datam fuisse potentiam miracula operandi, et Christum secundum humanitatem fuisse causam miraculorum, tamen inter se non conveniunt de ratione hujus causalitatis seu de modo quo Christus causaverit miracula. Quemadmodum plerique recentiores inquirunt utrum Sacramenta causent gratiam *physice* an vero *moraliter*, ita iidem quærunt utrum Christus ut homo miracula operatus sit *physice* an vero *moraliter*.

Sed his terminis non recte ponitur quæstio sive agatur de Sacramentorum, sive de Christi hominis causalitate. Nomine enim causæ moralis nihil satis determinatum habetur (1).

Eamdem sententiam, quæ in *Collat. Brug.* T. III, p. 517 et seq. exposita fuit ac propugnata de causalitate Sacramentorum, tenemus de causalitate Christi hominis operantis miracula: consequenter statuimus: Christus ut homo operatus est miracula ut causa *efficiens instrumentalis dispositiva* agens virtute non ordinis physici, sed *ordinis intentionalis*.

Quæ propositio exponi simul et demonstrari posse videtur sequentibus:

1. Si S. Scripturam legimus apparet Christum hominem *potestative* et non solum orando fecisse miracula. Etenim: « Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit:... Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam. Et surrexit et abiit in domum suam » (2).

(1) Cf. Billot, *De Sacramentis*, 3a Ed. T. I, pp. 79, 108, 114; *Collat. Brug.*, T. III, pp. 517, 523.

(2) Matth. IX, 4-7.

« Et ecce, leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra ejus. » (1). — « Hæc cum dixisset, voce magna clamavit (Jesus): Lazare, veni foras. Et statim prodiit, qui fuerat mortuus. » (2). — « Tunc surgens Jesus *imperavit* ventis et mari et facta est tranquillitas magna. » (3).

Modus igitur quo Christus operatus est miracula talis est secundum S. Scripturam ut appareat Christum veram *potentiam* habuisse *efficiendi* miracula et verba Christi fuisse efficacia eorum quæ significabant: quando Christus dicit paralytico: *Surge*, statim paralyticus surgit; quando leproso: *Volo, mundare*, statim mundatus est leprosus, etc. Ergo Christus fuit vere causa *efficiens* miraculorum, sc. *actione sua* fecit ut existeret miraculosa immutatio.

2. Jamvero causa efficiens duplex est sc. *principalis* et *instrumentalis:* porro miraculorum causa efficiens principalis nequit esse nisi solus Deus: nam « ejus solius est immutare legem et cursum naturæ impositum, qui naturam instituit et ordinavit; quod solus Deus fecit... » (4)

Ergo si aliqua creatura ut v. gr. anima Christi est vere causa efficiens miraculorum, sequitur talem creaturam esse tantum *instrumentalem* causam (5).

3. Causa efficiens principalis miraculorum est ipse Deus quatenus imperio suo omnipotenti efficit quod vult: *perficitur* miraculum solo Dei imperio quod est *immediate* efficax omnium quæ imperat. Cæteroquin ex ipsa definitione miraculi sequitur hanc immutationem *perfici* posse a solo Deo. Ergo si quæ creatura est

(1) Ibid. VIII, 2-3.
(2) Jo. XI, 43-44.
(3) Matth. VIII, 26.
(4) S. Thom. in III, D. XVI, Q. I, a. 3.
(5) Cf. S. Thom. C. Gentes. L. IV, c. 41; III, Q. XIII, a. 2.

causa efficiens *instrumentalis* miraculorum, hæc est causa non perfectiva sed tantum *dispositiva:* inducens aliquam dispositionem vi cujus necessario consequitur miraculosa immutatio.

4. Quum miracula perficiantur solo Dei imperio quod est immediate efficax eorum quæ imperat, et quum illud imperium nequeat, ut patet, *physice* transire per instrumentum ut mediante instrumento attingat effectum, sequitur virtutem instrumentalem creaturæ in operandis miraculis non posse esse *ordinis physici:* remanet igitur ut sit ordinis *intentionalis.*

Hæc autem instrumentalis virtus ordinis intentionalis consistit in *efficacia* designandi aliquid ad miraculosam immutationem. Christi scilicet anima ut instrumentum Dei *designat efficaciter* res miraculose immutandas: designat nempe ea efficaci ordinatione ut, ea posita, jam debitum, necessarium atque infallibile sit ut res designata miraculose immutetur. Hac ratione res naturalis fit in actu primo proximo suscipiendi in se omnipotentis imperii effectum.

5. Ut *exemplo* hic operandi modus illustretur dicimus: ita Christus ut homo operatur miracula sicut sacerdos operatur transsubstantiationem. Sacerdos enim ut Dei instrumentum, pronuntiando verba Consecrationis super tali vel tali hostia aut tali vel tali vino, illa *efficaciter* designat ad transsubstantionem, ita ut his verbis prolatis jam debitum, necessarium atque infallibile sit ut sequatur transsubstantiatio: hæc tamen sola Dei virtute h. e. solo Dei imperio *physice perficitur.* Pari modo Christus, dicendo v. gr. paralytico: *Surge,* aut leproso: *volo, mundare,* efficaciter designat illum paralyticum, illum leprosum ad miraculosam sanationem: ita nempe ut tali Christi designatione facta jam debitum, necessarium atque infallibile sit ut sequatur sanatio: quæ tamen sola Ipsius Dei virtute physice perficitur. — Sicut ergo sacerdos ita Christus, in prædictis operationibus, agunt instrumentaliter dispositive

et virtute ordinis intentionalis: sicut enim sacerdos tamquam Dei instrumentum inducit pani vel vino dispositionem ordinis intentionalis exigitivam transsubstantiationis, h. e. titulum seu ordinationem qua posita necessario sequitur transsubstantiatio; ita Christus operando miracula ut instrumentum Dei inducit rei cuidam dispositionem ordinis intentionalis exigitivam miraculosæ immutationis, h. e. titulum seu ordinationem qua posita necessario sequitur immutatio miraculosa. Cf. Collat. Brug. T. III, p. 521 in nota.

Inde P. Billot a quo supra datam doctrinam desumpsimus statuit hanc proportionem: « Sicut sacerdos habet per modum habitus potentiam ad miraculosam conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, ita Christi anima ut Filio Dei hypostatice conjuncta, habet per modum habitus potentiam ad omnia miracula quæ possunt incarnationis fini deservire. » *De Verbo Incarnato*, Ed. 3ª, p. 231.

Adnotatio. Ut perspicuum fiat quomodo secundum præcedentem explicationem anima Christi sit vere *instrumentum* Dei in patrandis miraculis, hoc imprimis consideretur oportet quod « instrumenti operatio est duplex: una quæ est ei connaturalis, sicut extendere attramentum est connaturalis operatio calami et scindere connaturalis operatio serræ: alia quæ est operatio ejus instrumentalis, sicut facere scripturam extendendo attramentum et inducere formam scamni secando lignum. Et sicut operatio instrumenti est duplex, ita est duplex (principium) *quo* operatur: unum sibi proprium, quod est qualitas habens esse fixum et completum in eo, puta acuitas dentaturæ in serra; alterum a principali agente participatum, scilicet motus quo movetur ab arte, quique *virtus instrumentalis* dicitur, utpote constituens instrumentum qua tale in esse virtuoso seu effectivo principalis effectus » (1). — Deinde requiritur ut *virtus*

(1) Billot, *De Sacramentis*, 3ª Ed., T. I, p. 56 et s.

instrumentalis subjectetur in ipsissima actione qua instrumentum exsequitur proprium effectum : nam omne instrumentum « non perficit instrumentalem actionem nisi exercendo actionem propriam; scindendo enim facit lectum » (1).

Hæc inveniri debent in omnibus instrumentis, consequenter in iis quorum instrumentalis virtus est ordinis *intentionalis* (2): hæc autem inveniuntur in anima Christi operantis miracula:

1. Habetur duplex operatio: a/ una *connaturalis*, nempe designare aliquod ens ad miraculosam immutationem; b/ altera *instrumentalis*, nempe inducere in ente designato illam efficacem ordinationem vi cujus constituitur in actu primo proximo suscipiendi miraculosam immutationem.

2. Habetur duplex principium *quo* operatur: a/ principium quo *proprium* Christi homini, nempe intellectus et voluntas, scientia et virtutes; b/ principium quo *participatum a principali agente*, nempe ipsa efficacia designationis, quæ efficacia designationi inesse nequit nisi inquantum designatio fiat virtute supremi dominii quod solus Deus habet in totum universum.

3. Tandem hæc instrumentalis virtus subjectatur in ipsissima actione qua instrumentum exsequitur proprium effectum: in ipsa enim actione Christi designantis aliquid ad miraculosam immutationem habetur hæc *efficacia* designationis vi cujus necessario consequitur miraculum.

J. V. D. M.

---

(1) S. Thom. III, Q. LXII, a. 1, ad 2; cf. Billot, l. c.

(2) Virtus *intentionalis* ea est quæ solum valet, proxime saltem et immediate, ad deferendas exterius intentiones, sive conceptiones, sive ordinationes, intellectus.

III

Q. *Expone conditiones generales quæ requiruntur ad lucrandam indulgentiam.*

R. Ex ipso tenore restringitur quæstio facta ad solas conditiones generatim requisitas in subjecto capaci, ad indulgentiæ fructum consequendum. Jamvero ad hunc effectum :

I/ **In Defunctis**, nulla postulatur peculiaris dispositio sive conditio verificanda, nisi forsan remotio obicis de quo sermo fuit suprà, p. 418.

II/ **In Vivis**, passim requiritur

A/ **Status gratiæ**, saltem in indulgentia *pro vivis*.

Et profecto 1°/ non videtur dubitandum de necessitate status gratiæ ad hoc ut vivus *sibiipsi* lucrari queat indulgentiam. Nimirum peccatum mortale est obex indulgentiæ fructum impediens, non tantum in ordine ad remittendam pœnam temporalem ipsi illi peccato debitam nondum quoad culpam remisso, quod, attenta indulgentiæ natura, ridiculum foret negare, sed etiam in ordine ad quamcumque relaxandam pœnam temporalem, licet relictam ex aliis peccatis quoad culpam jam solutis.

Revera, uti alia occasione jam arguimus, *Collat.*, IV, p. 648, non est congruum quod alicui relaxetur pœna *temporalis*, eo momento quo ipsum manet pœna *æterna;* quod tenet etiam Suarez, Disp. XXXVIII, Sect. 8ª, n. 3 : « Cum remissio, ait, pœnæ temporalis sit effectus supernaturalis aliquo modo præparans hominem, seu removens impedimentum gloriæ, non est cur conferatur nisi ei qui est proportionatus ad gloriam et amicus Dei » ; collata Disp. LII, sect. 2ª, n. 6; cfr. etiam S. Thomas, in IV Sent., disp. XX, qu. 1ª, art. 1° (1);

(1) « Membrum mortuum non suscipit influentiam ex aliis membris vivis : sed ille qui est in peccato lethali, est quasi membrum mortuum. Ergo per indulgentiam non suscipit influentiam ex meritis vivorum membrorum ».

Theod. a Spir. S°, *Tractat. dogmat.-mor. de Indulg.*, cap. VIII, art. 1°; De Lugo, *De Pœnitentia*, XXVII, n. 83; Raccolta, ed. 1898, p. VII; Decr. S. Congr. Indulg., 17 Dec. 1870, apud *Decreta Authent.*, n. 427.

Hæc dispositio in subjecto requisita tanquam removens prohibens inculcatur pluribus in indultis, signanter in illis quibus partiales indulgentiæ conceduntur, hac vel simili formula: « corde saltem contrito »; quæ formula non inducit positivam conditionem sed mere memorat necessitatem status gratiæ ex natura rei consequentem.

Porro requiritur et *per se* (1) sufficit status gratiæ ipso momento quo indulgentiam lucrifieri contingit, seu *quando ultimum opus præscriptum ponitur*. Cf. Theod. a Spir. S°, op. cit., p. 271 et seq.; S. Alph., l. VI, n. 584, ad 9m, cum AA. ibidem citatis; Raccolta, p. VII. Quare in praxi curandum est ut communio, si præscribitur, post reliqua opera differatur.

Ad hoc autem ut indulgentiam *plenariam* quis assequatur *plene* et *perfecte*, non modò immunis esse debet a peccato mortali, sed etiam a quocumque peccato veniali, sive actuali sive habituali (2); quod cæteroquin

(1) *Per accidens* potest fieri ut alia opera, præter opus ultimum, sint in statu gratiæ præstanda; ita S. Communio, si instituatur ante reliqua opera injuncta, postulat ex natura sua gratiam sanctificantem; item quando peculiari clausula providetur ut in statu gratiæ peragantur opera præscripta; quemadmodum contingere censent nonnulli quando usurpatur in indulto formula: « qui corde contrito hæc vel illa fecerit... »: immeritò tamen, uti videtur, attentis et ad invicem collatis decretis 17 Dec. 1870 et 19 Maii 1759, (n. 214); cf. Theod. a Spir. Sto, op. cit., p. 272.

(2) Sedulò notandum est, et in hoc non raro errantes corrigendi sunt, si opus sit, fideles, nimirum immunitatem a peccato veniali excludere quidem *affectum voluntarium* ad peccatum veniale, sive actualem sive habitualem, seu olim habitum et nondum retractatum, nullatenus vero *propensionem naturalem* et inclinationem in illud; circa quod etiam attende per ipsam adimpletionem operum injunctorum, et signanter per devotam S. Communionis receptionem, excitato fervore charitatis, frequenter remitti quoad culpam peccata venialia habitu perseverantia.

rursus sequitur ex ipsa notione data indulgentiæ, cum *pœna* temporalis nequeat *totaliter* auferri nisi *totaliter* sublata culpa.

2°/ Dicitur: « saltem in indulgentia *pro vivis* »; quia multum disputatur utrum status gratiæ necessarius sit in lucrante indulgentiam *pro defunctis*, et quamvis tutior sit sententia severior ac practice commendanda, non parum præplacet sententia quæ docet *per se* (1) non obstare peccatum mortale quominus fideles lucrentur indulgentias pro defunctis.

Ratio est quia nullo valido argumento exigitur gratia. Imprimis, cum in casu indulgentia proficiat *defuncto*, deficit titulus ob quem postulatur status gratiæ in fideli *sibiipsi* comparante indulgentiam, penes quem peccatum lethale vidimus esse obicem ad indulgentiæ fructum assequendum.

Ulterius ab opere operantis non pendet indulgentiæ fructus, quippe qui totus quantus derivatur a satisfactionibus Christi et Sanctorum ab Ecclesia applicatis.

Tandem frustra provocatur (Lehmk., op. cit., II, n. 587, sub 3) ad hoc quod suffragium proveniens a peccatore non possit Deo gratum esse et efficax ad obtinendam relaxationem pœnæ a defunctis luendæ, cum juxta sententiam, quam suprà, p. 299, sumus amplexi, Ecclesia sit quæ suppliciter Deo offerat satisfactiones ex thesauro haustas, nequaquam vero ipse fidelis opera adimplens, uti volunt Palmieri (2), Pesch (3), Sasse (4), Einig (5) et alii, quibus solis efficaciter posset opponi invocatum argumentum.

---

(1) Rursus *per accidens* potest requiri status gratiæ, ratione indolis operis præscripti vel ratione clausulæ specialiter in concessione insertæ. Cfr. Theol. Mechl., *De Indulgentiis*, p. 25, cum utraque nota adjecta, ubi in dubium vocatur interpretatio Lehmk., *Theol. Mor.*, II, n. 537, sub 2/.

(2) *De Pœnitentia*, p. 480-282.

(3) *Tractatus Dogmatici*, VII, n. 477.

(4) *De Sacramentis Ecclesiæ*, II, p. 350-251.

(5) *Tractatus de Sacramentis*, 1901, II, p. 124-125.

Cæteroquin nobis favent Suarez, Disp. LIII, sect. 4, n. 6, Theodorus a Spir. S°, op. cit., p. 401 ; Bellarminus, *De Indulgentiis*, l. I, cap. XIV, n. 8; Minderer, *De Indulgentiis*, p. II, n. 28; Ferraris, *Prompta Bibliotheca*, V° *Indulgentia*, art. III, n. 21, apud quem videsis plurimos AA. in subsidium advocatos, quibus accedunt Wirceburgenses, tom. V, n. 264; inclinare etiam videtur in eamdem sententiam Mocchegiani a Monsano, *Collectio Indulg.*, nn. 1097 et 1098.

Sacra autem Congregatio bis interrogata noluit controversiam dirimere; postquam enim, die 20 Aug. 1822 (n. 253), responderat: « dilata », die 22 Febr. 1847, (n. 341) rescripsit: « consulat orator probatos auctores ».

B/ **Adimpletio operum.**

Plerumque non conceditur indulgentia nisi sub conditione exercendi varia opera pia; licet enim per se et absolute possint impertiri ac nonnunquam reipsa concedantur indulgentiæ citra onus operis pii, passim tamen concessioni adnectitur hujusmodi injunctio, quia secus non adesset causa proportionata, sine qua indulgentia concedi nequit (1).

Porro, quotiescumque injungitur pium opus, ab hujus impletione tanquam a conditione pendet concessionis effectus, adeo ut omissio operis injuncti, ex ignorantia vel etiam ex impotentia, obstet indulgentiæ consecutioni, salvo utique casu legitimæ commutationis. Cf. Raccolta, p. VIII. Addit tamen Theod. a Spir. S°, op. cit., p. 297: « omittentem partem minimam operis injuncti, puta unam vel alteram salutationem angelicam in recitatione rosarii B. V. Mariæ... indulgentiam percipere, quia parum pro nihilo reputatur » (2).

---

(1) Cf. Theod. a Spir. S°, p. 293-294, qui ibidem refert Suarez docentem: « injunctionem alicujus pii operis interdum esse necessariam ut indulgentia concedi valeat, nimirum quando causa indulgentiæ talis est ut sine interventu talis operis vel non sit sufficiens vel non possit convenienter ad finem indulgentiæ applicari ».

(2) « Pars autem parva sumenda est *respective* ad totum opus: sic omissio unius *Pater* et *Ave*, quæ in Rosario parva videtur, non ut talis habebitur si

Quocirca nota

1°/ operi præscripto passim non satisfit per opus *aliunde obligatorium*, nisi aliud expresse constet de mente concedentis (1); quod suadetur ex natura supererogatoria actus ad indulgentiam lucrandam impositi, et confirmatur ex decr. 29 Maii 1841 (n. 291, ad 2).

2°/ debent opera adimpleri *tempore et modo* in indulto determinatis; per se tamen non urget *ordo* servandus inter varia opera præstanda (2).

3°/ salva clausula in contrarium, opera sunt *personaliter* obeunda ab indulgentiam lucrante, nisi forsitan agatur de eleemosyna, quæ æquivalenter per alium fieri potest.

C/ **Intentio debita.**

Triplex potest distingui intentio : 1°/ intentio lucrandi indulgentiam; 2°/ intentio applicandi defunctis et 3°/ intentio opera præscripta ad finem propositum adimplendi.

1°/ *Intentio lucrandi indulgentiam* sufficit ut sit *habitualis*, olim nempe habita et non retractata, et non requiritur virtualis seu virtute perseverans. Ratio ultimi est quia intentio nullum habet influxum in indulgentiæ constitutionem vel efficaciam, adeoque non indiget ut vi et virtute permanserit, sicuti intentio ministri sacramentum conficientis ; requiritur tamen intentio habitualis in subjecto, quemadmodum in sacramentum suscipiente necessaria est eadem intentio, quia nemo nisi volens salvatur vel ad salutem promovetur.

---

quinque *Pater* et *Ave* ad indulgentiam requirantur ». Theol. Mechl., op. cit., p. 29; collato Beringer, *Les Indulgences*, I, p. 68.

(1) Ita v. gr. 19 Martii 1841 declaratum est « per confessionem et communionem die Paschatis peractam et indulgentiam plenariam Papali Benedictioni adnexam lucrari et satis præcepto Paschatis fieri »; collato decreto 15 Dec. 1841 (n. 288 et 296); item decrevit S. Congr. die 10 Maii 1844 (n. 327), fideles posse per communionem paschalem lucrari indulgentiam plenariam, ad quam lucrandam præscribitur S. Communio, dummodò indulgentia lucrifacienda non sit in forma Jubilæi.

(2) Cf. decr. 19 Maii 1759 et dicta suprà, p. 449, in nota.

Requiri videtur, contra Baller.-Palm., V, p. 635, intentio habitualis *explicita*, olim scil. explicite habita, si excipias periculum mortis in quo potest sufficere, saltem in ordine ad Benedictionem Apostolicam in articulo mortis, intentio habitualis *implicita,* quam nonnulli vocant interpretativam; qua ratione intelligitur dictam Benedictionem Apostolicam, cui adnectitur indulgentia plenaria, impertiri posse moribundo sensibus destituto, modò christiane vixerit, adeoque, ratione vitæ christianè peractæ, meritò præsumatur desiderare supremum illud salutis adminiculum.

2°/ *Intentio indulgentiam applicandi defunctis* requiritur, eaque positiva et *explicita*, quotiescumque quis indulgentiam defunctis applicabilem illis reipsa applicare desiderat.

Cum autem, juxta explicationem jam sæpius memoratam, hoc tomo, p. 299, ad fidelem viventem pertineat mere designare animas sublevandas, minime vero ipsam indulgentiam per modum suffragii applicare, rursus, deficiente in intentione subjecti omni influxu causali, non postulatur intentio virtualiter remanens, sed sufficit ut *habitualis* existat, utique *explicita;* cujus intentionis sufficientia luculenter apparet in votum heroicum professis, qui intentione semel facta omnes totius vitæ indulgentias defunctis applicari curant.

3°/ Quoad *intentionem opera adimplendi* eo fine in quem ex mente concedentis sunt dirigenda, nota non semper, uti vidimus, hujusmodi opera præscribi, vel, si præscribuntur, non semper determinatum proponi finem. Plerumque tamen injunguntur peragendæ orationes piæ ad intentiones speciales, quæ passim sunt: propagatio religionis catholicæ, exaltatio S. Matris Ecclesiæ, conversio peccatorum, concordia inter principes christianos et extirpatio hæreseos.

Porro, quemadmodum sub 1°/ et 2°/, idque pari de ratione, iterum sufficere videtur intentio *habitualis*, positiva tamen et *explicita*. Nullatenus autem est exigenda

intentio *determinata*, qua scil. determinate intendantur fines ab Ecclesia propositi, sed satis est ut adsit intentio *confusa,* qua fideles velint opera præstare ad mentem Ecclesiæ, vel simpliciter ea ratione illa peragere qua ad effectum lucrandi indulgentiam præscribuntur. Cf. Theol. Mechl., op. cit., p. 22, collatis decr. 12 Julii 1847 (n. 344), et *Raccolta,* p. XVII.

Quo pacto practice convenit hæc tertia intentio cum prima, adeo ut, etiam quando opera ob certos fines imponuntur exequenda, nihil aliud exigatur ab indulgentiam lucrante et opera adimplente, quam *intentio habitualis* (1) *explicita indulgentias occurrentes debite consequendi*, determinando, si placeat, quasnam, inter indulgentias defunctis applicabiles, defunctis applicare intendat (2).

Proinde non est uti necessaria imponenda, sed consulenda est et commendenda praxis, ut in precibus matutinis renovetur intentio eas indulgentias lucrandi quæ operibus bonis per diem occurrentibus adnexæ sunt (3). Cf. Lehmk., op. cit., II, n. 538.

Conclusio. Ad hoc igitur ut fideles indulgentias lucrentur, requritur et sufficit ut 1/ sint in statu gratiæ, saltem quando agitur de indulgentia pro vivis; ut

---

(1) Intentionem *virtualem* vindicant, inter recentiores, Maurel, *Le Chrétien éclairé sur la nature... des Indulg.*, p. 86; Beringer, *Les Indulgences,* I, p. 63; quorum sententiæ favet Gury, II, n. 1055, ad quem locum cfr. Baller.-Palm., op. cit., V, p. 635 et seq.

(2) « Applicatio potest fieri vel uni vel pluribus determinatis animabus, vel in genere in favorem omnium animarum Purgatorii ». Raccolta, p. VIII. Commendat autem Theol. Mechl., op. cit ; p. 51, usum efformandi intentionem « suffragandi primum illis animabus erga quas tenemur pietate, justitia, gratitudine, committendo semper distributionem nostrorum suffragiorum sapientissimæ Clementiæ et Misericordiæ Dei, vel precando B. M. V., Matrem Misericordiæ, ut ipsa dignetur illa distribuere ».

(3) « Il n'est pas nécessaire de savoir d'une manière positive quelle est l'indulgence attachée à tel ou tel acte de vertu, ni même de savoir si cette indulgence existe réellement; il suffit d'avoir la volonté ou l'intention de la gagner si elle existe et telle qu'elle existe ». Beringer, l. c., p. 64.

2/ opera injuncta debite exequantur; et 3/ intentionem habeant saltem habitualem indulgentiam lucrandi: cui intentioni accedat oportet intentio indulgentiam applicandi defunctis, si velint ut indulgentiæ defunctis applicabiles illis proficiant.

A. D. S.

IV

Q. Quodnam est *subjectum* actus creditivi in genere sumpti? Explica.

R. *Actus creditivus in genere sumptus elicitive procedit ab intellectu tanquam a subjecto, imperative a voluntate. Ut ait S. Thomas* (1) « *Credere ad intellectum pertinet, prout est a voluntate motus ad assentiendum* ».

Explicatio. Quæstio procedit de actu creditivo *in genere* seu generice sumpto, scil. de actu naturali fidei, abstrahendo ab ordine supernaturali fidei divinæ. Cùm ordo supernaturalis naturam elevet ac perficiat, opportune inquiritur subjectum actus credendi naturalis, quo melius dein intelligatur quomodo idem subjectum in actu fidei divinæ elevetur, excitetur et adjuvetur a gratia Dei supernaturali.

Jam vero, actus creditivi generice sumpti *subjectum eliciens* est intellectus. Licet enim a voluntate imperetur, est tamen assensus proprie intellectualis quo intellectus veritatem aliquam testificatam admittit ut veram, seu ei adhæret propter testantis auctoritatem. Proprie et immediate igitur procedit ab intellectu eliciente quia objectum suum respicit *sub ratione veri*.

Ut autem perspicuum fiat cur ad talem assensum intellectus requiratur imperium voluntatis, considerandum est (2) veritatem intellectui variis modis elucere

(1) *Summa theol.* 2a 2ae q. 2, a. 2 in corp.

(2) Cfr. Illm ac Reverendm Waffelaert, *Collat. Brug.* II, p. 555 ss. — *Annotationes in Tract. de Virtutibus theologicis*, Brugis 1900, p. 8 ss.

posse, ità ut non omnis assensus intellectus sit ejusdem rationis. Ità 1°/ quandoque evidentia veritatis manifestatur *imperfecte* scil. rationibus tantum probabilibus: tunc intellectus (sub imperio tamen voluntatis) prudenter elicit assensum *opinativum*. — At etiam 2°/ quando evidentia veritatis manifestatur *perfecte* seu rationibus certis, diversimode intellectum movet ad assentiendum juxta modos diversos quo ipsi manifestatur. Ità

a/ quando veritas popositionis intellectui fit evidens *ab intrinseco et immediate*, seu in ipsomet enuntiabili ex ipsa terminorum (subjecti et prædicati) inspectione, intellectum necessario ad se trahit et ad assensum determinat absque ullo voluntatis interventu. Ità v. g. mens *cogitur* ab evidentia primorum principiorum quæ axiomata dicuntur.

b/ quando veritas propositionis menti innotescit *ab intrinseco* sed *mediate*, scil. non immediate ex inspectione utriusque termini, sed mediante quodam principio in se evidente atque intrinsecum habente nexum cum veritate proposita, habetur evidentia mediata quæ absque voluntatis imperio necessario mentem cogit ad assensum. Ità etiam in corporalibus non modo necessario videntur quæ sunt per se lucida, sed etiam ea quæ lucem ab aliis mutuantur.

c/ Demùm, adest quandoque sola evidentia *extrinseca*, quæ tota versatur circa quoddam esse extrinsecum rei, puta esse attestatum, esse credibile. Tunc veritas seu connexio subjecti et prædicati non apparet menti intrinsece, scil. in ipsa enuntiatione, sed solùm intellectus certus fit eamdem veritatem ab alio intellectu in seipsa cognosci ut veram. Intellectus ergo in hoc casu veritati testificatæ formaliter adhæret non ex rationibus rei intrinsecis, sed ob rationes extrinsecas probantes veritatem ab alio testante possideri seu cognosci. Porrò *hujusmodi est actus creditivus generice sumptus, in quo intellectus veritati attestatæ adhæret sub motione voluntatis, præsupposito judicio credibilitatis.*

Dicitur 1/ *sub motione voluntatis*. Talis determinatio intellectus a parte voluntatis necessario requiritur in omni assensu qui non determinatur evidentia intrinseca et perfecta. Etenim in talibus intellectus nequit seipsum determinare, cùm non sit facultas libera sed necessaria; neque etiam necessario determinatur a veritate intelligibili, cùm ex sese determinetur tantum ab intelligibili viso seu intrinsece evidenti, quæ evidentia intrinseca in actu creditivo deficit cum testimonium qua tale nunquam faciat apparere objectum in semetipso. Ergo relinquitur determinatio intellectus in potestate voluntatis. Hæc autem non tantum assensum permittit sed eum libere intellectui per actum positivum *imperat*, quatenus veritati sufficienter propositæ intellectum immediate applicet ad assentiendum. Et ità intelligitur quomodo actus creditivus eliciatur quidem ab intellectu, seu *elicitive* ab eo procedat tanquam a subjecto, *imperative* vero a voluntate. Ità etiam intelligitur quomodo verissime dixerit S. Thomas: « Credere ad intellectum pertinet prout est a voluntate *motus ad assentiendum* ».

Voluntas autem libere movet intellectum seu movetur ipsa *ad volendum credere* motivo sibi proprio quod est bonum: puta quia bonum est assentire vero, quia bonum est non irrationabiliter agere, quia credere est utile etc. Intellectus tamen ex illo imperio voluntatis assentit veritati propositæ ob motivum sibi proprium, i. e. verum quod continetur in auctoritate testantis. Assensus autem ille imperatus, si datur, vocatur *fides*, quia vi illius assensus non videmus nec scimus veritatem in se, sed *fidimus* alteri eam possidenti (1).

---

(1) Cfr Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *Coll. Brug.* 1897, p. 559. — *Notere juvat* in actu fidei moveri intellectum voluntate ut causa directa quæ *ex propria ratione et natura assensus* requiritur, et non tantum per accidens. Ità per accidens voluntas movet intellectum ad assensum opinativum, quando evidentia intrinseca rei non ità perfecte affulget intellectui, ut tollatur omnis possibilitas dubitandi. Tunc enim non intervenit per se, ex natura motivi assensus, sed solum ad removendum

Dicitur 2/ *præsupposito judicio credibilitatis*. Voluntas enim non potest imperare assensum intellectui propter rationem aliquam seu motivum (1) cujus existentia et natura non fuisset ei prius monstrata ab ipso intellectu. Ante assensum igitur in ipsam veritatem testimonio prolatam, *prærequiritur* assensus intellectualis (evidens vel saltem certus) tùm in auctoritatem testis i. e. in ejus scientiam et veracitatem, tùm in factum testificationis. Duplex illa cognitio prævia producit *judicium credibilitatis*, quo videlicet nondum creditur res, sed judicatur evidenter credibilis propter motiva manifestantia auctoritatem et testimonium, quæ ideo vocantur *motiva credibilitatis* (2). De his jam sicut et de motivo fidei in q. sequenti.

A. C.

V

Q. Explica quodnam sit munus proprium *motivorum credibilitatis* et *motivi fidei* in actu creditivo?

R. *Motiva credibilitatis fundant judicium credibilitatis, adeoque licet proxime non moveant intellectum ad assensum creditivum, sunt tamen conditio ad assensum fidei formalem omnino prærequisita; motivum fidei (auctoritas testantis) proxime et formaliter ex parte objecti intellectum movet ut rei testificatæ adhæreat ut veræ.*

Explicatio. Munus motivorum credibilitatis in ipso actu creditivo. Motiva credibilitatis ne partialiter quidem ingrediuntur motivum fidei proximum et formale,

---

aliquod *accidentale* prohibens, i. e. impedimentum irrationalis dubitationis. Contrà in actu fidei voluntas intervenit per se, ut causa requisita ex propria natura motivi assensus creditivi. In hoc enim actu veritas intrinsece et in se *nunquam* videtur, adeoque in nullo casu intellectum ad assensum determinare valet.

(1) Debet scil. illud motivum prævie cognosci antequam *in ipso actu fidei* actu exerceat motivi munus.

(2) Cfr Ill^{m} ac Reverend^{m} Waffelaert *l. c.*

adeoque proxime et formaliter non movent intellectum ut objecto proposito adhæreat ut vero; sunt solummodo conditio prærequisita ut intellectus veritati testificatæ possit assentire, adeoque vocari possunt actus creditivi motivum *remotum* in quod scil. fides *dispositive* resolvitur.

In ipso enim actu creditivo intellectus humanus nullo modo *proxime et formaliter* assentit veritati propositæ ut veræ propter motiva quæ manifestant testis auctoritatem factumque testificationis. Non motiva intellectum movent ad assensum sed auctoritas testis per illa motiva utique manifestata. Scil. assensus datur formaliter propter dignitatem quam habet testificans ad hoc ut fidatur sibi, non propter motiva quæ illam testis dignitatem credenti manifestant. Attamen illa credibilitatis motiva sunt *conditio* ad ipsum fidei actum omnino prærequisita. Est enim assensus fidei assensus voluntarius quidem sed plane rationabilis. Voluntas autem, ut in quæstione præcedente dicebamus, nequit intellectui rationabiliter imperare fidem, nisi objectum assensus ope motivorum credibilitatis judicetur evidenter credibile. Credibilitatis motiva immediate ostendunt veritatem propositam esse credibilem, et ità auctoritatem testis seu motivum fidei formale applicant intellectui credentis. Et hoc sensu dici potest fidei actum *dispositive* resolvi in motiva credibilitatis tanquam in motivum *remotum* (1).

Munus motivi actus creditivi *consistit in movendo intellectu ut objecto proposito adhæreat ut vero:* Est enim actus creditivus assensus intellectualis; intellectus autem a veritate movetur tanquam a proprio motivo.

Motivum actus creditivi jure merito (2) distinguitur

---

(1) Cfr *Coll. Brug.* 1896, T. I, p. 174 s.

(2) Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *Annot. in tract. de virt. theol.*, Brugis, 1900, p. 8 et 12. « De modo loquendi.... advertimus quosdam AA. indiscriminatim adhibere terminos: objectum formale et motivum formale, quod quidem minoris refert ubi agitur de veritate ex se inno-

ab ejus objecto formali. Objectum formale est nota seu formalitas sub qua objectum materiale seu propositio credenda attingitur. Jam vero, intellectus ipsi adhæret quatenus testimonio profertur ab illo qui auctoritate gaudet. Duplex ergo formalitas: dictio testis ejusque auctoritas ingreditur formale fidei objectum. *Motivum* vero formale continetur ultima formalitate sola scil. auctoritate. Etenim factum testificationis seu dictio proprie intellectum non movet ut veritati propositæ adhæreat ut veræ: nihil enim confert dictio ad objectivam rei veritatem. Verùm movet intellectum credentis testantis auctoritas scil. ejus scientia atque veracitas antea cognitæ. Per hanc enim auctoritatem et *per hanc solam testimonium, qua tale, est cum veritate connexum,* licet connexio maneat semper extrinseca relate ad rem testificatam. Formale igitur assensus creditivi motivum est sola auctoritas testantis: ipsa autem ex parte objecti movet intellectum ad assensum veritati testificatæ adhibendum.

Doctrinam expositam fidei divinæ applicare juvat. In fide divina supernaturali, Deo revelanti non credimus proxime et formaliter propter motiva sive interna (sanctitatem et sublimitatem doctrinæ revelatæ, ejus conformitatem cum principiis rationis evidentibus etc.); sive externa (prophetias, miracula, ipsam Ecclesiam catholicam) quibus veritates revelatæ redduntur credibiles, sed proxime his veritatibus revelatis assentimus propter auctoritatem Dei revelantis per credibilitatis motiva manifestatam. — Doctrinam expositam ità compendiose applicat fidei divinæ Conc. Vatic. « Quamvis... assensus fidei locum habere non posset, nisi adessent motiva credibilitatis, voluntas tamen elevata imperat assensum et intellectus elevatus formaliter

---

tescente et ratione sui admissa;... sed utique majoris interest et secus facile aliqua confusio oritur... quando agitur de objecto per testimonium proposito et ratione auctoritatis admisso, quæ non inhæret objecto sed nexu tantum extrinseco cum illo cohæret. »

assentitur non secundum mensuram cognitionis motivorum credibilitatis, quæ sunt solum *revelationis applicatio et prævia conditio ad fidem*, sed secundum mensuram *auctoritatis Dei revelantis*, quæ est *motivum formale fidei* ». (Coll. Lac. XII, col. 534).

A. C.

VI

Q. *An et quamnam censuram incurrit sacerdos infirmo, sine parochi licentia, Extremam Unctionem vel Eucharistiam ministrans?*

R. Extremæ Unctionis administratio et communio infirmorum in eorum domo jura sunt parochialia quæ violare nefas est et sub gravi prohibitum (1). Utrum autem hujusmodi juris violatio censura aliqua plectatur hîc est indagandum.

Porrò distinguere oportet inter sacerdotem sæcularem et regularem: prior ex hoc capite nullam incurrit censuram; etenim neque Concilium Tridentinum, neque Constitutio *Apostolicæ Sedis* Pii IX, neque subsequentes pontificiæ ordinationes ullam talem pœnam contra illum edicunt. Regularis vero sacerdos præfatum delictum committens incurrit, positis ponendis, excommunicationem R. Pontifici simpliciter reservatam vi art. XIV, Tit. II, const. *Apostolicæ Sedis*, sequentis tenoris:

Religiosos præsumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremæ Unctionis aut Eucharistiæ per viaticum ministrare absque parochi licentia, (excommunicationi latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ subjacere declaramus).

Dicimus I: sacerdos **regularis** (*Religiosos*, ait Pontifex): quæ vox in hac materia odiosa stricte est inter-

(1) Cfr. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. comp.* (ed. 1899), T. I, n. 470 et 473.

pretanda. Quare sub illo nomine hîc non veniunt nisi professi votorum solemnium; quibus tamen addendi sunt, juxta concordem auctorum sententiam, Patres Scholastici Soc. Jesu, cùm et ipsi, vi constitutionis *Ascendente Domino* Gregorii XIII, ut *veri et proprie dicti religiosi* sunt habendi. Quapropter huic censuræ obnoxii non sunt sodales institutorum quorumvis in quibus non emittuntur vota solemnia; imò cùm controvertatur utrùm veris religiosis accensendi sint illi qui in ordinibus regularibus proprie dictis, juxta constitutionem Pii IX *Ad universalis Ecclesiæ regimen* de die 7 Febr. 1862, emiserunt vota simplicia triennio duratura, prævie ad professionem solemnem, nec ad hos in praxi præsens censura extendi potest. (1)

Dicimus II : **Positis ponendis.** — Nam ex ipso textu cit. plures colliguntur conditiones verificandæ ut excommunicatio incurratur. Ita

Requiritur 1/ quod attinet Eucharistiam, hanc ministrari *per viaticum*, i. e. ut infirmus satisfaciat præcepto divino sumendi Eucharistiam in articulo mortis. Unde, quamvis delatio SS. Sacramenti ad infirmos *devotionis causa* communicare volentes, saltem si publice fiat (occulte autem deferre sine indulto Apostolico non licet), privative ad parochum spectet (2), hæc tamen sub præsenti canone non comprehenditur.

Requiritur 2/ ut ministretur extrema Unctio vel Viaticum *clericis aut laicis;* intellige, iis qui de jure exeuntium Sacramenta a parocho recipere debent. Ideoque censuram evaderet religiosus qui dicta Sacramenta ministraret regularibus aut novitiis etiam non sui ordinis, sive intra sive extra monasterium decumbentibus; — vel etiam laicis regularium familiaribus

---

(1) Cfr. *Nouv. rev. th.*, T. X, p. 181 sq. — Pennacchi, *Comment. in const.* Apost. Sedis, T. I, p. 1018 sqq.

(2) Cfr. Piat, *Præl. juris regularis*, (ed. 1890), T. II, p. 431 sq. — De Brabandere-Van Coillie, l. c., n. 470; aliique ibid. cit.

domesticis, modo hæ tres conditiones copulative concurrant, juxta præscriptum Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 11 *De reform.*, et const. Gregorii XIII *Circumspecta* 25 Nov. 1580, videlicet: a/ quod familiares regularibus actu inserviant; b/ quod intra eorum septa ac domos resideant; c/ quod sub eorumdem obedientia vivant: scilicet non sub obedientia religiosa, sed servili, qualem profitentur famuli Dominis suis (1). Illi enim omnes quoad Sacramentorum receptionem, non parocho sed superioribus regularibus subduntur. Pariter Regularibus licet Sacramenta administrare pauperibus in hospitalibus suis degentibus (Clement. 1, § 2, *De privilegiis* etc.); item Tertiariis, dummodò vel collegialiter, vel cum claustralibus habitent (S. C. Ep. et Reg. 20 Decemb. 1616). Ast idem non valet de sæcularibus qui inter septa monasterii quidem continuo degunt non tamen servitii causa, sed ratione hospitii aliave quavis, uti pluries a S. C. C. fuit decisum (2). — Opinantur nonnulli (3) posse Regulares suorum collegiorum alumnis internis ultima sacramenta ministrare; at multò communius negatur id eis licere, nec videtur dicta opinio componi posse cum variis SS. Congregationum resolutionibus, quas refert et exponit Pennacchi, l. c., p. 1025 sqq. (4). Sed quod non possunt Regulares vi juris communis, valent quandoque vi indulti pontificii vel concessionis episcopalis. (5)

Immerito, etiam quidam scriptores excipiunt administrationem eorumdem Sacramentorum *peregrinis ac*

---

(1) Cfr. Bizzarri, *Collectanea S. C. Episc. et Regul.* (ed. 1863), p. 617, nota (1).

(2) V. g. *In Cremen*, 17 Febr. 1649. — *Asten. jur. paroch.* 27 Nov. 1717.

(3) Ita censent Avanzini apud *Acta S. Sedis*, T. III, p. 61. — Ballerini-Palmieri, *Theol. mor.*, T. VIII, p. 262; — Hilarius à Sexten, *De cens. eccl.*, p. 208.

(4) Cfr. etiam *Nouv. rev. th.*, T. X, p. 185 sq.

(5) Sic in diœcesi Brugensi, per statuta (ed. 1890), p. 107, conceditur Regularibus proprie dictis ut « discipulis in scholis vel collegiis decumbentibus Sacrum Viaticum et extremam Unctionem administrent ».

vagis, hac ratione innixi, quod illi, utpote non habentes domicilium aut quasi-domicilium in parochia non sunt parocho subditi (1); immeritò, inquam, quia, ut tradunt passim, Eugenius IV peregrinis et vagis in ordine ad sacramentorum receptionem parochum loci, in quo hìc et nunc degunt, uti parochum proprium assignavit. Quare incunctanter asserit Feye quòd iidem « *certo* tenentur a parocho loci sub cujus parochia nunc sunt suscipere Viaticum et Extr. Unctionem, etiamsi infirmentur in monasterio ». Tr. *de parochis*, n. 158 (2).

Requiritur 3/ ut illa sacramenta ministrentur *extra casum necessitatis.* Obtinet autem casus necessitatis, quando, infirmo in gravi periculo mortis constituto, parochus vel ejus vices gerens est absens, aut tempore opportuno advenire nequit, aut saltem rationabiliter timetur ipsum tempestive non posse accedere; vel, quod vix supponere licet, quando parochus ægroto injuste sacramenta denegare audet. — « Casui necessitatis, scribit Piat, l. c., p. 433, acquiparandus videtur casus, quo infirmus, qui indigne viaticum suscepit, adeoque præcepto divino non satisfecit, in se reversus religiosum advocat, cui sacrilegium confitetur, et ab eo, ad vitandam infamiam, petit ut clanculo viaticum ad se deferat ». Et requidem verà non posset in casu parochi licentiam exquirere religiosus, quin sigillum sacramentale frangat.

Requiritur 4/ *præsumptio* (præsumentes); quare a præsenti censura excusat quævis ignorantia, etiam probabiliter affectata (3).

---

(1) Ita censet Bucceroni, *Theol. mor.*, T. II, n. 1197; — et videtur consentire Hilarius a Sexten, l. c., citans alios pro eadem sententia, quorum plerique de hac quæstione ne verbum quidem habent.

(2) Item De Brabandere-Van Coillie, l. c., n. 470: « Omnes fideles, sive laici, sive clerici, qui graviter decumbunt in parochia, censentur parochiani quoad susceptionem Viatici, etiamsi accidentaliter tantum vel transeunter in parochia versarentur ».

(3) Cfr. *Collat. Brug.*, T. IV, p. 38 sqq. — Pennacchi, l. c., n. 1021.

Tandem in supposito est prædicta fieri *sine parochi licentia*. Ante constitutionem Pianam, ex Clement. *Religiosi*, 1, De privilegiis etc., requirebatur licentia *specialis*. Cùm autem Pius IX hoc verbum omiserit, communiter traditur jam sufficere quamvis licentiam sive expressam, sive tacitam, sive rationabiliter præsumptam, si nempe parochus eam certò daturus fuisset. Ceterùm sufficit quoque licentia illius qui parochi vices gerit, item et illius qui jurisdictione ordinaria parochi superior est, seu Episcopi.

H. V. D. B.

Circa Onanismum Conjugalem

Apud *Collat. Brug.*, tom. V, pp. 163-168, sub concinniori forma responsi ad quæstionem pro conferentiis positam, præcipua principia proposuimus hanc materiam salebrosam regentia. Quæ latius evolvenda assumpsit clarissimus Degryse, apud *Nouv. Rev. theol.*, tom. XXXII, pp. 579-622, nonnullis hinc inde motis contra nos difficultatibus, eo fine ut quæstio, nimis eheu! practica, ad novum examen vocaretur. Cui legitimo desiderio pro viribus morem gerere, hucusque impediti, ultro aggredimur, eo vel magis quod lis agitur circa principia quæ ad ipsam medullam rei moralis pertinent.

Quæstio palmaris, in qua tanquam in cardine tota movetur controversia, est utrum conjugibus unquam liceat copulam exercere carnalem *cum intentione eam ante seminationem abrumpendi, ne proles generetur.* Ad cujus quæstionis solutionem principia præmittit laudatus Auctor, quæ ad casum propositum applicat, practicas exinde deducendo conclusiones. Nimirum

A/ Quoad *quæstionem juris*,

Docet 1°/ copulam, ante seminationem abruptam et cum intentione abrumpendi incœptam, vacare *a culpa lethali*, quando

a/ non est inchoata pollutio, et simul

b/ abest periculum pollutionis, vel saltem, si datur, non est probabile periculum et ratio subest gravis actum ponendi ; cf. N. R. th., l. c., pp. 600-615.

2°/ eamdem copulam, quemadmodum omnem actum venereum imperfectum, excusari a culpa etiam *veniali*, licet exerceatur ob *solam* sedationem concupiscentiæ, *positive excluso fine generationis,* modò ratio sit hunc finem excludendi, puta ob egestatem et prolium multi-

tudinem, vel periculum in partu. Cf. N. R. th., l. c., pp. 591-592, collata p. 588 (1).

B/ quoad *quæstionem facti*,

Censet clarissimus Auctor copulam dicto modo abruptam frequenti in casu non esse inchoatam pollutionem, in illa saltem classe conjugum qui venereis sunt assueti, quales passim sunt parentes numerosa sobole gravati; quinimo hujusmodi coitum non importare periculum pollutionis, vel nonnisi periculum remotum, non probabile. Cf. l. c., pp. 597-600.

Ex quibus *concludit* 1°/ conjuges venereis magis assuetos, mutuo consensu copulam exercentes abruptam, frequenti casu esse *a gravi* excusandos adeoque ad absolutionem admittendos, quia hujusmodi copula, nedum sit penes illos inchoata pollutio, ne periculum quidem pollutionis inducit, vel periculum remotum dumtaxat, quo non obstante proportionata causa potest cohonestari. Cf. pp. 617-619.

2°/ quodsi hac ratione agunt ex honesto motivo, eos ab *omni* culpa *etiam veniali* esse innoxios, licet copulam *inchoaverint cum intentione eam abrumpendi, ne proles conciperetur*. Cf. pp. 594, 595 et 618.

Circa quæ liceat proponere nonnullas

Animadversiones.

I/ Quoad **Quæstionem juris**.

Ad Primum. Haud ægre subscribimus principio sub 1° enunciato, vi cujus immunis habetur a culpa *mortali* copula de qua quæritur, *si verificentur conditiones assignatæ*.

Et sane ante omnia requiritur ut illa copula abrupta

(1) « Actus ita imperfecti (qualis copula abrupta), secluso pollutionis periculo, *licent* conjugibus, etiamsi ad copulam perfectam *nullo modo* dirigantur »; quod ultimum statim explicatur, quatenus intentio generationis non adsit « imo *implicite et explicite etiam excludatur* ». Cf. etiam p. 588 et p. 618.

non sit inchoata pollutio, seu non æquivaleat procurationi pollutionis; secus enim esset actio intrinsece mala, adeoque semper vetita.

Hoc autem supposito, est habenda ad instar tactus verendorum, eique applicanda sunt principia quæ regunt moralitatem tactus impudici inter conjuges. Qui tactus, citra pollutionis periculum exerciti, legitimantur in matrimonio, vel saltem a gravi culpa vacant, quia proxime vel remote tendunt ad finem generationis.

Quinimo iidem tactus possunt a mortali excusari, etiam ubi periculum, illudque probabile, important pollutionis, modò pollutio non intendatur, desit periculum ulterioris consensus in illam, et ob gravem et urgentem causam adhibeantur; quæ quidem causa difficilius aderit in tactibus impudicis (nisi fiant proxime in præparationem copulæ) quam in pudicis, potest tamen adesse saltem in reddente, uti ipse S. Alph., l. VI, n. 934, non diffitetur.

Ad secundum. Nullatenus possumus admittere, quod asserit laudatus Auctor sub 2°/, actus nempe venereos imperfectos adeoque copulam ante seminationem abruptam posse, citra culpam *venialem*, exerceri ob *solam* sedandam concupiscentiam, *positive excluso fine generationis;* et in hac parte doctissimo Scriptori inhæsitanter contradicimus.

Porro *argumentum* quo nitimur est sequens:

Quando actus habet *finem operis proprium*, ad quem a Deo et a natura ordinatur, inordinate agit et positive lædit ordinem statutum, non tantum ille qui actum illum exercet modo ad dictum finem inepto, sed etiam, licet venialiter tantùm, quicumque, in opere exercendo, intentione sua finem *positive excludit;* etsi possit, salva *honestate* actus, ab illo fine *abstrahere*, agendo scilicet ex intentione alterius finis honesti, quin ad finem proprium attendat (1).

(1) Ad meram nempe *honestatem* sufficit ut finis operantis fini operis

Jamvero finis proprius actus conjugalis, et consequenter actuum copulæ circumstantium, est in *sola procreatione prolis*, ad quam natura sua tendit et a Deo ordinatur.

Quod patet vel ex eo quod, fatentibus omnibus, copula nequit unquam exerceri, nisi *de se apta generationi;* si autem copula, præter generationem, alium haberet finem operis proprium, non intelligeretur quomodo, quando ad generationem est de se inepta, puta in spadonibus, non posset exerceri ob alterum finem, aptitudine ad hunc servata; non intelligeretur etiam quare copula inter solutos sit intrinsece mala.

Consequuntur quidem ad copulam et actus venereos imperfectos delectatio et sedatio concupiscentiæ, sed in hos effectus non ordinantur actus illi tanquam in finem operis proprium. Et profectò delectatio non est nisi perfectio (et complementum) operationis (1), ac ideo actui conjugali adnectitur ut appetitu delectationis ad ipsum opus avidius applicentur homines.

Pariter concupiscentia, utpote quæ nihil aliud est quam delectationis appetitus (2), ad hoc in homine excitatur ut impellatur ad ipsum opus, cui delectatio quam appetit adjungitur, adeo ut finis proprius ab Auctore naturæ intentus securius et efficacius obtineatur (3). Nequit proinde opus tanquam in finem *proprium*

---

non opponatur contrarie, et minime requiritur ut *explicite et exercite* conveniat cum illo, quod spectat ad solam *perfectionem* actus, uti ostendimus apud *Collat.*, tom. V, pp. 169-170; ubi notavimus ex eo quod non excludatur generatio, *implicite* ab operante dirigi opus in finem generationis tanquam in finem proprium.

(1) S. Thom., *contra Gent.*, l. I, cap. 90.

(2) S. Thom., in 1ª 2æ, qu. XXX, art. 3: « concupiscentia est appetitus boni delectabilis ».

(3) Siquidem concupiscentia est appetitus delectationis, ille qui ad opus conjugale accedit propter sedationem concupiscentiæ, quærit opus in quantum voluptatem procurat, adeoque agit propter delectationem; ac proinde, si copula exercetur propter *solam* sedandam concupiscentiam, *excluso fine generationis*, eadem incurritur inordinatio quam si opus ponitur *propter solam* (sensu exclusivo) *delectationem*. Qua ratione

ordinari in sedationem concupiscentiæ, quæ ad hoc excitatur ut opus ponatur (1).

Unde luculenter apparet nunquam in actu conjugali et actibus connexis exercendis posse *excludi* finem generationis *positivo voluntatis actu;* quamvis possint impune exerceri propter delectationem vel sedationem concupiscentiæ, *abstrahendo* a fine proprio et ad eum non attendendo.

Quæ principia, cum conclusione ex eis deducta, ut penitius perspiciantur et rite intelligantur, necnon ut Auctores aptius inter se componantur, nonnulla utiliter attendenda proponuntur:

1°/ Multum importat distinctio ponenda inter *positivam exclusionem* finis et *abstractionem* a fine generationis.

2°/ Non est inordinatum quod conjuges in exercendo actu conjugali *optent* prolem non suscipere, saltem si justa de causa id desiderent, puta ob paupertatem, ne nimia liberorum multitudine graventur.

3°/ Pariter non peccant conjuges qui ab usu matrimonii *abstinent* ex intentione non habendi sobolem, saltem si ratio sit ut proles non nascatur; quemadmo-

---

vindicatur doctrina quam proposuimus, tom. V, p. 171, et contra quam immeritò insurgit laudatus Auctor, l. c., p. 588.

« Si dicas, ait Billuart, in III P., *De matrim.*, diss. IV, art. 2, hanc delectatiónem assumi in matrimonio ut medium (ad quietem petulantis carnis et ulterius) ad vitandam delectationem extra matrimonium: Esto: semper verum est eam assumi ut finem proximum copulæ matrimonii, sicque operationem ordinari ad delectationem, quod est perversum, ut diximus. Insuper delectatio in copula matrimonii non est medium a Deo vel natura ordinatum ad vitandam delectationem extra matrimonium; sicut delectatio in esu piscium die prohibito non est medium ordinatum ad vitandam delectationem carnium ».

(1) Si sedatio concupiscentiæ et inde consequens evitatio fornicationis dicitur finis secundarius matrimonii, non est, uti ait Billuart, l. c., « quod Deus aut natura directe et immediate illud ordinaverit ad fornicationem vitandam..., sed quia concupiscentia per copulam matrimonialem sedata non ita stimulat ad fornicationem... Unde debet potius dici (merus) effectus consequens ad matrimonium quam ejus finis secundarius ».

dum non sunt culpandi parentes qui, ne proles multiplicetur, matrimonio *non utuntur* tempore ad generationem aptiori, modò in ipsa copula, quam exercent ageneseos tempore, non excludant positive finem generationis. Non potest scilicet excludi finis generationis *in actu conjugali exercendo;* ab hoc autem potest *abstineri* ne proles gignatur. Quo pacto

4°/ Non videtur, per se et abstracte loquendo, reprobanda doctrina juxta quam copula, *ex fine sedandæ concupiscentiæ* et non excluso fine generationis *inchoata*, a *veniali* excusatur, licet conjuges *postea*, incœpta jam copula, *a perficiendo opere abstineant*, copulam ante seminationem abrumpendo, vel quia seminatio hic et nunc prævidetur nosciva sanitati, vel etiam ne proles multiplicetur: ex supposito enim *ipsum actum exercent* servato fine proprio, et *mere abstinent* ab actus perfectione ex intentione non generandi.

Atvero 5°/ quando *inchoatur* copula cum intentione eam abrumpendi *ne proles generetur*, tunc *ipse actus exercetur* cum positiva intentione non procreandi ac positive excluso fine generationis, ac proinde, juxta vindicatum principium, vitiatur ipsum operis exercitium et inordinatio saltem venialis incurritur (1).

Ad Crisim Auctorum quod spectat, inter illos quos juvit consulere paucos reperimus faventes sententiæ impugnatæ, quæ contendit actum conjugalem et actus venereos imperfectos inter conjuges licere, et culpa *etiam veniali* vacare, licet exerceantur ob *solam* sedan-

(1) Nequaquam igitur indifferens est utrum illa copula fuerit *incœpta* cum intentione abrumpendi ne generatio sequatur, utrum vero ob sedandam concupiscentiam ad illam accesserint conjuges, retento fine proprio, et postea tantum, *inchoato jam actu*, eum abruperint ob causam tunc primum exurgentem vel menti occurrentem, etiamsi fieret ideo ut procreatio vitetur, propter egestatem. Quod discrimen inter utramque hypothesim negat laudatus Auctor, l. c., p. 585, idque logice in sententia ab ipso propugnata, a nobis vero reprobata, juxta quam liceret actum conjugalem exercere ob *solam* sedationem concupiscentiæ, positive excluso fine generationis.

dam concupiscentiam, *positive excluso fine generationis.* Et revera plerique quos pervolvimus vel

A/ severius contendunt in actu conjugali ne *negative* quidem posse excludi finem procreandæ prolis, nec adeo licere opus exercere propter sedandam concupiscentiam, etiamsi finis proprius non excludatur sed ab eo mere præscindatur.

In hunc sensum videntur (1) interpretandi S. August., Lib. *de bono conjugali*, cap. VI (2); S. Fulgentius, Ep. 1ª de conjugali debito, cap. IV (3); S. Gregorius, l. 32 *moral.*, cap. 17 (4); S. Thom., *Supplem.*, q. 49, art. 5, ad 2m (5); S. Bonaventura, *in IV Sent.*, disp. 31, art. II, qu. 2; Scotus, *in IV Sent.*, dist. 31 dicit se favere S. Augustino culpam venialem agnoscenti in coitu ob sedandam concujuscentiam habito; Henno, *Theologia dogm.*, II, *Tractatus de matrim.*, Disp. VI, qu. IV, concl. 2ª; Cardenas, *Crisis Theolog.*, P. IV, disp. VII, n. 50; Juenin, *De Sacramentis*, Dissert. X, qu. 8; Contenson, *Theologia mentis et cordis*, l. IX, P. IV, dissert. 4ª, cap. 1º, propos. 1ª; Patuzzi, *Theol. Mor.*, tom. VI, tractat. X, cap. XI, n. 16; Estius, in IV Sent., disp. XXI, § 7; Genettus, *Theol. Mor.*, tract. IX, *De Sacramento Matrimonii,* cap. X, qu. 5; Billuart, *Summa S. Thom.*, In III P., *Tract. de Matr.*, dissert. IV, art. 2; et alii recentiores contra quos arguimus, tom. V, p. 169.

---

(1) Sunt tamen qui censent quosdam saltem ex Auctoribus citatis loqui *sensu exclusivo*, quatenus « volunt tantùm esse inordinatum si usus matrimonii adhibeatur *solius* voluptatis et concupiscentiæ explendæ causa, *excluso fine primario* »; Reuter, *Theol. Mor.*, P. IV, tract. VIII, cap. VI, qu. 1ª, collato Juenin, l. c.; qua ratione essent adducendi sub B/. Cfr. etiam Genettum, l. c.

(2) « Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam: concupiscentiæ vero satiandæ... venialem habet culpam ».

(3) Maculam contrahit... quisquis non pro sola generatione, sed etiam propter fragilitatem carnis suæ miscetur uxori ».

(4) « Tunc solùm conjuges in admixtione sine culpa sunt, cum... pro suscipienda prole miscentur ».

(5) « Si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua infirmitas, et secundum hoc est peccatum veniale, nec ad hoc matrimonium est institutum nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus ».

Sunt qui permittunt quidem intendi concupiscentiæ sedationem, sed unice quando alia media coercendæ carnis sufficere non videntur. Ita Sanchez, *De Matrimonio,* l. IX, cap. IX, n. 4; collatis cap. XIX, n. 3 et cap. VIII, n. 8 et 10; Soto, *In IV Sent.,* dist. 31, art. 4; Filliucius, *Quæstiones Morales*, tract. X, Parte I, cap. IX, n. 320; Sylvester, *Summa*, V° *Debitum Conjugale,* n. 14; Reginaldus, *Praxis fori pœnitentialis*, L. 31, cap. XLIV, n. 338. S. Antoninus, *Summa theolog.*, Pars III, tit. I, § VIII, docet conjuges posse intendere sedandam concupiscentiam, ubi non est spes prolis.

Vel B/ si propugnant liceitatem copulæ propter sedandam concupiscentiam exercitæ, etiam neglecto seu non attento fine generationis, expressis verbis addunt conditionem: modò non excludatur positive finis procreandæ sobolis, vel saltem conditionem aperte supponunt.

Præ cæteris clare loquuntur Lacroix (1), *Theol. Mor.*, L. VI, Parte III, n. 392 et n. 393; Amort, *Theol. mor. et scholastica*, tom. III, *Tractatus de matr.*, parte VI (2); Mastrius, *In IV Sent.,* Disput. VII, *De Matrim. Sacram.,* art. 2, n. 534 (3); Voit, *Theol. Mor.,* P. II, cap. VII, n. 1208 (4); Reuter, *Theol. Mor.,*

(1) Tanquam sententiam probabilissimam admittit « nullum fore peccatum præcise intendere vitationem concupiscentiæ, et remedium sui peccati, *dummodò positive non excludatur finis primarius* ». Rationem esse dicit: « quia hic finis est honestus, nec ullo modo opponitur fini primario, qui non necessariò semper intenditur, uti patet in senibus et sterilibus... quia non tenemur semper positive agere ex fine intento a Deo vel legislatore, sed satis est si actus noster referatur ad finem honestum, *et non excludatur relatio ad finem a lege intentum* ».

(2) Docet finem operis esse generationem, et inde usum matrimonii semper debere tendere in generationem, sive immediate sive mediate; quin tamen impediat ut alius sit finis operantis, relicta relatione ad finem operis.

(3) Dicit quemvis finem honestum posse intendi « *dummodò non excludatur positive,* tacite vel expresse finis principalis »; quem superius dicit esse prolis procreationem.

(4) « Qui exercet copulam conjugalem... propter vitandam incontinentiam... non peccat, quia sic non intenditur solus finis secundarius; *secus si excluditur finis primarius* (generatio) ».

P. IV, tract. VIII, cap. VI, qu. 1 (1). Accedunt Salmanticenses, *Cursus theol. mor.*, cap. XV, Puncto V, n. 56 (2); Basilius Pontius, *De Sacram. Matrim.*, l. X, cap. VIII (3); Tannerus *Theol. scholast.*, tom. IV, Disp. VIII, qu. 6, dub. III (4); Reginaldus, op. cit., n. 338 collato n. 337, ad quem remittit; Daelman, *Observationes theolog.*, tom. IX, qu. 5, observatione 3ia (5); S. Alph., l. VI, n. 882; Theol. Mechl., *De Matrim.*, ed. 1894, n. 48, qu. 2a, collata qu. 4a ejusdem numeri.

vêl C/ Simpliciter docent, contra severiorem doctrinam de qua sub A, posse agi propter sedandam concupiscentiam, quin *aperte requirant* tanquam conditionem necessariam ut non excludatur finis generationis; attamen nullo nomine possunt inter patronos oppugnatæ sententiæ adnumerari, cum optime cum nostra doctrina componi queant, uti ex dictis liquet, imo non raro ipsi positive favere videantur.

Ita v. gr. Azor, *Institut. Morales*, P. III, l. III, cap. XIV (6); Ægid. De Coninck, *De Sacram. et Censuris*, tom. II, disp. 34, Dub. I (7); Sporer, *Theol.*

---

(1) Docet posse copulari conjuges in remedium concupiscentiæ, et rationem addit: « neque enim tenemur semper operari ex fine honestissimo (ex fine procreandi), *modò hic positive non excludatur* ».

(2) Licet uti copula in sedationem concupiscentiæ, « cum ad hoc saltem secundariò ordinetur ipsum matrimonium et secundarium finem intendere matrimonii, *retento fine primario*, id est *non expresse illo excluso*, non est deordinatio vituperabilis ».

(3) nn. 4, 5 et 6 passim docet non esse peccatum sibi constituere finem quemvis honestum præ fine proprio primario, « quia, ait, non ideo excludit (ita agens) alium finem intrinsecum, *nisi expresse rejiciat* ». Cf. etiam l. I, cap. XXI, n. 4. Difficultatem aliquam facit l. X, cap. VIII, n. 3.

(4) Non est malum copulari ob vitandam incontinentiam, « quia, ait, licet rem etiam superioris ordinis immediate referre ad rem inferioris ordinis, modò utraque simul actualiter aut habitualiter ad ulteriorem finem referatur ».

(5) « Nihil mali videtur si quis primario in tali actu intendat generationem prolis et secundariò evitationem incontinentiæ ».

(6) Postquam dixit coitum permitti ad vitandam incontinentiam addit « coitum in conjugibus esse ordinatum a natura ad prolis generationem ».

(7) Admittit l. c. sedandam concupiscentiam posse intendi, licet sit

Mor. Sacram., P. IV, n. 487 (1); Gaspar Hurtado, *De Sacramentis et Censuris*, tom. III, Disp. X, diffic. 2ª ; Durandus, *in IV Sent.*, Dist. 31, qu. 4; Herincx, *Summa Theol.*, P. IV, Tract. V, *De spons. et matrim.*, disp. VII, qu. 5, n. 25 (2); Castropalao, *Opus Morale*, P. V, tract. XXVIII, Puncto 3; Emmanuel Sa, *Aphorismi*, V° *Debitum conjugale*, n. 5; Bonacina, *Opera Omnia*, tract. *de sacr. matrim.*, qu. IV, Puncto VI, n. 7; Viva, *Cursus Theol.-Mor.*, P. VII, qu. VII, art. I, n. 1; Roncaglia, *Universa Theol. Mor.*, Tract. XXI, qu. ultima, n. 314; Reiffenstuel, *Theol. Mor.*, Tract. XIV, dist. XIII, nn. 75-76.

vel D/ Mere permittunt quod, in exercitio actus conjugalis *optent* conjuges ut proles non suscipiatur, saltem quando ad illud desiderandum honesto fine impelluntur, juxta superius dicta.

Ita præprimis Tamburini, *Explicatio Decalogi*, l. VII, cap. III, n. 7 (3); Sporer, l. c. n. 487; De Coninck, op. cit., disp. XXV, dub. II, et disp. XXXIV, dub. I.

E/ Nonnulli tandem Auctores qui prima fronte videntur nobis contradicere, excusando a culpa *etiam levi* abruptionem copulæ, *ne multiplicetur proles*, nescio utrum non possent intelligi loquentes de copula *debito ex fine incœpta*, adeo ut supponant ipsum opus rite exercitum, unice vero permittant ut *abstineatur* a perficiendo opere ex intentione vitandi prolis procreationem: in qua agendi ratione per se nihil invenimus reprehen-

---

finis secundarius dumtaxat, quia, inquit, « nulla est lex quæ nos obliget ut in cujusvis rei usu semper ejus finem primarium intendamus ». Cf. Disp. XXV, dub. II.

(1) Licitum est, juxta ipsum, uti matrimonio ad vitandam incontinentiam in seipso « etiam absque intentione *formali* prolis generandæ ».

(2) Licitum docet usum matrimonii ad vitandam incontinentiam etiam *omisso* fine principali generationis; qua ratione excusat eumdem matrimonii usum ex quocumque fine honesto.

(3) Expresse excludere, ait, finem prolis generandæ, imo optare veniale est. — « Quodsi ob bonum finem, v. gr. quia pauper est . , illud *optaret*, ne veniale quidem est ».

dendum, quia ipsum opus non detorquetur a fine suo proprio.

Ita fortassis non male in hunc sensum explicares Sanchez, qui, juxta *Nouv. Rev. theol.*, l. c., p. 625, primus est qui docuit hunc actum culpa veniali carere, si fit ex motivis honestis, et quem, quotquot hanc sententiam tenent, appellant.

Revera 1°/, in opere citato, L. IX, disp. XIX, ubi præsentem quæstionem tractat Sanchez, nullibi dicit copulam *esse incœptam cum intentione abrumpendi ne proles procreetur;* unice quærit utrum liceat copulam inchoatam *non perficere* seu a perficiendo opere *abstinere*.

2°/ *positive* indicat finem ex quo inchoata fuit copula, nempe *ad sedandam concupiscentiam*.

3°/ favet huic interpretationi doctrina quam alibi docet Sanchez, signanter ejusdem libri IX disputatione VIII, n. 10, ubi venialis culpæ reum habet illum qui in exercendo opere conjugali excludit finem generationis.

4°/ favet tandem argumentum quo nititur ad doctrinam suam vindicandam : deducit nempe licitum esse ab operis conjugalis perfectione resilire, cum intentione non generandi, ex eo quod impune possunt conjuges ab omni usu matrimonii *abstinere* ideo ne proles suscipiatur; ex quo principio sane illegitime deduceret liceitatem actus venerei cum ejusmodi intentione *exercendi* (1).

Confer etiam Lacroix, l. c., n. 347 (2); Emmanuel Sa,

---

(1) « Accedit posse optime conjuges communi consensu non vacare copulæ ac generationi: cur igitur eodem consensu non licebit illis a copula incœpta desistere, ubi neutrius seminis dispendium sit »? — « Non enim tenentur conjuges prolis generationi vacare, et sicut ad illam impediendam possunt communi complacito a copula *abstinere*, ita ab incœpta neutrius semine immisso resilire ».

(2) Provocat Lacroix ad Sanchez, et ex alia parte eum audivimus clare docentem in actu conjugali exercendo non posse excludi finem generationis. Cf. supra p. 472 in nota (1).

op. cit., V° *Debitum conjugale*, n. 17 (1); Diana citatum apud *Nouv. Rev. theol.*, p. 584 et 602 (2). Cæterum quidquid sit de hac proposita interpretatione, jam aliunde sufficienter firmata videtur doctrina nostra tum *intrinsece* tum *extrinsece*.

Quoad quæstionem facti.

In hac quæstione utrum revera dentur casus in quibus conjuges venereis magis assueti possint vacare copulæ ante seminationem abruptæ, quin actus ille æquivaleat inchoatæ pollutioni, imo quin importet periculum proximum pollutionis, in hac inquam quæstione diutius immorari nolumus.

Nimirum apud *Collat.*, V, p. 167, obiter notavimus nos non intelligere quomodo hujusmodi agendi ratio practice non sit inchoata pollutio, idque etiamnum ægre intelligimus (3). Cæterum mens non fuit hypothesim absolute negare, quasi similis congressus *semel vel iterum* usurpatus *semper et in omnibus* æquiparandus sit pollutionis procurationi: pro subjecta namque materia agebatur de copula sic peracta *passim et regulariter*, *tanquam norma* suadenda in effugium contra onanismum; et de hac copula est, regulariter adhibita, quod etiamnum difficulter intelligimus quomodo reatum possit vitare inchoatæ pollutionis.

---

(1) « Inchoatam copulam *omittere* ante seminationem.... ».

(2) Priorem citationem invenimus in *Resolutionum* Parte III, tract. IV, Resol. 227, in qua concludit: « Unde non erunt damnandi etiam de culpa veniali conjuges infirmi qui *ad sedandam concupiscentiam inciperent copulam*, et voluntarie eam minime perficerent ».

In altera citatione: « quidam inchoabat copulam cum uxore (puta ad sedandam concupiscentiam), et *postea* ob morbi periculum ex ejus consensu se retrahebat ».

(3) Nequaquam diximus l. c. copulam ante seminationem abruptam esse inchoatam pollutionem *quando constat in ea deesse pollutionis periculum*, quam absurditatem immerito nobis imputat clarissimus Auctor, p. 587; sed simpliciter, uti cæteroquin legenti patet, negavimus hypothesim ab ipso admissam, dari nempe copulam abruptam quæ (passim usurpata) non inducat periculum pollutionis imo pollutionis procurationi non sit æquiparanda.

Attamen, uti vulgatum fert adagium, contra factum non valet argumentum, et libenter morem gerimus diuturnæ et providæ experientiæ doctissimi Auctoris, cum aliis id interdum contingere indubitanter attestantis.

Quibus omnibus attentis **Concludimus** :

1°/ Manet conjuges *ordinarie* et vix non semper esse *sub gravi* arcendos a copula ante seminationem abrupta, saltem ab ea passim exercenda, siquidem ordinarie erit inchoata pollutio ; manet igitur hujusmodi copulam in communiter contingentibus *nullatenus* posse inservire tanquam effugium contra onanismum.

2°/ Quodsi unquam contingat conjuges, experientia facta, copulam ante seminationem abruptam exercere, *citra pollutionis periculum*, si id mutuo fiat consensu, non peccarent *mortaliter*, licet ita agerent ex expressa intentione generationem vitandi ; imo, si sincere testentur se, citra dictum periculum, hoc modo congredi *solere*, non essent *sub gravi* ab hac praxi cohibendi, quamvis *frequenti et diuturna :* et in hoc ulterius procedimus quam sæpe laudatus Auctor, cujus limitationem non probamus quam adducit addendo : « *saltem si raro fiat* », nisi forte velit dicere similem congressum, si *frequens* adhibeatur, non posse effugere periculum proximum pollutionis ; quod est extra hypothesim.

Si autem periculum subest pollutionis, equidem decrit culpa *mortalis*, juxta superius dicta, modò ratio detur proportionata et urgens coeundi et absit periculum consensus in pollutionem.

3°/ Copula illa abrupta, cum intentione abrumpendi incœpta, ne proles generetur, semper est obnoxia peccato *veniali*, quantacumque ratio detur ut desiderent conjuges prolem non procreare ; adeoque nequit tanquam effugium contra onanismum suaderi, etiam ubi abesset omne periculum pollutionis, nisi *tamquam minus malum*, sensu indicato apud *Collat.*, I, p. 496.

A. D. S.

Ex S. Pœnitentiaria.

Dubia varia circa Jubilæum.

I. In Const. *Temporis quidem,* nº 3, ab ampla facultate absolvendi, quæ tribuitur electo confessario, excipitur « *crimen absolutionis complicis ter aut amplius admissum* ». Hinc quæritur: utrum exceptio ista intelligenda sit de crimine absolutionis quod ter aut amplius fuerit admissum *ab ultima confessione* sacerdotis pœnitentis, an potius de crimine absolutionis quod per totam ante actam vitam usque ad momentum quo sacerdos confitetur ad effectum Jubilæi fuerit ter aut plus admissum, ita ut is v. g. qui *antea ob bis* impertitam hujusmodi absolutionem debuerit recurrere ad S. Pœnitentiariam, non possit nunc *vi Jubilæi privilegiorum* absolvi etiam si *semel* tantum reincidat in dictum crimen?

II. Et quatenus ad priorem partem resp. *affirmative*, quæritur: utrum possit ad hunc casum applicari responsum S. Pœnitentiariæ (25 jan. 1901,) quo confessarius permittitur *pluries* uti privilegiis Jubilæi erga pœnitentem qui nondum perfecit omnia opera præscripta ad lucrandam Jubilæi indulgentiam: an contra hæc facultas ad *unum* dumtaxat usum sit data?

III. Libera electio confessarii quæ ad effectum Jubilæi, id est si adsit animus lucrandi Jubilæum, conceditur regularibus et monialibus, potestne ab his semel tantum exerceri an pluries, donec perfecerint opera ad Jubilæum requisita?

IV. Titius, dum opera complebat ad effectum Jubilæi, nullam habuit causam recurrendi ad speciales Confessariorum facultates. Postquam autem indulgentiam Jubiliæi est lucratus tum primum incidit in casum reservatum. Potestne confessarius adprobatus ab ipso electus eum absolvere vi facultatum Jubilæi? An contra nullus suppetat Titio usus privilegiorum Jubilæi?

V. Quoad visitationes præscriptas ecclesiarum, si quis, *una eademque die* (civili vel ecclesiastica) in pluribus versetur locis ubi Jubilæum sit promulgatum, potestne *unius diei* visitationes perficere partim v. g. duas in uno loco, et

partim i. e. duas reliquas in altero, dummodo visitentur in utroque loco binæ ex ecclesiis ab Ordinario designatis, an contra debeant quatuor *ejusdem diei* visitationes in uno eodemque fieri loco?

Sacra Pœnitentiaria mature consideratis expositis dubiis.

Quoad I. Respondet, *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Quoad II. *Provisum in præcedenti.*

Quoad III. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Quoad IV. *Habita ratione Constitutionis* Temporis quidem *negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Quoad V. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Datum Romæ ex S. Pœnitentiaria die 5 junii 1901.

A. Carcani *S. P. Regens.*
R. Celli *S. P. Substitutus.*

Adnotationes. In responso ad 1m declaratur quomodo interpretanda sit exceptio quæ occurrit in amplissimis facultatibus confessario jubilari tributis, a quibus nempe excipitur facultas absolvendi crimen absolutionis complicis, *quod ter aut amplius admissum fuerit.*

Nimirum hoc ultimum intelligendum est *absolute* pro crimine scilicet quod ter aut amplius fuerit patratum *per totam vitam*, et non inde ab ultima confessione dumtaxat.

Quæ cæteroquin interpretatio conformis est tum tenori Bullæ Extensionis, in qua *absque restrictione* jurisdictioni confessarii jubilaris subducitur crimen absolutionis plus quam bis commissum; tum notæ severitati in hac materia vigenti. Et profectò, quando ad S. Pœnitentiariam recurritur pro opportuna facultate absolvendi sacerdotem qui complicem absolvit in peccato turpi, semper exigit S. Congregatio, idque sub pœna nullitatis, ut sibi mentio fiat ejusdem gratiæ, antea forsan a dicto sacerdote jam obtentæ, et severius agit in recidivos in præfatum crimen, licet olim ab illo absolutionem fuerint consecuti.

Nihil igitur posset confessarius, ad effectum lucrandi Jubilæum electus, coram pœnitente qui, inde ab ultima confessione, unam tantum personam complicem semel absolvit, quotiescumque constat illum, in præterita vita, bis erga unam vel semel erga duas personas complices nefandum illud delictum admississe.

Responsum ad 2m continetur in responso ad 1m. Nempe, juxta superius exposita, hoc tomo, pp. 206-208, decreto S. Pœnit. de die 25 Januarii 1901 confirmata (p. 207), potest confessarius erga eumdem pœnitentem *pluries* uti privilegiis Jubilæi, donec, ultimo opere impleto, indulgentiam lucratus sit, adeoque potest eumdem pœnitentem, indulgentiam nondum lucratum, *pluries* absolvere ab eadem censura, in quam pluries reinciderit ante ultimi operis executionem.

Jamvero, attenta declaratione ad 1m, hoc non valet de censura absolutioni complicis adnexa, nisi infra limites assignatos, quousque scilicet crimen non fuerit plus quam bis admissum.

In Responso ad 3m, logice extenditur decretum 25 Januarii, modò invocatum, ad facultatem quam habet pœnitens eligendi confessarium, adeo ut libera electio confessarii, quæ ad effectum Jubilæi conceditur regularibus, monialibus et religiosis, potest non semel tantum exerceri sed pluries, donec perfecerint opera ad Jubilæum requisita.

Majoris momenti est **solutio sub 4°** data, et plene confirmat doctrinam a nobis propositam, pp. 204-206, contra Auctores admodum plures, quibus novissimè accesserunt *Revue ecclésiastique de Metz*, 1901, p. 98; Boudinhon, *Le Jubilé de 1901*, p. 209 et *Rev. théol. franç.*, 1901, p. 161 et seq. (1).

Nimirum pœnitens, postquam jam lucratus est indulgentiam Jubilæi, nequit amplius frui privilegiis Jubilæi, *etiamsi illorum nondum factus fuerit particeps.*

(1) Cf. etiam Arizzoli, *Dubia et Responsa*, 1901, p. 30, ubi anceps hæret.

Equidem, attenta natura Jubilæi in genere, attentisque regulis generalibus hanc materiam regentibus, hujusmodi fruitio privilegiorum *per se et absolute* non prohibetur in Jubilæis, imo novimus eam explicite fuisse concessam pro anno Sancto 1900 (1); sed *hic in casu* nequit consistere *cum dispositionibus præsentis Jubilæi 1901,* in Constitutione *Temporis quidem* insertis; quod innuit ipsa S. Congregatio, suam solutionem deducens ex ipsa indole laudatæ Constitutionis, cum dicit: « habita ratione Constitutionis *Temporis quidem...* » (2).

Et sane, uti olim arguimus, ex una parte non potest confessarius uti facultatibus concessis nisi in pœnitentes *eum eligentes in ordine ad lucrandam indulgentiam*, animum scil. habentes serium et sincerum indulgentiam consequendi et opera ad id præscripta adimplendi; et ex alia parte, vi Constitut. *Temporis quidem*, non potest indulgentia lucrifieri nisi *semel* (3); unde sponte consequitur pœnitentes, jubilæum lucratos, jam ulterius privilegiorum non posse fieri participes.

Quam conclusionem indubitanter extendimus ad casum quo pœnitens, *tempore quo indulgentiam est consecutus, jam egebat uti privilegiis*, utpote casui reservato aut irregularitati obnoxius, vel impedimenta habens dispensanda vel vota commutanda, a quibus omisit absolutionem, commutationem vel dispensationem sollicitare in confessione in ordine ad Jubilæum instituta.

In hoc contradicimus R. Patri Vulsteke, apud *Nouv.*

---

(1) Regula a Bened. XIV statuta in Bulla *Convocatis,* § 52, et explicata in Constit. *Inter Præteritos*, § 84, quamque illustrant *Monita*, § XIX, optime potest componi cum ejusmodi concessione, *donec aliunde nihil obstet in contrarium;* explicite enim non excludunt a favorum usu nisi illos qui jam lucrati sunt jubilæum et *simul privilegiorum facti sunt participes*. Cf. suprà, p. 208.

(2) Hoc videtur non attendisse *Rev. théol. franç.*, 1901, p. 267-268, disputans de fundamento quo nititur solutio Romana.

(3) Anno Sancto 1900 lucrifieri poterat Jubilæum *pluries* in Urbe et *bis* extra Urbem, adeoque poterant pœnitentes, secus ac nunc, iteratò confessionem instituere in ordine ad indulgentiam denuo consequendam.

Rev. théol., 1901, p. 213 et seq.; Arizzoli, l. c., p. 30-31; necnon R. P. Besson, apud *Rev. théol. franç.*, 1901, p. 161, et p. 267, quo altero loco *Rev. th. fr.* oppositam sententiam adhuc videtur sustinere etiam post notum decr. 5 Junii 1901, reponens præsenti decisione non attingi hanc factam hypothesim. Consentit Patri Besson *Canon. Contemp.*, 1901, p. 500 sq.

Porro haud ægre fatemur hypothesim, de qua quæritur, in decreto non attingi directe et explicite; atvero contendimus totam quantam ipsi applicari rationem modò invocatam, quam deduximus ex ipsa Constit. *Temporis quidem,* ad quam in suo decreto aperte provocat S. Congregatio. Et sane, etiam in hypothesi facta, semper manet verum quod pœnitens non potest privilegiis frui nisi in ordine ad lucrandum Jubilæum, et quod, illud semel lucratus, jam nequit conflteri in ordine ad lucrandum Jubilæum, cum animo serio et sincero indulgentiam comparandi, quum hæc nequeat lucrifieri nisi *semel.*

Immerito provocat R. P. Vulsteke, l. c., p. 214, post N. R. th., I, p. 559, ad principium juris vi cujus privilegium favorabile manet etiam cessante causa ob quam concessum fuit.

Etenim lucrandum Jubilæum non tantum est causa ob quam concessa sunt privilegia, sed simul est *conditio* cui eorum *usus et conservatio* inseparabiliter alligatur (1). Sensus scilicet concessionis non est ut, occasione et intuitu Jubilæi, omnibus fidelibus copia fiat semel uti facultatibus jubilaribus *absolute et inconditionate;* sed elargitur indultum ut privilegiorum usus suppetat omnibus et singulis *qui confitentur in ordine ad lucrandum Jubilæum et non aliter*, adeo ut, *posita hac conditione,* pœnitenti plenissime liceat favoribus frui *etiam pluries, ea autem sublata, omnis suspendatur eorumdem favorum fruitio.*

(1) Cf. Van den Berghe, *De Legibus*, n. 178, ubi docetur privilegium cessare, cessante conditione, quæ fuit apposita non solum ad fieri sed etiam ad conservationem et usum privilegii.

Cæterum illud principium, si hic valeret, prona via nos duceret ad miram conclusionem quam, uti notavimus ad p. 205, Gobat et alii antiquiores, imo et ipse laudatus P. Vulsteke, l. c., non dubitant admittere, hujusmodi nempe pœnitentibus privilegia Jubilæi posse suffragari *ultra terminum Jubilæo assignatum*, etiam post decem et viginti annos et ultra.

Relate igitur ad fruitionem favorum, Jubilæo jam lucrifacto, repudianda est, utpote impertinens, distinctio, quam inducunt Auctores prælaudati, inter pœnitentem qui, tempore quo confessus est in ordine ad Jubilæum, habebat unde privilegiis concessis uteretur, et illum qui tunc nullam habebat causam recurrendi ad speciales confessariorum facultates. Hoc unicum intercedit inter utramque hypothesim discrimen, quod *censuræ et casus reservati*, tempore confessionis jubilaris existentes, si bona fide fuerunt omissi in confessione non sacrilega, suam amiserint reservationem adnexam, adeoque possint absolvi a communi confessario (1). Cf. *Collat.*, hoc tomo, pp. 279-280.

A. D. S.

« Quamvis etiam moderni quidam scriptores obscure loquantur, nullum est dubium, ita scripsimus suprà p. 268, quin possint omnia vel quædam opera injuncta peragi extra locum domicilii ».

Hæc plane confirmantur **responso ad 5^{m}**, in quo solvitur præcise casus de quo maxime dubitari potuisset: supposito nempe quod possunt diversæ *series seu dies* quatuor visitationum institui in diversis locis, concedit S. Cong. ulterius ut *visitationes unius ejusdemque seriei vel diei* possint dividi inter ecclesias designatas diversorum locorum. Nihil igitur obstat quominus quis v. g.

---

(1) Idem non valet pro commutatione votorum neque pro dispensatione super irregularitate et super impedimentis matrimonii. Cf. *Collat.*, VI, p. 334.

Brugis semel visitet ecclesiam cathedralem et ecclesiam B. Mariæ Virginis, et dein bis eadem adhuc die ecclesiam parochialem in Coolkerke.

C. C.

Jurisprudence des Cours et Tribunaux

Fabriques d'église — Donation — Acceptation provisoire par le trésorier sans autorisation préalable du bureau des marguilliers — Validité.

La Cour d'appel de Bruxelles par son arrêt du 11 Février 1901, confirmant un jugement du Tribunal de 1ère instance de Turnhout, en date du 22 Juin 1899, a tranché une question de droit, qui n'est pas sans importance pratique pour les fabriques d'église.

Cet arrêt décide qu'une donation entre vifs faite à une fabrique d'église peut être acceptée provisoirement par le trésorier, sans que celui-ci ait été délégué à cet effet par une délibération du bureau des marguilliers. Déjà un arrêté royal du 21 Avril 1894 avait, dans un de ses considérants, adopté la même théorie : « Considérant que, contrairement à ce qui est allégué, le Bureau des marguilliers de l'église donatrice a, dans sa séance du 12 Nov. 1892, donc antérieurement à l'acte de donation et d'acceptation (18 Nov. 1892), délégué expressément son trésorier, à l'effet de poser les actes nécessaires pour l'acceptation provisoire de la dite fondation ; *qu'au surplus le dit trésorier n'avait pas besoin de cette procuration,* attendu que l'art. 59 du décret du 30 Déc. 1809 lui confère plein pouvoir pour procéder à un acte de l'espèce en l'autorisant formellement à signer l'acte

d'acceptation au nom de la fabrique ; qu'ainsi les trésoriers des fabriques sont en cette matière, investis de plein droit d'un mandat, qu'ils tiennent directement de la loi ».

Cependant la doctrine ne paraissait pas encore fixée sur ce point ; et M. Orban, dans son savant ouvrage sur le droit administratif notarial, édité en 1896, soutenait encore « qu'aucune loi ne donne aux receveurs ou trésoriers des établissements publics compétence générale pour tous les actes conservatoires », et que « la signature d'un acte d'acceptation même provisoire, est un acte d'exécution présupposant un acte de volonté, c'est-à-dire une délibération préalable, et réclamant le concours des administrateurs auxquels est confiée la fonction exécutoire » (p. 391 sv.). De même l'excellente revue *Het Vlaamsch Bestuur* T. X (an. 1899) p. 184 sv., présentait la question de la nécessité d'une délibération préalable du bureau, comme douteuse et sujette à controverse.

Espérons que la décision de la cour de Bruxelles que nous reproduisons ci-dessous, et que la revue citée estime parfaitement motivée *(allerbest gegrond)* (1), mettra fin à toute discussion. Voici les faits qui l'ont occasionnée: Par acte notarié en date du 29 Décembre 1897, une donation fut faite en faveur de la fabrique de l'église Ste Cathérine d'Hoogstraeten : cette donation fut dans le même acte acceptée provisoirement par le trésorier de la dite fabrique d'église, laquelle fut autorisée par arrêté royal du 1 Février 1899 à accepter la libéralité. Les donateurs étant décédés, l'acceptation définitive fut notifiée par acte notarié à leurs héritiers, le 15 Février 1899. Ceux-ci refusèrent d'exécuter la donation, alléguant

(1) Het Vl. Bestuur, T. XII, (an. 1901), p. 79. — D'après la *Revue Cath. du Droit*, T. IV, (an: 1901), p. 28, « la question peut-être considérée comme définitivement tranchée ».

qu'elle était devenue caduque par le prédécès des donateurs, attendu que l'acceptation provisoire avait été indûment faite par le trésorier non muni d'une procuration du bureau des marguilliers. — Leurs prétentions furent écartées par le Tribunal de 1ere instance de Turnhout; et la Cour d'appel de Bruxelles, saisie de la question, confirma la décision du premier juge, en motivant son arrêt comme suit:

« Attendu qu'aux termes du décret du 30 décembre 1809, une fabrique d'église ne pouvait accepter une donation entre vifs, sans y être autorisée par arrêté royal; qu'à cette fin, l'article 59 du décret prescrivait au bureau des marguilliers de prendre préalablement une délibération sur le rapport du trésorier;

Mais attendu que la loi du 30 juin 1865, qui a modifié l'article 76 de la loi communale, a en même temps modifié les dispositions du décret de 1809, en décrétant que toute donation entre vifs faite à un établissement public sera toujours acceptée sous la réserve de l'approbation de l'autorité compétente, et qu'il ressort des termes de la loi et de la pensée du législateur nettement manifestée par les discussions, que cette acceptation provisoire, qui lie le donateur, a été précisément imposée aux administrations pour éviter que, par suite des retards de la procédure administrative, la mort éventuelle du donateur ne vint à rendre la donation caduque avant l'acceptation;

Attendu qu'ainsi caractérisée, l'acceptation provisoire requise par la loi de 1865, est un acte purement conservatoire, rentrant dans la catégorie de ceux que le trésorier de la fabrique a non seulement le droit mais encore le devoir de poser; pour lesquels il est habilité par l'article 78 du décret de 1809, sans qu'il ait besoin de puiser des pouvoirs spéciaux dans une délibération préalable du bureau des marguilliers;

Attendu, en conséquence, que le premier juge a estimé avec raison et pour des motifs que la cour adopte, que l'acceptation de la donation Merckx faite par le trésorier de la fabrique de l'église de Sainte-Cathérine, de Hoogstraeten, et constatée dans l'acte même de donation passé par le notaire Versteylen, le 29 décembre 1897, est valable et qu'elle a lié les donateurs;

Attendu que l'acceptation définitive de la donation, après l'approbation des autorités compétentes, à été valablement signifiée, le 6 mars 1899, aux héritiers des donateurs décédés ; qu'il est certain en effet que la loi de 1865 a été précisément portée pour permettre aux établissements publics de jouir de donations qui ne pourraient être approuvées qu'après le décès du donateur et dont l'acceptation définitive ne pourrait être signifiée qu'à leurs héritiers ;

Par ces motifs et ceux du premier juge, la Cour, entendu à l'audience publique M. l'avocat général Pholien en son avis conforme, met l'appel au néant, condamne les appelants aux dépens... » (Du 11 février 1901).

H. V. D. B.

Pensions de vieillesse

Allocations annuelles de 65 francs.

Mode de liquidation.

Nous croyons être utile aux hommes d'œuvres qui s'intéressent aux nombreux bénéficiaires de l'allocation annuelle de 65 francs, en exposant sommairement le mode de liquidation qui, dans l'espèce, vient d'être adopté par le Gouvernement, en exécution de l'arrêté royal du 13 Juin 1901. Tous ceux qui ont pris à cœur de rechercher les personnes réunissant les conditions exigées pour pouvoir jouir de la dite allocation, et qui ont bien voulu se charger de la rédaction des requêtes, voudront continuer leurs charitables services jusqu'à ce que leurs protégés soient mis en possession de la pension si impatiemment attendue. Ils assisteront spécialement les illettrés et veilleront à ce qu'ils ne négligent aucune des formalités que comporte le mode de liquidation.

L'article I de l'arrêté royal du 13 Juin 1901 précité porte « que le paiement des allocations de 65 francs

prévues par l'article 9 de la loi du 10 mai 1900 se fera en deux versements semestriels de 32 fr. 50 c., et aura lieu entre les mains des intéressés ou de leurs fondés de pouvoir (ce pouvoir, le cas échéant, est donné par procuration sous seing privé et rédigée sur timbre) par l'intermédiaire de l'administration des postes ».

Voici à présent, *d'après les instructions officielles,* les formalités que les intéressés auront à remplir.

Une quittance de 32 fr. 50 leur sera présentée chaque semestre par l'administration des postes. Le bénéficiaire (ou, en son absence, une personne adulte de la maison) donnera décharge à l'employé qui la lui présentera, en signant le talon attaché au bas de la quittance.

Cette quittance ne sera valable que pendant quinze jours, à compter de la date de la remise (déterminée par l'empreinte du timbre à date sur le talon-reçu) au bénéficiaire. Celui-ci doit faire légaliser sa signature par le Bourgmestre et se présenter ensuite *en personne, muni de la lettre (d'un comité de patronage ou d'une commission provinciale d'appel) par laquelle il lui a été notifié qu'il a droit à l'allocation,* au bureau de poste désigné dans la quittance. Le Bourgmestre en légalisant la signature de l'intéressé, certifie par là-même que celui-ci est encore en vie : il a été décidé, en effet, que les héritiers du bénéficiaire n'ont aucun droit à la partie de l'allocation que celui-ci n'aurait pas encore touchée.

Si l'intéressé ne peut ou ne sait signer, il apposera une marque ou croix en présence de deux témoins majeurs (hommes ou femmes), qui signeront pour lui, et dont la signature devra être légalisée de même par le Bourgmestre.

Si le bénéficiaire ne peut, pour cause d'infirmité ou de maladie, se déplacer pour recevoir au bureau des postes le montant de la quittance, il détachera et enverra au percepteur, *en franchise de port,* un talon spécial (annexé à la quittance) pour demander que le paiement lui soit fait (sans frais) à domicile par le facteur.

A. C.

Sociétés de Secours Mutuels

INDEMNITÉ POUR FRAIS FUNÉRAIRES. — ASSURANCES.

Plusieurs sociétés de secours mutuels, outre les secours médicaux et pharmaceutiques en cas de maladie, et l'indemnité journalière pendant le temps de l'incapacité de travail, accordent à la famille des sociétaires décédés une indemnité pour frais de funérailles. Cette charge, excellente en elle-même, mais assumée sans mûre réflexion et sans garanties sérieuses, peut mettre certaines sociétés en péril. Le meilleur moyen de parer à ce grave inconvénient serait l'affiliation globale des membres à la Caisse générale d'Assurances, annexée à la Caisse générale d'Epargne et de Retraite sous la garantie de l'Etat.

Voici que l'intelligent et dévoué Directeur Général de la Caisse d'Epargne et de Retraite M. O. Lepreux, vient de publier une circulaire que nous reproduisons volontiers. Nous signalons en particulier aux directeurs des sociétés de secours mutuels que la Direction de la Caisse d'Assurances vient de supprimer les deux causes principales, qui ont empêché jusqu'ici un grand nombre d'ouvriers de recourir aux avantages que les multiples combinaisons de la Caisse d'Assurances procurent aux affiliés. Elle a supprimé en effet l'examen médical pour les membres des sociétés de secours mutuels, et simplifié les formalités d'affiliation en cas d'affiliation globale des membres d'une société.

MM.

Certaines sociétés mutualistes ayant pour objet principal d'allouer à leurs membres des secours et des indemnités en cas de maladie, ont introduit dans leurs statuts une disposition en vertu de laquelle une indemnité, qui généralement

varie entre 25 et 50 francs, est accordée à la famille d'un membre décédé, dans le but de lui permettre de faire face aux frais de funérailles.

Il s'est même créé depuis peu de temps des sociétés dont le but unique est d'assurer un capital déterminé payable au décès de leurs membres.

Les unes ne demandent pas de contributions spéciales à leurs membres en échange de l'engagement qu'elles prennent de payer à leur décès une somme déterminée ; la cotisation mensuelle qu'elles exigent comprend à la fois la prime de l'assurance-maladie et celle de l'assurance au décès.

D'autres exigent des associés, comme primes devant couvrir le risque spécial de décès, une cotisation annuelle inférieure à celle que demanderait dans les mêmes conditions la Caisse d'Assurances annexée à la Caisse de Retraite sous la garantie de l'État, et elles croient pouvoir affirmer qu'elles pratiquent ainsi l'assurance au décès dans de meilleures conditions que la Caisse d'Assurances.

D'autres enfin réclament, au contraire, des cotisations plus élevées que les primes de la Caisse d'Assurances, et lorsqu'on leur objecte que celle-ci procurerait à leurs membres les mêmes avantages à moins de frais, elles répondent qu'en affiliant leurs membres à la Caisse d'Assurances, elles aliéneraient leur indépendance.

Certes, le but accessoire ou principal que poursuivent ces sociétés mérite d'être signalé, et leurs intentions doivent être encouragées. Pourtant, les unes et les autres ont tort de ne pas recourir à l'intervention de la Caisse d'Assurances.

Celle-ci, on ne doit pas l'ignorer, fait de l'assurance au prix coûtant, avec le désir de ne rien perdre et de ne rien gagner, et ses frais de gestion, comme ceux de la Caisse de Retraite à laquelle elle est annexée, sont réduits à un strict minimum, puisque dans l'élaboration des tarifs on n'a tenu compte que d'un chargement pour frais de gestion de 3 p. c. des primes versées. Par conséquent, demander des primes moindres que celles de la Caisse d'Assurances pour un même capital assuré et dans les mêmes conditions d'âge, conduit certainement à une insuffisance de cotisations pour les risques de décès assurés. Sans doute cette insuffisance peut ne pas apparaître immédiatement, mais on peut affirmer qu'elle se manifestera un jour.

Pourquoi, d'autre part, réclamer des primes plus fortes que celles de la Caisse d'Assurances sous le prétexte de ne pas se lier vis-à-vis de celle-ci ?

En quoi l'affiliation à la Caisse d'Assurances d'une société mutualiste porte-t-elle atteinte à la liberté de ses membres ? Les 4500 sociétés mutualistes affiliées à la Caisse de Retraite se plaignent-elles d'avoir été gênées, entravées dans l'accomplissement de leur mission ?

Et si l'on interprête ce souci de l'indépendance dans le sens d'un désir de conserver la gestion des fonds qui leur sont confiés en vue peut-être de trouver des emplois plus rémunérateurs, ne peut-on dire immédiatement qu'à ce point de vue spécial, la Caisse d'Assurances est nécessairement mieux outillée qu'une société mutualiste et que l'on conçoit difficilement que les administrateurs d'une mutualité d'assurances assument la responsabilité d'une pareille gestion quand il existe une institution pourvue d'une garantie de l'État ?

Il convient d'ajouter qu'une des conditions essentielles de sécurité, pour des opérations d'assurances sur la vie, est le groupement d'un nombre très grand d'affiliés. Sans cette condition du *grand nombre*, qui seule permet de compter sur la compensation des effets du hasard, les opérations de ce genre sont livrées à la merci des faits accidentels, qui peuvent amener la ruine de l'organisme assureur.

La Caisse d'Assurances, dont l'action s'étend à tout le pays, peut réunir un très grand nombre d'affiliés, et par conséquent donner de ce chef à ses opérations une base stable et sûre; la plupart des sociétés mutualistes, au contraire, dont la circonscription s'étend rarement en dehors d'une localité déterminée, et qui sont astreintes, par des nécessités de surveillance réciproque de leurs membres, à ne grouper qu'un nombre assez limité d'affiliés, ne peuvent sans danger entreprendre l'assurance au décès, qui exige, plus que l'assurance-maladie, qu'il soit donné satisfaction à la loi du grand nombre.

Les sociétés qui allouent des indemnités en cas de décès à leurs membres ont donc tout avantage à affilier ceux-ci à la Caisse d'Assurances sur la vie garantie par l'État, plutôt que de se charger elles-mêmes d'opérations périlleuses pour elles à divers titres.

Les formalités relatives à l'affiliation à la Caisse d'Assurances sur la vie sous la garantie de l'État sont des plus simples.

Les versements peuvent être aussi minimes qu'on le désire.

L'assurance peut être conclue sans examen médical de la personne à assurer, et *des facilités spéciales sont données aux sociétés en cas d'affiliation globale de leurs membres.*

Des renseignements détaillés seront fournis gratuitement à toute personne qui m'en fera la demande.

Le Directeur Général,
O. LEPREUX.

N. B. La correspondance de service adressée au Directeur Général de la Caisse d'Epargne et de Retraite est admise à circuler *en franchise de port.*

Comme un grand nombre de membres des sociétés de secours mutuels sont affiliés (soit directement, soit par l'intermédiaire d'une mutualité) à la Caisse de Retraite, il convient de rappeler, qu'*en cas d'indigence* de l'affilié qui meurt postérieurement à l'entrée en jouissance de sa rente, **la Caisse de Retraite** donne 25 francs à la famille pour l'aider à couvrir les frais des funérailles.

Pour obtenir le payement de cette somme, les intéressés doivent faire parvenir à l'administration de la Caisse de Retraite : 1/ un extrait de l'acte de décès de l'assuré ; 2/ le brevet de la rente ; 3/ un certificat d'indigence ; 4/ une déclaration du bourgmestre de la résidence du rentier décédé, énonçant en quelles mains il y a lieu d'opérer le payement. Après examen de ces pièces, le Directeur Général de la Caisse émet, au profit des ayants-droit, une ordonnance de payement dont le montant peut être touché à Bruxelles à la Caisse centrale et, en province, aux bureaux de poste. Les intéressés doivent donner quittance au bas de l'ordonnance et leurs signatures doivent être légalisées par le Bourgmestre.

Il est à noter qu'aucune demande de payement de

frais funéraires, n'est admise, si elle n'est présentée, appuyée des pièces requises, *dans le délai d'un mois*, à partir du décès du rentier.

A. C.

Consultationes

I

In diœcesi Brugensi potest parochus vi indulti pontificii diebus festis abrogatis accipere stipendium, seu non tenetur celebrare *pro grege,* sed licet ei applicare missam ad intentionem dantis stipendium, ea tamen lege ut hoc stipendium operi scholari impendat; pone autem parochum missam celebrare solemnem aut cantatam, indeque recipere stipendium trium francorum, satisfacitne obligationi suæ tribuendo operi scholari stipendium consuetum missæ lectæ seu duos francos, an vero stipendium *integrum* elargiri debet?

Respondetur: *negative* ad 1m partem; *affirmative* ad 2m. Etenim præfatum indultum fuit postulatum ac proinde concessum sub explicita conditione « ut stipendium *integrum* scholis catholicis impendatur »; nec ullo modo Episcopus postulans ac Pontifex concedens dictam dispensationem ab onere celebrandi pro grege intenderunt quid commodi seu lucri parocho procurare, sed unice operis scholaris sustentationi providere. Cæterum Ills ac Revmus Episcopus Faict, qui primùm istud indultum obtinuit, illud cum clero suo communicando talibus usus est verbis, ut casum missæ *cantatæ* præ oculis habuisse censeri debeat; ait enim: « Licet proin RR. DD. Pastoribus, exceptis dominicis quatuorque majoribus anni solemnitatibus, in cæteris festis accipere stipendium, ea lege stricta ut impendatur stipendium, sive *pars stipendii celebranti obveniens*, operi scholari » (*Coll. Epist. Past.* T. XIV, p. 68); porrò solius missæ solemnis aut

cantatæ stipendium dividitur inter celebrantem et alios, putà assistentes, sacristam, organistam etc.

Nota: Responsum nostrum respicit stipendium missæ cantatæ *manualis*. Seponimus nempe casum cantatæ missæ exequialis aliusve cui adnexa sunt *jura stolæ:* hæc enim non percipiuntur tanquam stipendium missæ sed alio titulo. Quare censemus parochum in casu obligationi suæ satisfacere solvendo operi scholari taxam consuetam missæ privatæ.

H. V. D. B.

II

Varia quæsita de jubilæo.

1. Quær. An indulgentia jubilæi defunctis applicari possit ab iis qui votum charitatis emiserunt? An confessarius commutare possit illud votum?

Resp. *Ad primum: Affirmative,* imo *debet* applicari nisi velit quis retractare actum heroicum quem antea emisit: nam pro hac indulgentia jubilæi non valent rationes *speciales* quas suprà p. 378 s., adduximus pro indulgentia in articulo mortis.

Ad secundum: actus heroicus charitatis interdum quidem nuncupatur *votum* sed revera est tantum *pium propositum* quo non censetur emittens se obligare sub peccato (*Raccolta* ed. 1898, p. 532), quodque semper retractare valet.

2. Quær. An iter ad ecclesias visitandas possit fieri in rheda?

Resp. Affirmative, dummodo fiat devote (cf. p. 207). Si autem iter pedestre esset impossible v. g. propter sanitatis debilitatem, hæc sane esset legitima causa ut confessarius dispenset commutando super visitationibus.

3. Quær. An qui per hebdomadam vel quindenam carcere detinetur vel ægrotat a confessario commutationem visitationum obtinere valet?

Resp. Per se negative: hæc enim impedimenta sunt

tantum rationes dispensandi in quantum de facto impediunt (cf. p. 316). Sed quo longius duret vel duraturum prævideatur impedimentum eo facilius existet causa legitima dispensandi-commutando. Præterea aliorum etiam adjunctorum ratio erit habenda: si v. g. illud impedimentum accidat in fine sex mensium, vel quando visitationes processionales peraguntur vel jam peractæ sunt, vel si incarceratus aut ægrotans antea de acquirendo jubilæo parum sollicitus aut tempore ordinario multis curis et operibus detentus, nunc autem sit bene dispositus et otio sufficienti gaudeat ad opera subrogata peragenda.

4. **Quær.** An *viri* qui degunt in hospitiis possint una cum religiosis et feminis visitationes instituere ad oratorium hospitii?

Resp. *Per se negative* (p. 315). Verum senectus aut infirmitas sæpe erit ratio sufficiens ut confessarius ex dispensatione hoc eis concedat.

5. **Quær.** Titius censens se legitimo impedimento detineri cupit obtinere dispensationem super visitationibus instituendis antequam confessionem instituat in ordine ad jubilæum: a quonam confessario hanc dispensationem obtinere valet? An necessario adire debet *confessarium jubilæi* apud quem intendit confessionem pro jubilæo instituere?

Resp. Hæc dispensatio concedi potest *extra confessionem sacramentalem* sed a *confessario* dumtaxat et quidem, ut eruitur ex decr. S. Pœnit. d. d. 21 Jul. 1900 « *erga proprios pœnitentes* » tantum. Unde Titius non potest adire quemlibet sacerdotem facultate excipiendi confessiones munitum, sed talem dumtaxat respectu cujus dici potest proprius pœnitens. Quod certe verificatur in Titii confessario ordinario vel extraordinario, sed etiam, ut videtur, in alio apud quem Titius intendit instituere confessionem in ordine ad jubilæum: hac enim intentione jam eligitur ut confessarius *proprius* jubilæi. Obtenta autem dispensatio non fieret invalida

ex eo quod Titius postea, mutato animo, alium sibi eligeret confessarium ad confitendum in ordine ad jubilæi acquisitionem.

6. Quær. Caius ex parœcia vicina A singulis diebus dominicis accedere solet ad nostram ecclesiam parochialem B. Quum autem fere singula dominica post unam alteramve missam apud nos institui soleant processiones parochiales jubilæi, quæritur:

1° utrum satisfaciat Caius instituendo nobiscum tres processiones?

2° si negative, utrum parochus A possit deputare pro illis processionibus parochum vel vicepastorem parœciæ B?

3° utrum parochus B vel confessarius possit pro Caio substituere has processiones visitationibus parochialibus A?

Resp. *Ad primum:* negative, quia requiritur præsentia *proprii* parochi vel sacerdotis ab eo deputati. Quælibet tamen processio alienæ parœciæ valet pro *una* die vel serie visitationum: possunt enim visitationes institui ad ecclesias loci non sui.

Ad secundum: certum est plures parœcias posse simul processiones jubilares componere; nec aliquid obstat quominus processioni ab una parœcia institutæ se jungant alieni parochiani, si adsit, etiam absque speciali cruce, eorum proprius parochus; tandem potest quilibet parochus in sui locum deputare alium sacerdotem qui certe non debet esse ejusdem parœciæ. Videtur igitur quod in modo agendi in quæstione proposito salvatur omnino littera legis. Ideo, salvo meliori, affirmative respondendum esse censemus, sed cum quadam dubitatione, quia talis deputatio videtur minus congruere spiritui legis et parochialitati processionis. Ad omne dubium tollendum recurri potest ad medium dispensationis sub n. 3 propositum.

Ad tertium: Parochus B (item parochus A) formaliter *qua parochus* hanc commutationem concedendi nulla

gaudet facultate; bene vero *confessarius proprius* sensu supra indicato, si adsit dispensandi causa v. g. longior distantia.

7. Quær. An in favorem v. gr. operariorum qui visitationes ecclesiarum nonnisi vespere instituere possunt quando ecclesiæ jam sunt clausæ publicari potest sententia LAVORII, *De Jubilæo*, I, 18, apud BERINGER, I, 74, quod satisfaciant orando ante januam ecclesiæ clausæ?

Resp. Affirmative « ita passim probati auctores » (1).

C. C.

III

Dubium circà necessitatem consensùs parentum ad liceitatem matrimonii.

Quæritur. Ordinariè requiritur consensus parentum ad *licitè* contrahendum matrimonium.

Non requiritur, si parentes *absque justa causa* consensum recusent.

Ità omnes.

Sed dubium movetur an in casu quo reverenter fuerit petitus consensus, atque *injustè* consensum denegent parentes, *opus sit ad Ordinarium recurrere.*

Parochi generatim omnes in casu procedunt absque recursu ad Ordinarium.

Affirmat Theologia Mechl., ed. 1894, pag. 27, esse recurrendum, sed pauci inter parochos recurrunt, et ab Ordinario suppletionem consensûs obtinent.

Respondetur. *Ex una parte* certum est *consensum parentum* non requiri *ad valorem* matrimonii, quemadmodum explicite declaravit Synodus Tridentina, anathemate damnans illos qui « falsò affirmant matrimonia, a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse et parentes ea rata vel irrita facere posse ». Sess. XXIV, Cap. I, *De Reformat. matrimonii* (2).

---

(1) TH. ARIZZOLI, *Dubia et responsa*, p. 23.

(2) Cf. Pallavicini, *Hist. Conc. Trid.*, l. XXII, cap. IV; *Acta S. Sedis*, XIII, p. 444 in nota.

Ex alia autem *parte* absque dubio affirmandum est *per se et regulariter* matrimonium *illicite* iniri, inconsultis vel invitis parentibus, idque vi juris *naturalis-divini*. Ratio est, uti docet Theol. Mechl., *De Matrim.*, n. 10, qu. 2, « quia susceptio status matrimonialis et electio personæ quacum perpetua vitæ societas ineunda est, res est gravissimi momenti, quam sine maturo consilio aggredi non licet; adeoque regulariter non absque assensu eorum, qui a Deo filiis dati sunt rectores ac consiliarii, et experientia norunt matrimonii onera, ac proin saniora consilia dare possunt » (1).

Dicitur: *per se et regulariter;* quia

1°/ « excipiuntur casus in quibus consensus parentum peti non potest, ut si v. g. filio, in regione dissita, opportuna occurrat occasio honestum et conveniens matrimonium ineundi: tunc autem consensus parentum præsumi potest ». Ibidem

2°/ « quia filii non tenentur a contrahendis sponsalibus vel nuptiis abstinere, si parentes *absque justa causa* (2) consensum recusent, cum in ordine ad matrimonium homo sit sui juris »; supponitur autem consensus reverenter sollicitatus.

In hoc nempe duplici casu nullum inveniri potest peccatum, si matrimonium contrahitur absque petito parentum consilio, vel absque horum consensu obtento.

« Quum tamen, addit Feye, *De Impedim. Matrim.*,

(1) « Etiam in nectendo matrimonii vinculo memores sunto filiifamilias Domini dicentis: Honora patrem tuum et matrem tuam! Præterea prona est ad perpera consilia juventus, nisi materioris ætatis experientia regatur, et conjugia absque debita deliberatione inita uberem malorum continent fomitem. Quocirca illicita sunt matrimonia, quæ parentibus justis de causis assensum denegantibus contrahentur ». Ex *Instruct. Austriaca*, § 68, apud Joder, *Formulaire matrimonial*, ed. 3ia, p. 25.

(2) « Rationes magis communes sunt: si matrimonium vergeret in grave dedecus familiæ, vel scandala, dissensiones aut alia gravia mala causaret; si proles contrahere velit cum persona indigna aut incapaci, v. gr. malæ formæ, scandalosæ vitæ, multo inferioris conditionis, debilis admodum sanitatis, aut quæ sit inepta ad rem domesticam gerendam, et præcipue ad pueros honeste et christiane educandos ».

ed. 1893, n. 537, hæc ex circumstantiis pendeant et nupturientes facile sibi fucum faciant, parochus, inconsultis vel contradicentibus parentibus, assistere nequit, sed debet *recurrere ad Ordinarium*, qui media opportuna adhibebit, et, hisce non proficientibus, si constet non esse justam contradicendi causam, *declarare* (1) poterit parochum posse procedere ».

Qui recursus, in ejusmodi adjunctis, passim urget, si præsto sit tempus, et absque illo sponsi ne ad proclamationes quidem bannorum admitti possunt.

In hanc sententiam doctissimi Feye præ cæteris conveniunt Giovine, *De Dispensationibus matrimonii*, tom. I, p. 242-243, in nota 2ª; Bangen, *Instructio practica de sponsal. et matrim.*, tit. I, p. 7; Gasparri, *De matrimonio*, I, n. 487; De Becker, *De sponsal. et matrim.*, p. 240-241; Joder, op. cit., p. 25; Theol. Mechl., l. c.; collatis causis disputatis, cum observationibus redactoris, apud *Acta S. Sedis*, tom. XIII, p. 440 et seq.; XIV, p. 455 et seq.; XVII, p. 585 et seq.

Attamen videtur a recursu ad Episcopum posse abstineri casu quo de impossibilitate parentes consulendi vel de irrationabilitate earum dissensus *evidenter constat* parocho, ac aliunde præscriptis legis civilis (2) factum est satis; quam moderationem admittit Theol. Mechl., l. c., limitans necessitatem recursus *ad casus difficiles*. Cf. etiam Bangen, l. c.

A. D. S.

IV

Dubium circa facultatem absolvendi a reservatis.

Tractatu de casibus reservatis, pag. 20, conceditur jurisdictio ad absolvendum a reservatis, in gratiam

(1) Non potest esse sermo de *dispensatione*, siquidem impedimentum, uti vidimus, est juris naturalis-divini.

(2) Circa formalitates a jure nostro civili requisitas, cf. *Collat.*, tom. VI, pp. 188 et seq

illorum, qui confitentur *in ordine* ad instituendam primam communionem vel suscipiendum *confirmationis aut matrimonii sacramentum.*

Quæritur 1° an confessarii concessâ facultate gaudeant ergà illos, qui confitentur quidem intuitu sese melius præparandi *ad primam communionem aut confirmationem,* sed non per modum proximæ præparationis, instante die primæ communionis aut confirmationem: puta pueros, qui initio quadragesimæ, primam communionem præcedentis, confitentur.

Quæritur 2° an haberi possit ut confessio instituta *in ordine ad matrimonium*

a/ non solùm confessio instituta ut proxima præparatio ad matrimonium, quæ sola de jure communi est, sed etiàm confessio instituta, die quâ primà vice proclamatio fit bannorum, quæ confessio de jure particulari est;

an b/ etiam confessiones, quæ instituuntur pluribus hebdomadis anteà, sed cum intentione sese remotè præparandi ad dignè recipiendum matrimonii sacramentum.

Respondetur. Ad 1m. Ad hoc ut peculiari illa facultate fruatur confessarius, non sufficit profectò quæcumque confessio, ex privata intentione eam instituentis quomodocumque directa in præparationem primæ communionis vel confirmationis. Non videtur tamen limitari privilegium ad solam confessionem quæ per modum *proximæ* et *immediatæ* præparationis instituitur, ipsa instante die primæ communionis aut confirmationis, sed extendi censetur ad omnes confessiones quæ, sive ex *jure vigente* sive *ex consuetudine existente*, ab omnibus neocommunicantibus peragi solent in ordine ad primam communionem vel confirmationem: hujusmodi nimirum confessiones *publico quasi titulo* nuncupantur præparatoriæ ad sacramentum, et tanquam tales habentur in indulto de quo quæritur.

Qua ratione a dicto privilegio non est excipienda confessio generalis, ad quam, incunte quadragesima, juxta

jus diœcesanum (1), disponendi sunt neocommunicaturi, licet eam non immediate ad primam communionem institui passim contingat.

Cæterum notare juvat hanc quæstionem, quatenus afficit neocommunicantes, vix esse practicam, cum, juxta disciplinam inde a 1ª die Januarii 1899 vigentem, *impuberes* non sint obnoxii reservationi *episcopali* (2), uti docet *Libellus*, p. 14.

Ad 2ᵐ.

Quoad a/, pro solutione remittimus ad *Collat.*, V, p. 276.

Quoad b/: Attento principio invocato sub responso ad 1ᵐ, potest haberi tanquam instituta in ordine ad suscipiendum matrimonii sacramentum confessio, quæ peragitur die qua primum banna proclamantur, vel tempore decurrente inter illam diem et ipsas nuptias; nullatenus vero videtur concessa facultas extendi ad illas omnes confessiones, quas cuilibet nupturienti, pro devotione sua, extra dictos limites, peragere placeat.

A. D. S.

(1) Cfr. *Liber Manualis*, ed. 1ª, pp. 126-127.

(2) Utrum et quousque impuberes subjiciantur *censuris*, videsis apud De Brabandere-Van Coillie, *Compend. Jur. Canon.*, II, n. 1371.

Libri dijudicati

La dévotion du chemin de la croix, *crucifix indulgencié pour le chemin de la croix, association du chemin de la croix perpétuel et réflexions pour faire le saint exercice du chemin de la croix,* par le R. P. VINCENT de l'ordre des Frères Mineurs, Schaerbeek, Ed. Dory, 1901, in 18, 186 pp., prix 65 cent.

Vere commendandus ille libellus manualis non ad dirimendas controversias sed ad usum practicum ordinatur: intendit nempe auctor exponere « d'une manière claire et concise la doctrine émanée des Congrégations Romaines » circa viam crucis aliaque exercitia pietatis huic salutiferæ praxi cohœrentia.

Quem finem revera consecutus videtur laudatus auctor stylo simplici, methodo logica et jugi sollicitudine ut quæstiones diversas numerorum ac typorum multiplici varietate discernens, breviter sed bene et nitide proponeret. Doctrina ceterum vix in aliquo, ni fallamur, reprehendenda, judicio sano hausta est ex ipsis decretis aliisque puris fontibus accurate indicatis. Quoad quæstionem tamen utrum indulgentiæ viæ crucis pluries de die lucrifieri possint (p. 56) distinguendum fuisset, inter indulgentias partiales quæ toties quoties acquiruntur et plenarias quæ semel tantum lucrifaciendæ sunt, ut vindicavimus *Collat. Brugen.* t. IV, p. 307.

C. C.

Het Heilig Jaar, *dat is een boeksken voor den Jubelaflaat van 1901, door Kanonik* AD. DUCLOS, *Pastor.* Te Brugge bij K. Van de Vyvere-Petyt, 1901, in 24, 56 bl. Prijs 30 cent.

Notiones solidas circa jubilæi naturam et historiam, consilia practica et pia circa modum acquirendi et

stabiliendi jubilæi fructus invenient fideles in delectabili lectione hujus opellæ quæ revera continet « al wat de katholieke Vlaming over het Heilig Jaar en de groote jubelgunst begeert en dient te weten ». Notatu dignum est laudatum auctorem, eo stylo qui ipsi aliunde jam optime noto proprius est et ea exponendi ratione quæ intellectui populi nostri accommodata est, multa evolvere scitu plane digna de cæremoniis aperturæ januæ sanctæ, de origine et celebratione jubilæorum maxime in Flandria nostra, necnon referre quæ Leo XIII occasione novi sæculi docuit in encyclica sua de Christo Redemptore. Animadvertere tamen liceat ipsum antiquiorem quam par est indigitare jubilæi originem (p. 6-7): hæc enim non in tempore apostolico, imo nec ad annum 1000 sed ad annum 1300 tantum quærenda est (1).

C. C.

Sermons de S. Alphonse. *Analyses, commentaires, exposé du système de sa prédication* par le R. P. Bas. Braeckman C. SS. R., Roulers, J. De Meester, II vol., in 8°, LII-464 et 508 pp.

Inter opera a S. Alphonso de Ligorio edita gaudemus collectione quadam 53 *concionum dominicalium* de quibus humillimus auctor ipse scribebat: « Le livre des sermons continue de s'imprimer et j'espère qu'avec la grâce de Dieu, il sera bien reçu par tout le monde. Les sermons y sont courts mais substantiels et chacun d'eux me coûte bien 15 jours de travail au moins » (2).

Fœcundas illas conciones, pluries jam typis mandatas, (3) denuo juxta versionem gallicam R. P. Pladys

(1) Cf. A Boudinhon. *Le jubilé* in *Le Canoniste Contemporain*, 1900 p 79 ss.

(2) *Lettre à Remondini* citata in laudato opere p XXII.

(3) Exstant etiam versiones in linguam flandricam, quarum una « *door eenen kloosterling van Latrappe* ». Gent, Vanderschelden. 2 vol.

C. SS. R., edidit R. P. B. Braeckman C. SS. R., sed ea methodo iisque commentariis ut faciliori usui et uberiori fructui sint maxime quidem prædicatoribus missionum sed etiam omnibus verbi Dei præconibus.

Licet S. Doctor conciones suas *dominicales* vocaverit et evangelio singularum dominicarum adaptaverit, non sunt tamen homiliæ proprie dictæ. Nam occasione tantum arrepta alicujus textus evangelii, modo suo S. Alphonsus exposuerat quamdam ex præcipuis religionis christianæ veritatibus practicis. Exordio igitur Alphonsiano in appendicem orationis rejecto, aliud substituit R. P. Braeckman ab evangelio dominicali independens. Dein singularum concionum non tantum textum integrum recitat, sed insuper divisionem et subdivisiones ita distincte proponit ut primo inspicienti tota orationis forma et substantia luculenter appareat.

Præterea 56 conciones ordine logico in duplicem partem distribuit prout magis ordinantur vel ad *conversionem* vel ad *perseverantiam*. Ita v. g. in prima parte nititur excitare in anima peccatoris gradatim eas dispositiones quas Concilium Tridentinum sess. VI cap. 6 indicat, ut nempe convertendi fidem concipiant (5 conciones de salute), peccatores se intelligant (10 de peccato), divinæ justitiæ timore concutiantur (12 de morte, judicio et inferno), ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem erigantur (7 de Dei misericordia ejusque abusu) et Deum diligere incipiant (3 de amore Dei). In altera parte simili modo agitur, quintuplici serie, de iis quæ spectant perseverantiam. Si ipse S. Doctor hanc idearum successionem intendisset, plura sane in exponendi ratione aliter ordinasset; fatendum tamen est auctorem sat felici conatu orationes Alphonsianas ordini suo adaptare potuisse.

Laudatæ conciones, inter eas quæ sunt mere conceptæ et eas quæ omni numero sunt absolutæ, auream hanc, ut videtur, ineunt viam mediam, ut sufficientem subministrent prædicandi materiam, quin tamen prædi-

catorem ab omni labore proprio eximant. Ideo singulis concionibus et orationum seriebus præmittit editor solidas notiones quibus accuratius perspiciatur doctrina proponenda, finis attingendus et methodus huic scopo obtinendo magis apta (v. g. I, 247; 297; 392 ss. II, 121; 324; etc.). In his adnotationibus, et maxime in introductione, jure merito inculcat doctus auctor *necessitatem solide docendi plebem christianam* et optimo consilio suadet ut nostris diebus, ipsis S. Alphonsi concionibus addatur robur novum adducendo « quædam argumenta dogmatica solida et sano judicio delecta » (p. XXX).

Quod tandem exponendi et docendi formam attinet, norunt omnes S. Alphonsum ea arte pollere ut omnia vivido sensu sed simplici stylo exponat et veritates etiam difficiles et abstractas captui fidelium accommodet comparationibus, factis historicis et sanctorum dictis aut exemplis. Licet quædam ex illis, utpote minus certa imo et falsa minus congruere videantur exigentiis modernis, innumera alia aptissime ordinantur ad efficaciter etiam hodie promovendum finem a S. Doctore et pio auctore intentum, salutem nempe animarum. Quod Deus Optimus Maximus concedat per gratiam suam!

C. C.

Le Rosaire de Marie par le Rev. P. C. G. M. De Busschere des Frères-Prêcheurs. Société de S. Augustin, 1901. 474 pp. Broché, prix: fr. 2-50.

Quod anno 1895 sub titulo *Maria's Rozenkrans* ediderat opus auctor denuo recognovit, in multis ampliavit et accommodavit disciplinæ hodiernæ, quæ plurimum immutata est per decreta S. C. Indulg. et potissimum per Constitutionem apostolicam *Ubi primum* d.d. 2 Oct. 1998 (cf. hujus operis pp. 200-210) et novum

authenticum *Summarium* indulgentiarum SS. Rosario adnexarum (cf. p. 113 ss.; 334-352).

Digesto ordine evolvens SS. Rosarii originem atque extensionem, naturam et praxim, confraternitatis regulas, fructus et indulgentias, necnon plures praxes huic devotioni intime cohærentes v. gr. rosarum et cereorum benedictionem, mensis Octobris celebrationem, Rosarium vivens ac perpetuum, affert nobis R. P. De Busschere circa hanc saluberrimam devotionem, elucubrationem valde completam, quæ non minus stylo concinno et nitore typographico quam ipsa materiæ natura pium lectorem allicit, quæque indice locupletissimo est commodiori usui apprime conveniens.

Nimis asseveranter affirmare nobis videtur auctor, ubi institutionem SS. Rosarii a S. Dominico factam (chap. I) exhibet ut veritatem historicam indubiam « sans conteste » (p. 5) « peu discutable » (p. 23 nota). Cur non est saltem conatus explicare mirum silentium documentorum sæculi XIII, quod, juxta *Acta Sanctorum* Bollandistarum (mense Aug., I, 422 ss.), sic exponit Rev. H. Duffaut, qui nihilominus et ipse favet sententiæ institutionem Rosarii S. Dominico adscribenti: « S. Dominique ayant été canonisé en 1234, treize ans seulement après sa mort, on entendit dans le Toulousain au procès de sa canonisation trois cents témoins, dont on conserve les dépositions, et qui par eux-mêmes avaient vu ou entendu ce qu'ils rapportaient. En outre, dans le cours du XIIIe siècle, au moins six auteurs nous ont laissé la Vie de S. Dominique. Or, dans ces six Vies et dans les dépositions des trois cents témoins du procès de la canonisation, il n'a pas été dit le moindre mot ni de l'apparition de Notre-Dame à laquelle on rattache l'origine du Rosaire, ni même de la prédication du Rosaire par S. Dominique » (1). De apparitione

(1) *Une hypothèse sur la date et le lieu de l'institution du Rosaire*, dans *Compte-rendu du 4e congrès scientif. internat. des cathol.*, à Fribourg, 1898, sciences relig. p. 42-64.

B. Mariæ Virginis et aliis institutionis adjunctis (ch. II), prudentius et verius scribit auctor ea « videri melius concordare cum traditione » (p. 30).

Evolvens admirabilem devotionis SS. Rosarii extensionem multa scitu digna congerit; notatim luculenter exponit quæ egit S. S. Leo XIII ad hanc devotionem spargendam et recitat vel summarie exhibet quæ idem Pontifex fere quotannis inde ab a. 1883 scripsit in præstantissimis de SS. Rosario encyclicis (p. 83-118).

Naturam Rosarii, quod exhibet ut scutum gentilitium christianorum, bene exponit; magnopere merito inculcat necessitatem et methodum meditandi mysteria SS. Rosarii; et consilia aurea tradit de recitatione familiali et publica: in quibus omnibus rosarii præcones haurient abundantem concionandi materiam et omnes fideles et sacerdotes altiorem æstimationem et teneriorem affectum erga devotionem quæ merito vocatur « regina devotionum quæ indulgentiis ditantur ». Quæ spectant confraternitatem erigendam et moderandam dilucide proponuntur.

Sed quo majores sunt illæ dotes, eo magis lugendum est nonnulla occurrere minus accurata imo vel certe falsa. Utut commendanda sit methodus factis et exemplis corroborandi et inculcandi aliquam veritatem, minus tamen theologicum nobis videtur in probationem alicujus veritatis, v. g. protectionis B. Mariæ Virginis confratribus Rosarii concessæ, fere unice adducere facta particularia aut revelationes privatas de quorum authentia non raro dubitare licet.

Quum auctor pp. 315-317 recte loquatur de *communione sanctorum* et non incongrue exponat distinctionem inter virtutem *meritoriam* et *satisfactoriam* bonorum operum, distractioni sane adscribi debent quæ habet p. 303-304, v. gr.: « La Communion des Saints se rapporte uniquement à la partie méritoire, mais non à la partie satisfactoire des bonnes œuvres. Chaque juste a bien part au mérite de toutes les bonnes œuvres ac-

complies par les autres, n'importe où, mais non à la remise des peines (ou à la satisfaction) qu'elles opèrent. Le mérite est commun à tous ; la satisfaction, au contraire, est exclusivement propre à celui qui mérite, parce que lui seul ressent le côté pénible de l'œuvre. » !

De indulgentiis quædam notemus. Articulus de indulgentia *in articulo mortis* (p. 381-385) recognitione et emendatione indiget (cf. *Coll. Brug.*, supra p. 381, nota). Frustra, hodie saltem, recurritur ad *vivæ vocis oraculum* Clementis VII ut statuatur nullas indulgentias aliquando sodalibus SS. Rosarii concessas revocari aut suspendi « nisi facta de eisdem speciali mentione » (p. 323). Nam Leo XIII approbans novum *Summarium* expresse edicit « præter eas quæ in præsenti indice referuntur quascumque alias confraternitatibus SS. Rosarii tributas, abrogatas seu revocatas esse censendas, ita ut quæcumque jam erecta vel in posterum erigenda sit Sodalitas SS. Rosarii a Magistro Generali Ordinis Prædicatorum iis tantummodo gaudeat indulgentiis quæ in hoc Indice insertæ reperiuntur. » In praxi ceteroquin auctor ipse hujusmodi revocationes agnoscit v. g. pp. 387 et 389.

Dubitamus utrum R. P. De Busschere non nimis severe interpretetur privilegium concessum fidelibus qui *semel saltem in hebdomada* confiteri assolent, exigendo ut singula hebdomada *stata die* confiteantur (p. 370-371). Verba enim *semel saltem in hebdomada* a S. C. Indulg. decr. 25 Nov. 1878 explicata fuerunt hoc modo: « *quolibet* **decurrente** *septem dierum spatio* » quæ verba *obvio sensu* sane nihil plus requirunt quam ut *infra decursum* singuli septidui (sive in initio sive in fine) instituatur confessio (1). Decretum S. C. Ind. 25 Feb. 1886

(1) Cf. Lehmkuhl cit. ap. Mocchegiani, *Coll. Indulg.* p. 75; Maurel, *Le chrétien éclairé* (ed. 20) p. 97; *Tract.* Mechl. *de indulg.* (2a ed.) p. 38; *N. R. Th.* XII, pp. 437 et 440. Notetur tamen hæc verba ap. *Raccolta* p. XII sic reddi: « decorsi ogni sette giorni » quæ potius significare videntur: « *elapso* quolibet curriculo... ». Unde, licet non debeat confessio institui semper eadem hebdomadæ die, requiritur forte ut inter duas confessiones non intercedat spatium majus quam septem dierum.

respondens « affirmative » ad quæstionem utrum ille « qui singulis hebdomadis *et stato die* ex. gr. Sabbato confessionem peragere solet, satisfaciat », rem positive, non vero *exclusive* diremit.

Tandem — ne longiores simus —, ex eo quod « coronæ benedictæ a sacerdote Ordinis Prædicatorum, ipso istius benedictionis facto non solum habent indulgentias rosarianas sed etiam simul omnes indulgentias S. Brigittæ adnexas » concludit laudatus auctor quod qui utuntur hujusmodi rosario benedicto « *una eadem recitatione possunt lucrari tum rosarianas tum brigittinas indulgentias* » (p. 262 nota 1; cf. 261; 326; 330). In cujus asserti confirmationem indigitatur decretum S. C. Ind. 29 Feb. 1820. Jamvero in hoc decreto ad dubium 3um: « An uni et eidem rei, puta uni coronæ possint applicari indulgentiæ diversæ v. gr. indulgentiæ dictæ apostolicæ et indulgentiæ dictæ S. Birgittæ? » respondetur: « Affirmative, *dummodo ad eas lucrandas renoventur opera injuncta iterabilia* ». Huic responso quod est omnino generale ut patet ex ipsius verbis et ex *Raccolta* (ed. 1898 p. X), nullibi adstruitur exceptio in favorem coronæ a sacerdote Ordinis Prædicatorum benedictæ.

C. C.

Instructions pour les Catéchistes, par Ch. De Weerdt, *Chanoine de l'Église Métropolitaine*. Malines, H. Dessain. (fr. 0,90).

Hoc in opere dilucide tradit auctor illa pædagogiæ principia quorum cognitio requiritur omnibus qui cupiunt rite fungi summi momenti officio pueros docendi doctrinam christianam. Præsertim intendit auctor regularum universalium practicas exponere conclusiones et consilia dare quibus hæ possint in praxim deduci. Rerum expositarum ordo determinatur textu *Instructionum pro Catechistis* quas continent Statuta archidiœcesis

et quas auctor per decem annos alumnis Majoris Seminarii Mechliniensis est interpretatus : opus prælaudatum est prædictarum *Instructionum* accuratus et amplus *commentarius*.

Inter multa utilissima quæ invenire est in hoc Commentario, unum alterumve consilium minus videtur aptum. Ita indicando media quædam ad reprehendendos alumnos de transgressione regulæ in schola servandæ, dicit auctor (p. 23, 3°): Faire un appel aux sentiments de religion ou d'honneur en disant p. ex.: *Paul, le bon Dieu est il ici présent?... Pierre, S. Jean Berchmans faisait-il comme vous?... Est ce là ce bon cœur dont on m'a dit de si belles choses?* Talia et maxime duo ultima dicta nonnunquam a magistro qui magna omnino in alumnos gaudet auctoritate utiliter adhibebuntur, sed non sæpe nec a majori magistrorum numero.

Præterea duæ series interrogationum ab auctore p. 48 et p. 50 expositæ non satis accuratæ videntur : in prima, quæ est de necessitate Baptismi, non apparet distinctio inter votum Sacramenti et Sacramentum re susceptum.

In altera quæ est de spiritualitate animæ videretur concludendum humanæ animæ unam tantum esse operationem, sc. cognitionem. Melius, ut videtur, spiritualitas humanæ animæ innotescere potest comparatione facta inter brutorum et hominum cognitionem.

Quoad *methodum* adhibendam jure meritoque vult auctor ut doctrinæ christianæ expositioni non solum jungatur expositio historiæ biblicæ, sed ut ab historiæ biblicæ expositione *originem habeat* expositio doctrinæ christianæ : ita scilicit ut factum, quod dogma continet vel cum illo connectitur, narretur et explicetur antequam ipsum enuntietur et exponatur dogma. Cf. p. 36 et seq. Imo recte vult auctor ut in prima puerorum institutione, prædicto modo exponatur doctrina christiana antequam catechismi textus memoriter addiscatur. Cf. p. 65 et seq. Quam apta sit hæc methodus nemo non videt.

Quæ ut facilius in praxim deduceretur, composuit auctor alterum libellum, cujus titulus: *De Mechelsche Catechismus in verband met de Gewijde Geschiedenis*: ibi Veteris et Novi testamenti facta breviter indicantur accommodata singulis 25 lectionibus quibus constat *nova* editio Catechismi Mechliniensis.

Magno cum fructu prælaudati auctoris utrumque scriptum legetur ab omnibus catechistis.

J. V. D. M.

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Novembris.

—

I

Explica Ex. XXI, 5, 6: *Quod si dixerit servus: diligo dominum meum et uxorem et liberos, non egrediar liber: offeret eum dominus diis et applicabitur ad ostium et postes, perforabitque aurem ejus subula: et erit ei servus in sæculum.*

II

Expone quisnam assensus a nobis postuletur, quando Ecclesia docet in re fidei vel morum.

III

Da notionem actus humani.

IV

Da notionem infidelitatis positivæ, eamque explica.

V

Da notionem hæresis eamque explica.

VI

Describe essentiam muneris parochialis.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Julii propositas.

—

I

Q. *Da notionem potestatis* jurisdictionis *et potestatis* magisterii, *quæ competunt Ecclesiæ; et quomodo ab invicem discriminentur indica.*

R. **Prænotanda.**

Passim ab Auctoribus distinguitur potestas in Ecclesia vigens in potestatem *jurisdictionis* et potestatem *ordinis;* ad *alteram* referunt omnem potestatem quæ per consecrationem et caracterem sacramentalem acquiritur atque versatur circa sacramenta conficienda ac administranda, seu, uti aiunt, circa Christi Corpus reale, siquidem ad S. Eucharistiam ordinantur reliqua sacramenta tanquam ad finem suum et perfectionem; ad *priorem* referunt potestatem quæ missione et injunctione conferitur et exercetur in fideles, seu in Christi Corpus mysticum.

Porro apta est et accurata ulterior divisio quam in opere suo posthumo, *Theses de Ecclesia Christi,* Thesi V^a^, egregie proponit et vindicat Card. Franzelin, distinguens descriptam potestatem jurisdictionis in potestatem *imperii* seu *jurisdictionis stricte dictæ* et *magisterii;* cujus utriusque potestatis nunc est danda notio, indicato utriusque ad invicem discrimine.

Notio.

Potestas *jurisdictionis,* uti contradistinguitur a potestate magisterii, est potestas coactive regendi seu ducendi alios tanquam subditos: ad quam potestatem reducuntur potestas legislativa, judicialis et coercitiva.

Potestas autem *magisterii* est prærogativa qua alicui

præ aliis jus competit et munus manifestandi ac docendi veritates quæ pertinent ad depositum revelationis.

Discrimen:

1°/ ratione *objecti,* quatenus nempe « objectum magisterii formaliter spectati... est divinæ doctrinæ, legis, sanctionis in præmiis ac pœnis per divinam justitiam, infallibilis manifestatio, expositio, definitio et per hanc infallibilitatem in docendo totius sacri depositi custodia ».

« Objectum jurisdictionis non est manifestatio revelatæ veritatis ac legis, sed ejus per infallibile magisterium manifestatæ applicatio, defensio, vindicatio in Ecclesia propriis ecclesiastici imperii legibus, præceptis, judiciis, sanctionibus » (1). Franzelin, l. c., p. 60.

2°/ ratione *efficientiæ :* Nimirum jurisdictio *ratione sui* immediate et directe importat obligationem ac coactionem penes subjectum erga quod exercetur; contrà actum magisterii nulla consequitur obligatio *per se* et *ratione sui,* sed mere *per accidens* dumtaxat : non scilicet vi ipsius actus magisterii sed ratione rei manifestatæ, quatenus nempe magisterio Ecclesiæ manifestantur fidelibus veritates revelatæ, quæ statim ac innotescunt ex jure divino sunt fide credendæ. Aliis verbis actus magisterii non est causa inducens obligationem, sicuti actus jurisdictionis, sed ad summum conditio sine qua non.

3°/ ratione *extensionis:* Natura sua, ex eo quod est potestas coactiva, jurisdictio nequit exerceri nisi erga subditos baptizatos, dum potestas magisterii formaliter sumpti extenditur ad omnes gentes, fideles et infideles.

---

(1) Hac objecti jurisdictionis descriptione non excluditur potestas Ecclesiæ condendi leges juris positivi ecclesiastici, cum hæ leges inserviant ad jus divinum vindicandum, applicandum et defendendum; pariter nullatenus restringitur, uti infrà latius exponetur, objectum infallibilis magisterii ad veritates revelatas sed complectitur veritates etiam cum revelatis connexas, utpote quæ requiruntur infallibiliter docendæ ut opportune exponatur et integrum custodiatur depositum revelationis.

Nota. Quantumcumque realis sit distinctio allata inter potestatem magisterii et jurisdictionis stricte dictæ, si abstracte spectantur, in concreto tamen *simul exercentur* erga *baptizatos*, adeo ut Ecclesia veritates revelatas, quas vi magisterii mere docet ac manifestat respectu infidelium, in fideles simul urgeat credendas vi jurisdictionis quam simul exercet; unde fideles assensum fidei denegantes non modò rei existunt violati præcepti divini, quemadmodum infideles, sed etiam reatum incurrunt transgressæ legis coram foro Ecclesiæ.

Huic utriusque potestatis connexioni quoad exercitium tribuendum est quod Auctores passim hanc duplicem potestatem non distinguant vel penitus confundant.

Post Franzelin in eumdem sensum scripserunt Van den Berghe, in Tractatu autogr. *de Jure Publico*, T. I, pp. 10[a] et 10[b]; Billot, *Tractatus de Ecclesia Christi*, Tom. II, pp. 8-16.

A. D. S.

II

Q. An veritas *implicite* tantum revelata potest esse objectum materiale fidei divinæ? Explica.

R. *Veritates* **formaliter implicite** *revelatæ possunt esse objectum materiale fidei divinæ, non vero veritates* **virtualiter implicite** *revelatæ, quæ tantum esse possunt objectum assensus theologici. Etenim, solæ priores, non ultimæ, sunt proprie et formaliter verbum Dei.*

Explicatur: I/ *Distinctio inter veritates formaliter implicite et virtualiter implicite revelatas.* Objectum materiale actus fidei divinæ, seu id cui credens assensum præstat, est verum a Deo revelatum modo supernaturali (i. e. manifestatum alio modo quam per naturam creatam et naturale rationis lumen) et proprio (i. e. per locutionem et non solum per infusionem). Revelatio

autem divina sicut locutio humana tùm explicite, tùm implicite veritates manifestare potest. Veritas dicitur **explicite** quidem revelata quando totidem verbis, expressis vel æquipollentibus terminis in eloquio Dei (in aliqua sacræ Scripturæ vel Traditionis propositione) continetur, v. g. « Deus creavit cœlum et terram ». **Implicite** vero revelata vocatur veritas quæ non expressis verbis, sed solum in alio explicite revelato significata invenitur. In explicite autem revelato implicite revelatum potest contineri dupliciter scil. *formaliter* vel *virtualiter*.

A. **Formaliter** implicite revelatum dicitur quod non modo realiter seu quoad objectivam rei veritatem, sed insuper formaliter, seu quoad conceptum formalem identificatur cum explicite revelato. Tunc inest implicite revelatum quasi formatum : non tantum cum explicite revelato nexum habet necessarium ideoque ex eo deduci potest, sed in ipso, licet non totidem verbis, vere tamen et proprie juxta communem hominum acceptionem *dici* censetur. Hoc autem triplici sequenti modo præsertim contingit :

a/ In revelato definito revelantur omnes definitionis partes et omnia essentialia huic definito. Hoc modo in propositione definita : « Christus est homo » continetur formaliter propositio : « Christus habet corpus et animam intellectivam ».

b/ In revelata propositione universali formaliter revelantur omnes particulares sub ea comprehensæ. Ità sub propositione : « Omnes Apostoli receperunt Spiritum sanctum » comprehenditur hæc altera : « Matthæus Apostolus recepit Spiritum sanctum ».

c/ In revelata propositione complexa formaliter implicite revelantur singulæ ejus partes. Ità in propositione : « Deus omnipotens creavit cœlum et terram » formaliter implicite revelantur ejus partes : « Deus est omnipotens » ; « Deus creavit cœlum » ; « Deus creavit terram ».

B. **Virtualiter** implicite revelatum dicitur illud quod cum explicite revelato habet quidem nexum necessarium, *non tamen proprie et formaliter in ea dicitur,* sed potius tanquam in radice et in semine, e quo ope principii naturaliter cogniti erui potest.

Porro virtualiter implicite revelatum in explicite revelato continetur non tantum objective (1) sed etiam *logice* (licet non formaliter); siquidem rationali seu logica deductione ex revelato explicite colligitur. Ità in propositione explicite revelata: « Christus passus est sub Pontio Pilato » virtualiter implicite tantum continetur hæc alia: « Christus passus est sub Tiberio imperatore », quia non formaliter dicitur in verbo Dei, sed ex eo ope scientiæ historicæ eruitur.

II/ **Ratio** *cur veritates formaliter implicite revelatæ, non vero veritates virtualiter implicite revelatæ sint objectum materiale fidei divinæ satis patet.*

A. Et imprimis minime dubitandum quin veritates **formaliter implicite** revelatæ ad materiale fidei objectum pertineant. Illud enim est objectum fidei divinæ quod a Deo revelatur seu *dicitur*, et *unice* creditur propter auctoritatem Dei loquentis. Atqui veritas formaliter implicite revelata *dicitur* a Deo: formaliter enim in verbo Dei continetur; dein *unice* creditur propter auctoritatem Dei loquentis: nam ad ejus cognitionem ducimur solo testimonio divino, adhibita simplici terminorum explicatione juxta communem usum loquendi et locutionis adjuncta. Deus enim sapientissimus humanis vocibus homines alloquens, id omne intendit revelare

(1) Quando vero aliquid in explicite revelato continetur *tantum objective*, a parte rei, non vero *logice* ità ut nulla rationali deductione ex revelato explicite colligi, sed tantum nova revelatione innotescere possit, tunc illud vere non est nequidem implicite revelatum, licet quoad substantiam (seu *generaliter* implicite uti dicit Billot, *De Virt. Inf.* p. 254 s.) in revelatione contineatur. Ita in revelata existentia veri Dei *objective* continetur veritas: *tres sunt personæ in Deo;* sed ex Dei existentia absque ulteriori revelatione nos colligere non possumus mysterium SS. Trinitatis. Cfr. Brouwer, *De Fide divina*, Lovanii 1880, p. 70 s.

et revera revelat quod est formaliter, licet implicite, comprehensum in significatione verborum quæ adhibet.

Qua de re *notare juvat* dari fidei dogmata quæ ex revelationis fontibus deducuntur adhibitis argumentis, imo ope formæ syllogisticæ, quin tamen contineantur in revelatis sicut consequentiæ in principiis. Sunt pure verbum Dei, non verò conclusiones theologicæ proprie dictæ, quia his argumentis (1) et forma syllogistica solummodo demonstratur quæ sit in propositionibus revelatis vis ac significatio terminorum et quousque se extendat eorum comprehensio. Assumpta nempe præmissa non habet vim illativam seu non est, ut in syllogismo vero, *causa* partialis conclusionis, sed solum inservit ut patescat conclusionem in præmissa revelata contineri. Ità in forma syllogistica: « Deus vult omnes homines salvos fieri ; Atqui ego sum homo ; Ergo Deus vult me salvum fieri », conclusio est formaliter implicite revelata ; siquidem assumpta minor nullam habet vim illativam, sed solum ostendit conclusionem in majori revelata contineri (2).

B. De veritatibus quæ in explicite revelato **virtualiter implicite** continentur non est profecto eadem ratio: sunt scil. conclusiones theologicæ proprie dictæ, adeoque admittendæ assensu fide divina inferiori, nempe assensu theologico. Etenim ejusmodi conclusio forma-

(1) Cfr Billot *o. c.* p. 253 n. (2) « Hic notandum occurrit, non esse confundendum id quod expressis verbis in propositione aliqua significatur, cum eo quod prima fronte ex sola lectione vel auditione propositionis percipitur. Potest enim esse quod verborum sensus nonnisi ex studiosissima inquisitione innotescat, ei ideo multæ sunt veritates explicite revelatæ quæ tales non apparent, nisi multis adhibitis argumentis ; iis porro argumentis dico, quibus solum ostenditur qualis sit in determinato contextu secundum hermeneuticæ regulas, suppositio, potestas et connexio terminorum. »

(2) Cfr Ill^m ac Reverend^m Waffelaert : *Annotat. in Tract. de Virt. theol.* Brugis 1900, p. 15 et s. ubi nota : « Conclusio theologica quæ etiam sit revelata potest esse objectum assensus fidei, vel assensus theologici, prout formaliter spectatur ut revelata, vel formaliter ut conclusio cui assensus datur propter deductionem. »

liter non revelatur, *non dicitur* a Deo. Connectitur quidem cum verbo Dei nexu logico, sed *non unice e verbo Dei eruitur:* intervenit nempe principium rationale cujus munus jam non est manifestandi conclusionem fuisse dictam a Deo, sed partialiter movendi mentem ut conclusioni assentiat (Cfr. suprà I sub B). Conclusio igitur ab intellectu admittitur non *unice* propter auctoritatem Dei loquentis (quod ad assensum fidei divinæ requiritur), sed partialiter propter vim illativam præmissæ rationalis seu propter rationalem deductionem. Ergo cùm ad fidem divinam requiratur ut auctoritas Dei sit *adæquatum* objectum formale actus, virtualiter implicite revelatum non est objectum fidei divinæ. Est scil. objectum assensus theologici quo veritas tenetur ut theologice certa; et posita Ecclesiæ definitione, fit objectum fidei ecclesiasticæ. Ecclesiæ enim ad depositum fidei in sua integritate tuendum et conservandum, competit munus sub assistentia Spiritus sancti infallibiliter definiendi ut vera (non ut revelata) quæ cum doctrina revelata indivulso nexu cohærent.

A. C.

III

Q. An *privatæ* revelationes pertinent ad objectum fidei divinæ materiale? Adde rationem.

R. **Prænota.** Revelatio *publica* est ea qua Deus revelat veritates ad communem generis humani salutem ordinatas adeoque fide divina explicite vel saltem implicite ab omnibus credendas: veritates ita revelatæ pertinent ad depositum fidei catholicæ quod Ecclesiæ custodiendum, prædicandum et explicandum commissum est. Hæc revelatio publica in Christo et Apostolis fuit completa. Revelatio *privata* est illa qua Deus uni vel pluribus personis immediate revelat, etiam in publicam hominum utilitatem, veritates quæ tamen non om-

nibus tanquam Dei verbum fide divina ad salutem credendum proponuntur (1). — Jamvero, de his privatis revelationibus (quæ uti patet nunquam esse possunt objectum fidei *catholicæ*) quæritur utrum possint pertinere ad objectum fidei materiale, tùm in se seu objective et in actu primo, tum quoad nos seu subjective et in actu secundo.

Respondetur. *Communior vera ac certa sententia (2) docet revelationes privatas esse objectum fidei divinæ (nunquam catholicæ) objective et in actu primo; pariter eas esse objectum divinæ fidei subjective et in actu secundo, modo adsint motiva credibilitatis evidentia quibus divina earum origo sufficienter innotescat. Innotescet autem interdum ipsis personis quibus immediate revelationes privatæ fiunt, vix autem aliis.*

Ratio asserti. 1/ Privatas revelationes esse objectum fidei divinæ *objective et in actu primo* patet ex hoc « quod assensus fidei divinæ qua talis non pendet a diverso modo quo veritas revelata proponitur, sed unice innititur veritati primæ revelanti, præsupposita sufficienti

---

(1) Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *Collat. Brugen*, T. II, p. 300 s.

(2) Hæc sententia certa hodie est communis. Attamen fuerunt quidem Theologi catholici qui ut conditionem necessariam ad credendum fide divina postularunt ut revelatio per Ecclesiam proponatur, ità ut revelationes privatæ a Deo immediate factæ nunquam forent objectum materiale fidei divinæ, ne quidem quoad illum cui privata revelatio facta est. Tenebant his revelationibus respondere actum fidei gratis datæ, vel actum prudentiæ, vel alium aliquem actum distinctum a fide theologica. Ità Salmanticenses (*De Fide*, Disp. 1, dub. 4, n. 104) qui alios AA. adducunt. Citantur a Lugone pro hac sententia Cajetanus, Sotus, Canus, Valentia, Bannez. Verum Canus aperte agit de fide catholica et communi fidelium, quæ etiam fundamenta præbet et principia disciplinæ theologicæ; ità forte et Cajetanus, Valentia et Bannez intelligi possunt; duo posteriores tamen qui, exorta jam controversia, specialem quæstionem hac de re instituunt et universim non satis distinguere videntur fidem divinam et catholicam, difficilius cum sententia communiori conciliantur. Cfr. Brouwer, *o. c.*, p. 83 n. Provocant etiam ad auctoritatem S. Thomæ, *Summa theol.* I^a, q. I, a. 8, ad 2^m, coll. II^a 2^æ, q. V, a. 3. At immerito: locis enim citatis Angelicus evidenter loquitur de fide *catholica*.

revelationis propositione. Jam vero eadem prima veritas revelans est adæquatum motivum assentiendi revelationi tam privatæ quam publicæ...

Idem pluribus exemplis S. Scripturæ a posteriori confirmatur. Certe Prophetæ aliique legati Dei credere poterant citra propositionem publicæ auctoritatis, quæ ipsis revelata et populo prædicanda erant. Deinde Ep. ad Hebr. c. XI plura affert exempla Patrum, quorum extollitur fides vere divina et quorum plures credidisse feruntur veritates, quas non nisi privata revelatione cognoscere poterant. Laudatur fides Abrahæ et B. M. Virginis privatæ revelationi præstita; reprehenduntur Sara et Zacharias eo quod tardi fuerunt ad credendum ejusmodi revelationi » (1).

Inde intelligitur quomodo infideles, qui nihil unquam de revelata religione audierunt ac Christum ejusque Ecclesiam inculpabiliter ignorant, nihilominus fide salutari credere et ad salutem pervenire possint, quando Deus eorum misertus *privata* revelatione ipsis veritates necessarias ad salutem manifestare dignatur; qualem revelationem, si alia media desint, Deus certissime non denegabit, testante S. Thoma (De Ver. a. XI, ad 1^{m}) iis, qui ductum naturalis rationis in appetitu boni et fuga mali secuti, gratiæ divinæ obicem non posuerint (2).

2/ Patet etiam ratio alterius partis asserti, nempe privatas revelationes fieri objectum materiale fidei divinæ pro iis quibus per motiva credibilitatis evidentia divina earum origo sufficienter innotescit. Hæc enim conditio requiritur sed sufficit ut, posita revelatione divina, statim oriatur pro mente, cui ejus divina origo innotescit, officium præstandi assensum fidei divinæ scil. propter auctoritatem Dei revelantis. — Et pro-

---

(1) Gen. XV, 6; Rom. IV, 3; Gal. III, 6; Jac. II, 23; Luc. I, 45; Gen. XVIII, 13; Luc. I, 20. Cfr. Brouwer, *o. c.*, p. 83 s. — Aliud argumentum desumi potest ex Conc. Trid., Sess. VI, c. 72, cfr. Pesch, Tract VIII, p. 96.

(2) Cfr. Brouwer, *o. c.*, p. 86 s.

fectò Deus suæ locutioni immediatæ potest annectere signa quæ ejus divinam originem evidenter cognoscibilem reddunt, ità ut omnis prudens formido erroris excludatur. Quando igitur privata revelatio manifestis signis divinæ originis instructa cognoscitur ab aliquo, hic prudenter potest, et ex reverentia Deo debita, tenetur (1) elicere assensum fidei firmissimum, infallibilem et irrevocabilem.

3/ In fine responsi *limitatio* apposita fuit, scil. divina revelationis origo *interdum* sufficienter innotescit illis quibus immediate fiunt revelationes privatæ, *vix unquam* aliis. Et certe a/ facilius contingere potest ut *ii quibus fit revelatio* teneatur eam credere fide divina. Attamen privatis revelationibus et illi ipsi haud facile credere possunt, tùm quia sæpe incertæ sunt earumque sensus difficile percipitur; tùm quia probandi sunt spiritus utrum ex Deo sint et angelus satanæ se non transfiguret in Angelum lucis, vel sic dictæ revelationes non sint mera somniorum figmenta aut vividioris phantasiæ hallucinationes. Præterea, etiam ubi de divina revelationis origine certitudo moralis stricte dicta datur, ulterius discernendum est utrum Deus revera veritatem docere, an vero potius piæ meditationis objecta proponendo cujusdam personæ pietatem fovere intendat.

b/ *Aliis* vero locutio divina *rarissime* exhibetur cum iis credibilitatis motivis ut possint vel etiam teneantur credere fide proprie dicta divina. Ut facile intelligitur, certitudo requisita revelationis originis divinæ non ex uno tantum capite deficere potest, tùm quia sæpe veræ ac authenticæ revelationes ipsis quibus fiunt difficile innotescunt, ut supra dictum est; tùm quia testimonium illud humanum erroris, imo deceptionis periculum sibi annexum habet. Nihilominus, quando gravia adsunt

(1) Qui assensum fidei in his adjunctis denegat, certe injuriam irrogat auctoritati Dei revelantis, et in foro conscientiæ coram Deo infidelis est, quamvis non sit hæreticus in foro externo seu coram Ecclesia, nec adeo pœnas ab ea in hæreticos latas incurrat.

authentiæ et genuinitatis argumenta, ejusmodi revelationes privatæ *humana fide*, prudenter, pie et sine superstitionis vel levitatis nota credi possunt (1). Certe fas non est in talibus adjunctis eas spernere, præsertim si aliquo Ecclesiæ judicio probatæ fuerint (2). Quod judicium, ut recte notat Franzelin (3), non eo spectat ut revelationes proponantur fidelibus fide divina (aut ecclesiastica *Collat.*, I, p. 228) credendæ (4), sed ut declaretur: α/ in iis nihil esse quod fidei catholicæ, bonis moribus et disciplinæ ecclesiasticæ adversetur; β/ sufficientia esse indicia veritatis ut hujusmodi revelationes fide humana pie, prudenter ac sine superstitione credi et ad ædificationem a fidelibus legi possint. Hujusmodi sunt revelationes quibus de cultu SS. Cordis instituendo Beata Margarita-Maria Alacoque divinitus donata fuit (5).

A. C.

IV

Q. *Explica quo sensu et quomodo objectum materiale fidei catholicæ augeri possit sub nova œconomia?*

R. I. Cum revelatio catholica per Christum et per Spiritum sanctum in Apostolis completa fuerit, patet exinde sub nova œconomia objectum materiale fidei catholicæ simpliciter et quoad se (objective) per novas revelationes augeri non posse.

---

(1) Scil. sequendum est consilium Em. Cardin. Parocchi (*Annales Romaines* 1896, col. 174), qui revelationem aliquam Bæ Margaritæ-Mariæ Alacoque factam perpendens a duplici excessu cavendum censet, nimiæ nempe credulitatis, qua sine ratione solida cuncta admittuntur, et severitatis nimiæ, qua indiscriminatim omnia, neglecto examine, cum despectu rejiciuntur.

(2) Cfr. Brouwer, *o. c.*, p. 86.

(3) *De Div. Trad. et Script.*, Romæ 1870, p. 237.

(4) Non enim pertinent ad fidei depositum, nec ut veritates cum revelatis connexæ infallibili Ecclesiæ magisterio definiuntur.

(5) Cfr. *Collat. Brug.*, T. II, p. 219 ss.

II. Attamen, etiam a tempore Apostolorum, objectum materiale fidei catholicæ augeri potest et crevit secundum quid et quoad nos (subjective), non nova revelatione sed revelationis completæ authentica explicatione, idque triplici præsertim modo 1/ cùm revelatio obscura redditur clara per interpretationem; 2/ cùm revelatio generalibus verbis concepta evolvitur et applicatur; 3/ cùm proponitur revelatio sub hoc vel illo conceptu ad occurrendum alicui errori speciali (1).

I. **Explicatur prior pars.** Duplex incrementum distingui solet: unum **simpliciter dictum** seu **objectivum**, aliud **secundum quid** seu **subjectivum**. Primum habetur quando fit nova revelatio de objecto quod antea revelatum non erat, quodque proinde absque nova revelatione objectum esse fidei atque credi non poterat. — Alterum contingit quando revelatio jam facta, absque nova revelatione, distinctius explicatur, ità ut objectum quod antea erat de fide **quoad se**, incipiat esse de fide **quoad nos**, seu subjective. — Jam vero, hoc notato, revelatio catholica per Jesum Christum et per Spiritum sanctum in Apostolis completa censeri debet, ità ut non solum alia œconomia perfectioris ordinis et amplioris revelationis non sit expectanda (2), sed etiam in œconomia præsenti nova nullum objectivum incrementum depositi fidei catholicæ post Apostolos aut factum aut adhuc futurum admittendum sit. Objectum autem fidei catholicæ inde a tempore Christi et Apostolorum neque

(1) Cfr Murray, *Tract. de Ecclesia Christi*, Dublinii 1860, p. 25 s.

(2) Œconomiam præsentem Ecclesiæ Christi esse statum ultimum et supremum divinæ revelationis pro hac conditione mortali generis humani veritas est de fide catholicâ tenenenda. Cfr. Franzelin, *Tract. de div. Trad. et Script.* Romæ 1870, p. 228 ss. — G. Lahousse, S. J. *Tract. de Virt. theolog.* Brugis 1900, p. 124 ss. Ergo objectum fidei catholicæ nunquam crescet ità ut revelationem christianam novamque œconomiam excipiat ac perficiat his in terris tertia œconomia ac perfectior revelatio per Spiritum sanctum. Huc spectant varia Scripturæ testimonia in quibus tempus novæ œconomiæ dicitur tempus plenitudinis, consummationis ac perfectionis. *Gal.* IV, 3-5; *Ephes.* I, 3-10; *Hebr.* VII, 11-24; X, 1; XII, 27-28 etc. — Cfr Brouwer, *De Fide divina*, Lovanii 1880, p. 94.

crevisse neque augeri posse simpliciter et quoad se per novas objectivè revelationes, veritas est theologice certa.

Hæc enim doctrina evidenter colligitur ex verbis disertis Christi ad Apostolos et ex modo agendi Apostolorum erga suos successores et populum fidelem. Christus testatur se *integram* veritatem salutarem Apostolis tradidisse : « *Quæcumque* audivi a Patre meo nota feci vobis (Jo. XV, 15)... Paraclitus autem Spiritus... ille vos docebit *omnia,* et suggeret vobis *omnia quæcumque dixero vobis* (Jo. XIV, 26)... Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos *omnem veritatem* (Jo. XVI, 13). » Apostoli, hujus plenitudinis acceptæ conscii, successoribus suis inculcant ut *custodiant bonum depositum, permaneant in iis quæ didicerunt et credita sunt ipsis*, et acceptam doctrinam *commendent fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Fidelibus nihil commendatur impensius, quam ut *permaneant in doctrina accepta, et, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, non aliud admittant Evangelium nisi quod derivatur ab Apostolis* (1).

Quare nec ullæ revelationes quæ fidei catholicæ addant aliquid post Apostolorum tempora expectandæ sunt aut recipiendæ, sed eæ tantum veritates retinendæ atque explicandæ quæ olim a Christo et Apostolis traditæ fuerunt. Quapropter Concilium Tridentinum (Sess. IV, Decr. de Canon. Script.) Evangelium Christi proponit tanquam fontem *omnis* salutaris veritatis et morum disciplinæ, ac dein subjungit : « hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt ».

---

(1) Cfr II *Tim.* I, 14 ; II, 2 ; III, 10, 14 ; *I Tim.* IV, 6, 7 ; *Ephes.* II, 20 ; *Rom.* XVI, 17 ; *I Cor.* XI, 2 ; *Gal.* I, 6, 8 ; *Colos.* II, 7 ; *II Thessal.* II, 14 ; *Hebr.* XIII, 7-9 ; *Ep. Jud.* 3. Cfr. Brouwer *o. c.* p. 95 — Mazzella, *De Virt. Inf.* Romæ, 1884, p. 265 ss.

Ex dictis jam satis constat depositum fidei in Apostolis definitive fuisse clausum ac sigillatum ità ut nihil unquam in Ecclesia proponi posset fide catholica credendum, quòd per novam revelationem acciperet post tempora Apostolorum. Omne quod credit aut unquam creditura est Ecclesia in prædicatione apostolica saltem implicite continetur. Meritò ergo dicitur objectum materiale fidei catholicæ augeri non posse simpliciter et quoad se (1).

II. **Explicatur altera pars**. Superest inquirendum quomodo objectum materiale fidei post Apostolorum tempora creverit **secundum quid et quoad nos**, absque nòva scil. revelatione. Constat enim plures fidei veritates fuisse successu temporis ab Ecclesia definitas et de nonnullis earum fuisse inter ipsos catholicos discrepantes sententias per aliquod temporis spatium ante Ecclesiæ definitionem. Negari igitur nequit objectum fidei catholicæ augmentum aliquod decursu temporis accepisse. Quomodo illud factum incrementi ac progressus fidei est explicandum, cùm nihil ad ipsum fidei catholicæ objectum pertinere possit nisi in deposito apostolico Ecclesiæ concredito contineatur?

Apostoli utique munus acceperunt integram doctrinam revelatam sive scriptis consignandi sive prædicatione successoribus tradendi. Minime tamen necesse erat ut Apostoli omnes et singulas veritates revelatas explicite, clare et diserte proposuerint. « Non enim singularum veritatum instantior prædicatio et explicita cognitio omni tempore requiritur, sed dum pro diversitate temporum quædam disertis et claris formulis proponuntur, aliæ tradi possunt velut formaliter in illis contentæ, aut obscurius expressæ, aut potius usu et praxi, quam explicita professione receptæ. Quodsi impetus hæreticorum, necessitas conservandi integri-

(1) Qui plura cupit hac de re consulere potest citatos AA. ll. cc. præsertim Franzelin.

tatem fidei aliave temporum adjuncta istarum quoque definitam propositionem postulant, Spiritus sanctus, qui etiam revelando omnem veritatem Apostolis suggessit, ex promissione Christi assistit Ecclesiæ docenti in authentica explicatione revelationis ab Apostolis acceptæ » (1).

Et ità, revelatio antea Apostolis facta absque nova revelatione distinctius explicatur; objectum materiale fidei augmentum accipit secundum quid et *quoad nos*. At totum incrementum obtinet non in objectivo revelationis deposito; verùm in *subjectiva* credentium cognitione. Est « potius profectus fidelis in fide quam fidei in fideli » (2).

Illud autem augmentum subjectivum et secundum quid contingit triplici præsertim modo:

1° *Cùm revelatio obscura redditur clara per interpretationem*. Ità plures sunt veritates in Scriptura revelatæ quas catholici non possunt de fide credere quia Scripturæ sensus nondum est sufficienter propositus nec ab Ecclesia declaratus; postquam autem Ecclesia sensum verum Scripturæ declarat, illæ veritates jam pertinent ad objectum materiale fidei catholicæ quoad nos. Ità etiam veritates quædam (ut doctrina de valore baptismi ab hæreticis collati) prius usu et praxi admittuntur quam distincte et clare credendæ proponantur.

2° *Cùm revelatio generalibus verbis concepta evolvitur et applicatur*, ità scil. ut explicite credenda proponatur veritas quæ in deposito fidei apostolico implicite tradita est. Sic dogma Immaculatæ Conceptionis B. M. V. implicite continebatur in generaliori dogmate de eximia dignitate et omnimoda sanctitate Matris Dei. Ità etiam dogma de suprema Petri potestate ut visibilis Ecclesiæ fundamenti decursu temporis evolutum fuit, quatenus, occurrentibus casibus, deductæ sunt variæ prærogativæ

---

(1) Cfr Brouwer *l. c.*

(2) Albertus Mag. III Dist. 25 a. 1 ad 1.

sedis romanæ, scil. definitum fuit Petrum (ejusque successores) habere tale et tale munus aut speciem jurisdictionis, v. g. leges universales ferendi, definiendi dogmata fidei etc.

3° *Cum proponitur revelatio sub hoc vel illo conceptu ad occurrendum alicui errori speciali.* Sic, in definitione præsentiæ Christi in Eucharistia a Conc. Trid. ponuntur verba « vere, realiter et substantialiter » ad occurrendum variis erroribus Protestantium (1).

In nullo casu depositum fidei apostolicum augetur secundum se, seu non crescit numerus veritatum revelatarum; augetur tantum quoad nos, quatenus crescit numerus dogmatum i. e. veritatum quæ ut revelatæ nobis credendæ proponuntur.

A. C.

V

Q. Quibusnam in casibus licet celebrare missam privatam seu lectam *de Requie* in festo duplici vel Dominica?

R. Secluso etiam speciali indulto, id licet juxta rubricas et decreta sequentibus in casibus, scilicet: 1° Quando celebrandæ sunt exequiæ pauperis defuncti « cujus familia impar est solvendo expensas missæ exequialis cum cantu, hæc missa legi potest sub iisdem clausulis et conditionibus, *(consequenter iisdem diebus)* quibus præfata missa cum cantu permittitur »; additur autem limitatio « dummodo in Dominicis aliisque festis de præcepto non omittatur missa officio diei currentis respondens ». *(Decr. 12 Junii 1899)* (2). Jamvero missa exequialis cantata permittitur in Dominicis et festis duplicibus, paucis exceptis, ergo in casu iisdem in Dominicis et festis duplicibus licet unam celebrare

(1) Cfr Murray *l. c.*
(2) Vide *Collationes Brugenses* 1899, p. 486 et seqq.

missam lectam (vel etiam plures si plures exequiæ pauperum occurrunt eadem die). Dies autem exceptæ sunt illæ, in quibus « occurrit aliquod ex festis duplicibus primæ classis solemnioribus, seu universalis Ecclesiæ, seu Ecclesiarum particularium ex præcepto Rubricarum recolendis. Quibus in festis comprehenduntur etiam pro universali Ecclesia ultimum triduum majoris Hebdomadæ, non autem feriæ II et III Paschæ et Pentecostes: pro particularibus vero Ecclesiis dies Dominica, in quam solemnitas festi infra hebdomadam occurrentis alicubi ex indulto transfertur, modo celebretur a populo: necnon ubi et donec Eucharistia solemniter exposita habeatur (1) (*Decr. generale*, 2 dec. 1891, nº 3755).

2º Per decr. 19 maii 1896 confirmatum 8 Junii 1896 S. Congregatio Rituum declaravit: « in quolibet sacello sepulcreti rite erecto vel erigendo, missas, quæ inibi celebrari permittuntur, posse esse *de Requie* diebus non impeditis a festo duplici 1 vel 2 classis, a Dominicis aliisque festis de præcepto servandis, necnon a feriis, vigiliis, octavisque privilegiatis. » (2) Missæ ergo *de Requie* in sacellis sepulcreti permittuntur in duplicibus minoribus et etiam majoribus quæ non occurrunt in Dominica vel infra Octavas privilegiatas, nunquam autem permittuntur in Dominicis. Per citatum decretum non datur licentia celebrandi in quocumque sacello sepulcreti seu cœmeterii, sed conceditur missas lectas *quæ inibi celebrari permittuntur* ex indulto speciali, quibusdam diebus posse esse *de Requie*. Juxta responsum reformatum decreti 12 jan. 1897 (3), privilegium circa missas lectas *de Requie* permissas in sacellis sepulcreti favet etiam Ecclesiis vel Oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti, non autem Ecclesiis vel

(1) Vide dies speciatim numeratos in *Calend. liturg.: Prænotanda: de missis defunctorum*, nº 1.

(2) *Collat. Brugen.* 1896, p. 474.

(3) Vide *Collat. Brugen.* 1899, p. 118 et seqq.

cappellis extra cœmeterium, subter quas ad legitimam distantiam alicujus defuncti cadaver quiescit, nec etiam ecclesiis parochialibus, quæ circumjacens habent cœmeterium.

3° Rubrica generalis Missalis, Tit. V, n. 2 (reformata decreto 11 dec. 1897), habet: « Missæ *privatæ* pro defunctis ut in die obitus seu depositionis etiam *in duplicibus* celebrari possunt præsente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere; exceptis duplicibus primæ classis, diebus duplicia primæ classis excludentibus et festis de præcepto. » Ex hac rubrica et ex decretis 19 maii 1896 et 12 januarii 1897 jam citatis, ad quorum normam rubrica concinata fuit, sequitur, in exequiis die vel pro die obitus vel depositionis, corpore scilicet præsente, vel etiam propter gravem causam physice absente (1), sed moraliter præsente, sive insepulto sive etiam sepulto non ultra biduum (2), fieri posse missas privatas seu lectas *de Requie* etiam plures, verum sub iisdem clausulis et conditionibus, ergo iisdem diebus, *etiam duplicibus*, quibus missa solemnis *de Requie* iisdem in casibus decantatur, exceptis tamen duplicibus primæ classis, diebus duplicia primæ classis excludentibus (3) et festis de præceptis sub quibus comprehenduntur Dominicæ. Ut autem hæ missæ lectæ permittantur in duplicibus requiritur, ut applicentur pro defuncto cujus cadaver est vel censetur præsens, et ut in illis ecclesiis vel oratoriis publicis, in quibus celebrantur, fiat funus cum missa exequiali cantata (4), ita ut « privilegium sit proprium tantummodo Ecclesiæ in qua funus peragitur

---

(1) *Decr. gen.* S. R. C. 2 dec. 1891, ad II.

(2) Hoc fusius explicabitur in responso ad quæstionem propositam pro mense Octobris.

(3) Scilicet Vigilia Nativ. Dni, festo Circumcisionis, die Octava Epiphaniæ, fer. IV Cinerum, feriis 2, 3 et 4 Hebdomadæ majoris, feriis 4, 5, 6 et Sabb. Octavarum Paschatis et Pentecostes hujusque Vigilia.

(4) *Decr. 12 jan. 1897,* et *decret. 3 aprilis 1900 ad IV,* quod vide *Collat. Brug. 1900, p. 389.*

cum sua missa exequiali » et missæ lectæ quæ a sacerdotibus celebrantur in aliis ecclesiis vel oratoriis celebrari non valeant *de Requie* in duplicibus, quamvis hac die in ecclesia parochiali fiat funus (1). Ex quo inferendum « quod missæ privatæ de Requiem in duplicibus permittuntur, non in singulis diebus infra tempus quod ab obitu defuncti ad ejus tumulationem intercedit, sed in uno eodemque die tantum in quo exequiæ fiunt. » (2)

4°. Juxta eadem decreta *Aucto* 19 maii 1896 et 12 jan. 1897 ad III jam citata, missæ privatæ possunt esse *de Requie* iisdem diebus duplicibus, ut supra ad 3um, in oratoriis *privatis* et in sacellis ad Seminaria, Collegia et Religiosas vel pias utriusque sexus communitates spectantibus, die vel pro die obitus. Ut autem hæ missæ in duplice celebrentur, non requiritur ut funus fiat cum missa exequiali sicuti pro ecclesiis et oratoriis publicis, sed requiritur ut corpus sit præsens in domo. In decreto enim 3 aprilis 1900 ad dubium IV: « quomodo intelligenda sit præsentia physica vel moralis requisita in decretis suprarelatis (19 maii 1896 et 12 jan. 1897) respondetur:... missæ privatæ de Requie nonnisi in ecclesia vel oratorio publico permittuntur, ubi fit funus cum missa exequiali: *in oratoriis autem privatis* missæ *quæ inibi legi permittuntur*, possunt esse *de Requie*, *præsente cadavere in domo*, servatis cæteris clausulis et conditionibus. » Utrum autem missa *de Requie*, in oratorio privato domus in qua aliquis decessit, fieri possit quotidie usque dum cadaver in Ecclesiam deferatur vel non, incertum manet; alii stant pro una missa lecta in uno tantum die, vel pro pluribus una die, si plures celebrari permittuntur in oratorio; alii missam vel missas pluries iterari posse diversis diebus, donc cadaver ad sepulturam deferatur, opinantur (3).

---

(1) Idem *decr. 3 april. 1900, ad I.*

(2) Ill. Van der Stappen, *De rubricis Missalis*, q. 343.

(3) Cfr. Ephem. liturg. 1900, p. 519, 673, 676; 1901, p. 225.

5° Juxta decretum *Urbis et Orbis*, 9 julii 1895, confirmatum 9 decembris eodem anno (1), sacerdos qui recitat officium ritus *duplicis*, celebrans in Ecclesia aliena, vel in Oratorio publico, vel (2) etiam in semipublico, in quibus officium ritus duplici inferioris agitur, sicuti potest vel missam votivam vel de occurrente feria, vel suo officio conformem (3), vel correspondentem officio Ecclesiæ vel Oratorii celebrare, ita etiam ipsi liberum est missam *de Requie* legere, « iis tamen exceptis diebus in quibus præfatas Missas Rubricæ Missalis Romani vel S. R. C. decreta prohibent », scilicet exceptis diebus quibusdam privilegiatis, v. g. Octavarum, Vigiliarum vel feriarum, in quibus missæ privatæ quotidianæ *de Requie* prohibitæ sunt, quamvis officium non agatur ritu duplici.

Nota. In decreto *in Strigonien.* 30 aug. 1892 (n° 3792), ad VI, proponitur dubium: « Officium votivum de Immaculata Conceptione B. M. V. in nonnullis Diœcesibus Hungariæ (hodie adhuc), ex concessione Benedicti PP. XIII diei 15 decembris 1727, *ritu duplici* recitari in Sabbatis solet. Hinc quæritur: an diebus his Sabbati liceat celebrare missam privatam *de Requie?* Ratio dubitandi est, quia officium est quidem *duplex*, sed *votivum* ». Respondet autem S. C. R.: « Affirmative; et detur decretum *in Bergomen.* diei 24 novembris 1691 ». Decretum autem *in Bergomen.* (n° 1858) cui innititur responsum affirmativum, ita habet: « an in dicta ecclesia parochiali (S. Blasii, Diœc. Bergomen.), ubi adest Altare privilegiatum pro defunctis, celebrari possit a sacerdotibus confluentibus missa de Requiem in die alicujus Sancti *duplicis ad libitum*, quando ejus officium a dicto parocho recitatur? S. C. respondit: « In casu proposito, *cum officium sit ad libitum*, quamvis sub ritu

(1) *Collat. Brugen.* 1896, p. 90.

(2) Vide decr. *in Ruthenen.* 22 maii 1896, *Collat. Brugen.* 1896, p. 379. Conf. Ill. Van der Stappen, *de rubricis Missalis*, q. 386, III.

(3) Decr. *in Basileen.* 14 martii 1896, *Collat. Brugen.* 1896, p. 259.

duplici, posse sacerdotes confluentes celebrare missam de Requiem. »

Jamvero etiam in Diœcesi Brugensi ex eodem indulto Benedicti XIII, concesso (prout habetur in antiquis editionibus Breviarii) « universo clero sæculari et regulari in omnibus regnis, dominiis et ditionibus Cæsareæ Majestati subjectis extra Italiam », quolibet sabbato anni extra Adventum, Quadragesimam et sabbata Vigiliarum et Quatuor Temporum (1), non impedito festo novem lectionum etiam translato, recitatur *ritu duplici* officium Immaculatæ Conceptionis. Insuper in feriis quintis per annum (similiter non impeditis), Officium SS. Sacramenti, quod ex concessione a Clemente XI facta pro regnis et statibus Domus Austriacæ, ritu semiduplici fieri potuit, ex decreto 22 aprilis 1852 in diœcesi Brugensi ritu duplici recitatur (2). Quæri ergo potest utrum Diœcesi Brugensi applicari possit decretum *in Strigonien.*, ita ut missæ quotidianæ *de Requie* permittantur illis feriis quintis et sabbatis quibus officium fit *duplex* de SS. Sacramento vel de Immaculata Conceptione. Quæstioni autem propositæ affirmativum responsum dandum non putamus. Quia revera in casu pro Diœcesi nostra officia illa non sunt stricte votiva nec *ad libitum*, sicuti sunt ad libitum singulorum de clero officia concessa à Leone XIII, 28 julii 1882; sed, quamvis ex concessione particulari recitentur, obligatoria et præceptiva facta sunt per acceptationem Ordinarii et insertionem in Calendario Diœcesano, juxta decretum 27 junii 1899 quo declaratur « officia quæ, alicubi conceduntur sub clausulis: *fieri posse, recitari posse etc.* », præceptiva esse, si acceptata fuerint, et non assimilari votivis. Unde non obtinet ratio allegata in responso *in Bergomen.*: « cum officium sit ad libitum »,

(1) Addi debet tanquam impediens feria seu sabbatum in quo secundum rubricas sit reponendum Officium Dominicæ. *(Decr. gen. 20 martii 1706).*

(2) Vide *Collect Epist. Pastor.*, VII, p. 122.

nec illa data in dubio *in Strigonien.* « quia officium est votivum », et consequenter, cum ritus sit duplex, prohibentur missæ *de Requie* quotidianæ sicuti in festis duplicibus (1). Ita salvo meliori judicio.

H. V. D. W.

Pensions de vieillesse

Loi du 10 Mai 1900. — Interprétation de l'art. 2.

Les agents de l'État sont-ils admis au bénéfice des primes d'encouragement accordées par la loi du 10 Mai 1900? — Les instituteurs communaux sont-ils agents de l'État?

Voici, d'après les documents officiels, la réponse à ces questions :

1° Le dernier alinéa de l'article 2 est libellé comme suit : « Les agents de l'État qui ont droit à une pension de retraite en vertu des lois et règlements qui les régissent, ne peuvent prétendre aux primes d'encouragement, même s'ils se trouvent dans les conditions prévues à l'article précédent. » — Au cours des discussions parlementaires (2) le Gouvernement a établi une distinction, qu'il a consacrée dans la suite :

a/ Les agents de l'État *qui n'ont pas droit à une pension de retraite* en vertu des lois et règlements qui les régissent, mais dont les pensions éventuelles sont fournies par des Caisses spéciales alimentées au moyen de retenues sur les salaires, sont admis au bénéfice des

(1) Cfr. *Nouv. Revue Théol.* tom. XXV, p. 168 in nota ; Ill. Van der Stappen *De rubricis Breviarii,* q. 150.

(2) *Ann. parlem.* Ch. des Représ. 1899-1900, p. 1364, 1367.

primes d'encouragement accordées par la loi du 10 Mai 1900 et sous les conditions déterminées par cette loi. Tels sont les ouvriers du chemin de fer de l'État. Désormais, grâce au système du livret individuel ces agents ne seront plus obligés, pour avoir droit à une pension de retraite, de rester au service de l'État jusqu'à l'âge fixé par les règlements. Rien n'empêche d'ailleurs ces agents d'effectuer de leurs propres deniers des versements sur leur livret au delà des retenues imposées. Ces versements supplémentaires peuvent être faits directement à la Caisse de Retraite ou bien par l'intermédiaire d'une mutualité.

b/ D'autre part, *les agents auxquels l'État accorde une pension sans qu'ils aient à fournir aucune contribution pour la constituer*, ne pourront plus prétendre à l'avenir aux primes d'encouragement, même si, avant le vote de la loi, ils faisaient partie d'une société mutualiste reconnue. Tels sont : les facteurs et commis des postes ; les gardes-convois, les chefs de station, les agréés dans les stations, les douaniers, les accisiens, les éclusiers, les pontonniers et les gendarmes.

Ces personnes néanmoins jouiront, à l'âge fixé pour l'entrée en jouissance, des rentes acquises au moyen des sommes versées et des primes qui leur auront été allouées. Elles pourront continuer à verser à la Caisse de retraite, et leurs versements, s'ils sont effectués par l'intermédiaire d'une société mutualiste reconnue, seront pris en considération pour l'allocation de la subvention annuelle de deux francs prévue à l'article 12 de la loi du 10 mai 1900.

Notons que les femmes et les enfants des agents de l'État ne sont jamais exclus du bénéfice des primes d'encouragement à raison de la fonction exercée par le chef de famille.

2° Les instituteurs et les professeurs communaux, les secrétaires communaux ne sont pas compris sous la dénomination « agents de l'État », et dès lors ils ne

sont pas atteints par l'exclusion établie à l'article 2 aliéna final, de la loi du 10 mai 1900. Comme tous les fonctionnaires communaux, ils sont donc admis au bénéfice des primes d'encouragement sous les conditions déterminées par la loi précitée.

A. C.

Allocation annuelle de 65 francs

Interprétation de l'art. 4 de l'arrêté royal du 20 Octobre 1900.

—

Dans notre commentaire de l'arrêté royal du 20 Octobre 1900 (*Collat.* 1901 p. 61 ss.), nous avons émis (pp. 68 s.), relativement à la condition d'âge des bénéficiaires de l'allocation de 65 francs, une opinion basée sur l'interprétation unanime donnée par les jurisconsultes à l'article 388 du Code Civil. Suivant cette opinion autorisée (1) les personnes nées le 1r janvier 1836 ont eu au 1r janvier 1901, 65 ans accomplis; elles auraient donc pu jouir de l'allocation annuelle dès l'année 1901. — De même, les personnes nées le 1r janvier 1843 ou le 1r janvier 1846 ont eu, au 1r janvier 1901, respectivement 58 ans et 55 ans accomplis. Par conséquent les intéressés réunissant les conditions requises par l'arrêté royal du 20 Octobre 1900 et nés le 1r janvier 1843 n'auraient pas dû, pour pouvoir jouir de l'allocation à partir du 1r janvier 1909, effectuer à la Caisse de Retraite des versements s'élevant au moins à 3 francs par an et formant un total de 18 francs (art. 4 al. 4). Les intéressés nés le 1r janvier 1846 auraient pu jouir

(1) Admise également par l'excellente revue *Het vlaamsch Bestuur* 1900, p. 342 s.

de l'allocation à partir du 1r janvier 1912 à la condition d'effectuer le versement minimum de 18 francs.

Or, M. le Ministre de l'Industrie et du Travail n'a pas admis, dans l'espèce, cette opinion, comme il résulte de la circulaire qu'il a adressée le 17 juillet dernier aux Gouverneurs de province. Voici cette circulaire :

Monsieur le Gouverneur,

Il m'a été demandé si les personnes nées le 1er janvier 1836 peuvent être admises cette année au bénéfice de l'allocation de 65 francs prévue par l'article 9 de la loi du 10 mai 1900 sur les pensions de vieillesse.

J'ai l'honneur de vous faire savoir que la condition relative à l'âge doit exister avant le 1er janvier de l'année pendant laquelle les intéressés pourront commencer à jouir de la dite allocation. Cette interprétation est conforme à l'intention du législateur. Elle résulte d'ailleurs de l'article 4, 3e alinéa, de l'arrêté royal du 20 octobre dernier qui stipule que les travailleurs seront admis à jouir de l'allocation de 65 francs à partir du 1er janvier qui suivra la date où ils auront atteint l'âge de 65 ans.

Les intéressés doivent donc être nés avant le 1er janvier 1836 pour pouvoir jouir, cette année, de l'avantage accordé par l'article 9 précité. De même, on ne doit considérer comme ayant atteint, au 1er janvier 1901, l'âge de 58 ou 55 ans accomplis que les personnes nées respectivement avant le 1er janvier 1843 ou le 1er janvier 1846.

Le Ministre,
Bon Surmont de Volsberghe.

Les intéressés nés le 1r janvier 1843 ne pourront donc jouir de l'allocation à partir du 1r janvier 1909, qu'à la condition d'effectuer les versements prévus à l'article 4 al. 4. Les personnes nées le 1r janvier 1846 ne pourront être admises au bénéfice de l'allocation annuelle de 65 francs.

A. C.

Ex S. Congregat. Indulgentiarum

I. Decretum — De Guatemala.

De piis operibus Sodalibus Confr. Beatæ Mariæ Virginis a Monte Carmelo ad assequendum privilegium sabbatinum injunctis.

Archiepiscopus de Guatemala huic S. Congregationi Indulgentiarum sequentia dubia dirimenda proponit, quæ ad pia quædam opera referuntur a Confratribus B. Mariæ Virginis a Monte Carmelo præstanda, in eum finem ut privilegio, quod nuncupatur *Sabbatinum,* perfruantur:

I. *Estne necessarium ut Confratres B. Mariæ Virginis a Monte Carmelo recitent parvum officium prouti extat in Breviario romano, etsi major pars populi linguam latinam penitus ignoret?*

II. *Ii Confratres qui legere nesciunt, et ideo loco recitandi parvum officium B. Mariæ Virginis servare tenentur abstinentiam feria IV, et die Sabbati, tenentur quoque eam servare feria VI, uti reapse tenentur fideles non americani latini?*

III. *Tenenturne pariter servare omnia jejunia Ecclesiæ universalis, quin gaudere valeant amplissima dispensatione nuper data degentibus in America latina ex decreto S. Congregationis Neg. EE. EE. die 6 Juli 1900?*

Et E^{mi} Patres in Palatio Vaticano coadunati propositis dubiis die 11 Junii 1901 respondendum mandarunt:

Ad I^{um}. *Affirmative, nisi quis pertineat ad ritum a S. Sede approbatum, qui alia lingua utatur, juxta Decretum hujus S. C. diei 18 Augusti 1868; sed supplicandum SS^{mo}, ut in privata recitatione vulgari lingua uti liceat.*

Ad II^{um}. *Negative, ad effectum fruendi privilegio Sabbatino.*

Ad III^{um}. *Supplicandum SS^{mo}, ut Confratres B. Mariæ Virginis a Monte Carmelo, quod attinet ad jejunia, uti valeant indulto diœcesano, facta Confessariis facultate commutandi singulis petentibus abstinentam feriæ IV et Sabbati in alia opera; atque utrumque valere pro omni regione declarare dignetur. Contrariis quibuscumque, ac præsertim Capuana 3 Decembris 1892, minime obstantibus.*

De quibus facta relatione SS^{mo} D^{no} Nostro Leoni Pp. XIII

in audientia habita ab infrascripto Cardinali Præfecto die 14 Junii 1901, Sanctitas Sua E^morum^ Patrum resolutiones ratas habuit et confirmavit, et benigne annuere precibus in dubio I et III expressis dignata est.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 14 Junii 1901.

S. Card. CRETONI, *Præfectus.*

L. ✠ S.

FRANCISCUS SOGARO Archiep. Amiden., *Secret.*

Adnotanda.

De privilegio Sabbatino, quod juxta piam traditionem a B. Maria Virgine revelatum est Romano Pontifici Joanni XXII, et a pluribus Pontificibus approbatum, S. Rom. et Universalis Inquisitio sub Paulo V, die 20 Januarii 1613, dedit sequens decretum quod reassumptum fuit in authentico *Summario indulgentiarum et gratiarum confratribus B. V. Mariæ de Monte Carmelo concessarum:*

« Patribus Carmelitanis permittitur prædicare quod populus christianus possit pie credere de adjutorio animarum fratrum et confratrum Sodalitatis Beatissimæ Virginis de Monte Carmelo, videlicet Beatissimam Virginem animas fratrum et confratrum in caritate decedentium, *qui in vita habitum gestaverint et castitatem pro suo statu coluerint, officiumque parvum recitaverint, vel si recitare nesciant, Ecclesiæ jejunia observaverint, et feria quarta et Sabbato a carnibus abstinuerint (nisi iis diebus Nativitatis Domini festum inciderit),* suis intercessionibus continuis, piisque suffragiis et meritis ac speciali protectione, post eorum transitum, præcipue in die Sabbati, qui dies ab Ecclesia eidem Beatissimæ Virgini dicatus est, adjuturam » (1).

Juxta illud decretum, ut quis privilegio Sabbatino, frui queat, requiritur imprimis ut in charitate decesserit

(1) J. SCHNEIDER, *Rescripta authentica S. C. Indulg.*, p. 475.

et ut in vita habitum seu scapulare B. Mariæ Virginis a Monte Carmelo debito modo gestaverit adeoque servaverit ea omnia quæ communiter omnibus hujus sodalitatis confratribus injunguntur.

Insuper requiruntur duæ conditiones speciales, ut nempe: 1/ castitatem pro suo statu coluerit, quo tamen præscripto non prohibetur legitimum contrahere matrimonium; 2/ si legere sciat, quotidie recitaverit parvum Officium B. Mariæ Virginis; si vero legere nesciat servaverit jejunia ab Ecclesia præscripta et insuper abstinentiam a carnibus singulis feriis quartis et Sabbato.

De prima conditione non est hic nobis agendum. De altera vero imprimis notandum est eam non esse alternativam pro singulorum lubitu: qui enim legere sciunt non possunt « proprio arbitrio eligere inter recitationem quotidianam parvi officii et abstinentiam a carnibus... sed tenentur exclusive ad prædictam officii recitationem » (S. C. Indulg. 3 Decemb. 1892, ad 1m).

I. Circa recitationem parvi officii B. M. V. notare juvat:

1/ Illi qui jam tenentur ad recitationem divini « officii » (1) aut aliunde obligantur ad recitandum parvum officium (2), eo ipso satisfaciunt præfatæ conditioni.

2/ Illud officium recitandum est « quotidie », non juxta formam aliquam auctoritate episcopali compositam ad instar officii Romani, sed « nisi quis habeat proprium ritum a S. Sede approbatum, » « juxta ritum Romanum », prout exstat in Breviario Romano, ubi illud officium complectitur non tria nocturna sed « nocturnum diei cum laudibus et cæteras horas ejusdem officii » (3).

3/ Juxta has decisiones debebat recitari lingua latina,

---

(1) S. Congr. Ind., 18 Aug. 1868, ad 1m, ap. *Decr. Auth.*, n. 419.

(2) Cf. R. P. Brocard de S. Thérèse. *Recueil d'instructions sur la dévotion* au S. Scapulaire, Gand 1875, p. 480.

(3) S. C. Indulg., 18 Aug. 1860 ad 2m, 3m, 4m.

etiam ab iis qui hujusce linguæ penitus sunt ignari. Hanc autem disciplinam mitigat summus Pontifex Leo XIII, responso ad 1m benigne *indulgens ut lingua vulgari uti liceat sed pro recitatione privata tantum.*

II. Circa observationem jejunii et abstinentiæ, animadvertatur eam esse opus recitationi officii subrogatum in favorem confratrum qui legere nesciunt. Quum autem observantia jejuniorum et abstinentiæ ab Ecclesia universim præscriptorum urgeat omnes fideles et proinde etiam Confratres qui legere scientes jam tenentur ad recitationem parvi officii, sponte sequi videtur opus proprie et formaliter præfatæ recitationi subrogatum esse tantum abstinentiam supererogatoriam feriæ IV et sabbati. Proinde ad abstinentias et jejunia ab Ecclesia præscripta non tenentur, ad effectum fruendi privilegio Sabbatino, obligatione speciali sed tantum obligatione communi qua adstringuntur ceteri fideles.

Hic est conceptus fundamentalis juxta quem præsens decretum mutavit et mitigavit disciplinam declaratam olim decreto S. C. Indulg., *in Capuana*, diei 3 Decemb. 1892, ad III et IV:

III. Qui hanc abstinentiam ad prædictum finem observant, possuntne uti indulto Bullæ Cruciatæ, ita ut liceat ipsis mitigare juxta hoc indultum rigorem abstinentiæ vel in quacumque feria IV, vel in vigiliis aliisque diebus prohibitis, quin amittant jus ad privilegium Sabbatinum?

Resp. *Negative.*

IV. Possuntne iidem, quin præfatum privilegium amittant, uti indulto seu dispensatione, quæ tempore Quadragesimæ concedi solet ad carnes comedendas?

Resp. *Negative.*

Nunc autem 1° **in responso ad 2m** declaratur confratres non teneri ad servandam *abstinentiam feriæ VI* ad effectum fruendi privilegio Sabbatino. Possunt igitur frui omnibus relaxationibus vel dispensationibus quæ ceteris fidelibus concedi solent.

2° Quod attinet ad *jejunia ab Ecclesia præscripta*, **vi**

responsi ad 3m indulto diœcesano quod tempore Quadragesimæ concedi solet, uti valent, quin indigeant *speciali* dispensatione vel commutatione.

3° Tandem si frui velint præfato privilegio, manet ipsis obligatio servandi *abstinentiam feriæ IV et Sabbati,* non obstantibus indulto quadragesimali vel alia dispensatione communi. Possunt tamen singuli obtinere commutationem hujus obligationis.

Olim autem hujusmodi commutationem concedere valebant ii tantum confessarii qui ad hoc *specialem* facultatem obtinuerant. Nunc vero, præsenti decreto **ad 3m** benigne concedit Summus Pontifex Leo XIII « *confessariis facultatem commutandi singulis petentibus abstinentiam feriæ IV et Sabbati in alia opera.* » Et non agitur de indulto locali oratori concesso, sed de indulto generali quod valet « *pro omni regione* ».

Ergo jam non requiritur facultas specialiter delegata a Superioribus Ordinis Carmelitarum. Nam facultas conceditur « *confessariis* » sine ullo addito; si specialis delegatio adhuc necessaria esset, inutilis evaderet benigna concessio Pontificia, siquidem confessarii specialiter delegati antea jam idem valebant.

Ad pleniorem hujus decreti intelligentiam notare juvat a S. Congr. *super negotiis eccl. extraordinariis,* die 6 Jul. 1899 concessum fuisse, in favorem fidelium in America Latina degentium, indultum vi cujus possunt singuli fideles qui eas petunt, obtinere amplissimas in lege jejunii et abstinentiæ dispensationes. (1) Illud indultum ab eadem S. Congregatione authentice declaratum fuit die 8 Mart. 1901. (2) Hæc disciplinæ mitigatio occasio exstitit cur Reverendmus Orator dubia 2m et 3m proponeret, et probabilius movit ipsam S. Congregationem ut etiam pro sodalibus B. M. V. a Monte Carmelo disciplinam mutato decreto 3 Dec. 1892 moderaretur.

C. C.

---

(1) Cf. *Anal. Ecclesiast.*, 1899, p. 368.
(2) Cf. *Anal. Ecclesiast.*, 1901, p. 123, sq.

II. Decretum cleric. regularium infirmis ministrantium.

De consensu Ordinarii requisito ad exercendam facultatem benedicendi coronas, cruces etc. cum applicatione indulgentiarum apostolicarum et S. Birgittæ.

Cum in Rescriptis S. Congregationis Indulgent. vel in Brevibus Apostolicis etc., quibus tribuitur facultas benedicendi Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas Statuas ac Numismata, eisdemque Indulgentias Apostolicas et S. Birgittæ adnectendi, clausula apponatur « *de consensu Ordinarii loci* »; circa sensum hujus clausulæ non semel dubitatum est; hinc Præpositus generalis Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium circa ejusdem clausulæ intelligentiam sequentia dubia huic S. Congregationi solvenda proponit:

I. *Utrum hujusmodi consensus ita necessarius retineri debeat, ut, si desit, Indulgentiæ sint omnino invalidæ?*

Et quatenus affirmative:

II. *A quonam Ordinario hujusmodi consensus dari debeat?*

III. *Et si utens hac facultate Romæ commoretur, ubi facultas benedicendi exerceri nequit, sufficeretne consensus Emi Urbis Vicarii aut Vicesgerentis ad benedicendum, an ab alio extra Urbem Ordinario, et a quonam, foret exquirendus?*

Et Emi Patres in Vaticano Palatio coadunati die 11 Junii 1901, propositis dubiis responderunt:

Ad I^{um}. *Detur instructio.*

« Instructio

» 1°. Convenit ut qui facultatem benedicendi Coronas,
» Cruces, Rosaria, Numismata etc. cum applicatione Indul-
» gentiarum Apostolicarum et S. Birgittæ obtinere cupit, si
» sit e clero sæculari litteris commendatitiis proprii Ordi-
» narii munitum supplicem libellum exhibeat, si vero sit
» regularis, Superioris sui Ordinis vel Instituti a S. Sede
» approbati.

» 2°. Ut valide præfata facultas exerceatur opus erit, ut
» Sacerdos ad excipiendas Sacramentales Confessiones, sal-
» tem virorum, sit approbatus.

» 3°. Ad eam facultatem licite exercendam requiritur
» consensus Ordinarii loci in quo quis ea uti velit, firmo

» manente, quoad regulares exemptos, decreto hujus S. C.
» diei 8 Junii 1888. Hic autem consensus optandum ut sit
» expressus; sufficit tamen etiam tacitus vel implicitus, et
» in aliquo casu, quando practice aliter fieri nequeat, suffi-
» cit etiam consensus prudenter præsumptus. »

Ad II^{um}. et III^{um}. *Provisum in I°.*

Et SS^{mus} D^{nus} Noster Leo Papa XIII in audientia habita die 14 Junii 1901 ab infrascripto Cardinali Præfecto resolutiones Emorum Patrum ratas habuit et confirmavit.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 14 Junii 1901.

S. Card. CRETONI, *Præfectus.*

L. † S.

† Franciscus Sogaro *Archiep. Amiden.*, *Secretarius.*

III. Decretum congr. fratrum S. Vincentii a Paulo.

De precibus piisque exercitiis indulgentiis jam ditatis ad sacramentalem pœnitentiam explendam impositis.

Supremus Moderator Fratrum S. Vincentii a Paulo huic Sac. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ humiliter exponit sæpe Confessarios, quo melius spirituali pœnitentium utilitati consulant, preces vel pia exercitia indulgentiis ditata in sacramentali confessione imponere, existimantes uno eodemque actu datum esse pœnitentibus sacramentali pœnitentiæ satisfacere et adnexas precibus vel piis exercitiis indulgentias lucrari. Verum quoad hujusmodi opinionem et praxim non levis sententiarum disparitas exorta est, eo quod nonnulli, innixi Decreto hujus S. C. diei 29 Maii 1841, quo negatur posse per preces jam obligatorias, v. gr. per horas canonicas, satisfieri precibus a Summo Pontifice præscriptis ad lucrandam indulgentiam, contendunt omne prorsus fundamentum prædictæ opinioni et praxi Confessariorum esse sublatum; e contra alii affirmant laudatum Decretum ad rem non facere; in eo siquidem agitur de una vel altera conditione ad lucrandam indulgentiam imposita, non vero de precibus vel piis exercitiis, quæ auc-

toritate Summi Pontificis indulgentias jam secum ferunt, et assumi possunt tanquam Sacramentalis pœnitentia, nisi aliter mens concedentis declaraverit.

Ut itaque omnis ambigendi ratio de medio tollatur, sequens dubium solvendum proponit:

Utrum pœnitens precem aut pium opus indulgentiis ditatum explens, possit simul et pœnitentiæ satisfacere et indulgentias lucrari?

Et E^mi^ Patres in Congregatione Generali ad Vaticanum habita die 11 Junii 1901 rescripserunt:

Affirmative, facto verbo cum SS^mo^.

Quam quidem resolutionem, in audientia habita ab infrascripto Cardinali Præfecto die 14 Junii 1901 relatam, Sanctitas Sua benigne confirmavit.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 14 Junii 1901.

S. Card. CRETONI, *Præfectus.*

L. † S.

† Franciscus Sogaro *Archiep. Amiden., Secretarius.*

IV. Indulgences pour la pratique des trois « Ave Maria ».

LÉON XIII, PAPE.

Pour perpétuelle mémoire. — Notre cher fils Jean-Baptiste de Chémery, de l'Ordre des Frères Mineurs Capucins de Saint François, prédicateur de la Province de Paris, Nous a demandé d'accorder, selon Notre bon plaisir, quelques indulgences partielles, puisées dans le trésor de l'Église, aux fidèles qui réciteraient, matin et soir, quelques oraisons jaculatoires recommandées par plusieurs saints et principalement par saint Alphonse de Liguori.

Accueillant favorablement cette prière, par Notre autorité apostolique, en vertu des présentes, Nous accordons deux cents jours de diminution de leurs peines, dans la forme habituelle de l'Église, à tous et à chacun des fidèles de l'un et de l'autre sexe du monde entier qui, au moins avec un cœur contrit, diront cette prière jaculatoire, en quelque langue que ce soit, pourvu que la version soit fidèle: « *Marie, ma bonne Mère, préservez-moi aujourd'hui du péché mortel* », et

réciteront *trois fois* la *salutation angélique*, le matin et le soir; quelque jour que ce puisse être.

Il est permis aux mêmes fidèles, s'ils le préfèrent, d'expier, par cette indulgence partielle, les taches et les peines des défunts.

Les présentes sont valables *à perpétuité*, en tenant compte cependant de Notre Constitution sur la suspension des indulgences, pendant l'année jubilaire (1).

Nous voulons en outre qu'un exemplaire authentique des présentes lettres soit transmis à la Secrétairerie de la Sacrée Congrégation préposée aux Indulgences et aux Saintes Reliques, sans quoi Nous déclarons nulles les présentes.

Enfin, Nous voulons que les copies ou même les exemplaires imprimés, soussignés par un notaire public et munis du sceau d'une personne constituée en dignité ecclésiastique, aient la même autorité que les présentes si celles-ci étaient produites ou montrées.

Donné à Rome, auprès de Saint-Pierre, sous l'anneau du Pêcheur, le 8 Février 1900. De Notre Pontificat, l'année vingt-deuxième.

Pour le Seigneur Cardinal MACCHI:
Nicolas MARINI, *subst.*

Les présentes lettres apostoliques ont été montrées à cette Sacrée Congrégation préposée aux Indulgences et aux Saintes Reliques.

Donné à Rome, de la Secrétairie de cette même Sacrée Congrégation, le 10 Février 1900.

Pour le R. P. D. ANT., archev. d'ANTINOE, *secrétaire.*
Joseph M. C., *substitut.*

V. CONCEDITUR GENERALIS SANATIO PRO CONFRATERNITATE B. M. VIRG. DE MONTE CARMELO.

Bme Pater,

P. Præpositus Generalis Carmelitarum Discalceatorum ad sacrorum pedum osculum provolutus exponit S. V. non

(1) Cette suspension, on le sait, spéciale au grand Jubilé, n'avait lieu que l'année dernière.

raro contingere ut Christifideles, qui ad Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo admitti postulant, invalide recipiantur, tum ob omissam nominum inscriptionem, tum ob aliam causam. Ne itaque præfati Christifideles gratiis et privilegiis memoratæ Confraternitati concessis inculpatim priventur, Orator S. V. humiliter exorat, quatenus receptiones ad eamdem Confraternitatem, quacumque ex causa, usque ad hanc diem invalide peractas benigne sanare dignetur.

Quod etc.

S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Leone Pp. XIII sibi specialiter tributis, petitam sanationem, ad effectum de quo agitur, benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secria ejusdem S. C. die 3 Julii 1901.

SERAPHINUS Card. CRETONI, *Præf.*

L. † S.

† Franciscus Sogaro, Archiep., Amiden. *Secret.*

Ex Sacra Congregatione Rituum

DUBIORUM.

A quibusdam Kalendariorum redactoribus Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna declaratione reverenter proposita fuerunt; nimirum:

I. Utrum circa Orationes pro Ecclesia et pro Papa id retinendum sit, ut, si altera vi Rubricæ, altera ex præcepto Ordinarii, præscribatur, utraque, prouti de more, in Missa dici debeat?

II. Num *Pater*, *Ave* et *Credo*, post chorale Officium, stantes vel genuflexi recitare debeant chorales, uti stantes vel genuflexi recitare tenentur finalem Antiphonam?

III. Quando alicubi celebratur Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum, hujusmodi festum estne secundarium pro illis Ecclesiis, quæ consecratæ non sunt?

IV.....

V. In festo Expectationis partus B. M. V. quod incidit in feriam IV quatuor temporum, cantandæne sunt duæ Missæ in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, videlicet una de festo et altera de feria, etsi quamdam identitatem habeant, vel tantum canenda est Missa de festo?

VI. Juxta Rubricas speciales Breviarii et Missalis Romani festum Annuntiationis B. M. V. transferendum quoad chorum tantum in feriam II post Dominicam in Albis, tanquam in sedem propriam, non cedit nisi festo primario ejusdem ritus occurrenti, quo in casu in sequentem diem similiter non impeditum transferri debet; quæritur: In hoc postremo casu, concurrente festo primario duplici primæ classis, celebrato dicta feria II, cum festo Annuntiationis B. M. V. recolendo feria III immediate sequenti, de quo festo erunt dicendæ Vesperæ? Et regula, quæ traditur pro enunciato casu, applicandane erit aliis casibus similibus, ex. gr. in concurrentia festi primarii dupl. primæ classis cum festo S. Joseph Sponsi B. M. V., translato juxta Rubricas in sequentem diem 20 Martii vel in feriam IV post Dominicam in Albis?

VII. Concurrente die octava dedicationis propriæ Ecclesiæ dupl. min. cum festo dedicationis Basilicarum Ss. Apost. Petri et Pauli dupl. maj. quomodo ordinandæ erunt Vesperæ?

VIII.....

IX. In primis Vesperis festi dupl. primæ classis, Commemoratio diei octavæ dedicationis propriæ Ecclesiæ, cujus Officium mane persolutum fuit, faciendane est vel omittenda?

X. Privilegium translationis pro juxta Rubricas gaudent festa primaria Ss. Ecclesiæ Doctorum ritus dupl. min. si impedita fuerint, extendine debet ad eorum festa secundaria ejusdem ritus?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicæ, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I, II et III. *Affirmative.*

Ad IV.....

Ad V. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad alteram.

Ad VI. Quoad utramque quæstionem, Vesperæ fiant de festo digniori, cum commemoratione festi dignitate inferioris.

Ad VII. Vesperæ erunt de die octava cum comm. de sequenti.

Ad VIII.....

Ad IX. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Ad X. *Negative.*

Atque ita rescripsit. Die 24 Maii 1901.

D. Card. FERRATA, *Præf.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen. *Secret.*

Adnotationes. Ad III. Cum decreto 12 Septembris 1840 (nº 2814) ad III, Diœcesi Brugensi, pro gratia instar concessionis clero Mechliniensi die 1 Septembris 1838 factæ, concedatur ut propter *uniformitatem obtinendam, ab omnibus*, etiam nulli vel non consecratæ Ecclesiæ adscriptis, Anniversarium Dedicationis omnium ecclesiarum celebretur ut in Cathedrali et civitate Episcopali, ideo *practice* hoc responsum, quo distinguitur inter festum primarium et secundarium, usuvenire non videtur in Diœcesi Brugensi.

Ad VI. In Diœcesi Brugensi servatur decretum tertii concilii Provincialis Mechliniensis anno 1607 celebrati et a Paulo V approbati, quo statuitur pro tota Provincia Mechliniensi, uti tunc temporis erat, quod, in casu quo festum Annuntiationis B. M. V. occurrit in hebdomada majori vel Paschali, illud « celebretur juxta receptam consuetudinem, tam a populo, quam a Clero, feria III post Dominicam in albis (Ill. Van der Stappen *De rubricis Breviarii*, q. 172).

URBIS
DUBIA VARIA.

Apostolicarum Cæremoniarum Magistri sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi humiliter resolvenda proposuerunt; videlicet:

Dubium I. Quid pro *Nocturno talis diei*, quem Subdiaconibus ac Diaconibus ex Pontificali Romano Episcopus Ordinans solet imponere, intelligi debeat?

Dubium II. Utrum Episcopus Ordinans jus habeat injungendi alium a Nocturno diei, quem Pontificale designat?

Dubium III. Quando Festum Sacræ Familiæ concurrit cum alio Festo Beatæ Mariæ Virginis, ex. gr. cum Festo Desponsationis ejusdem, hujus commemoratio facienda ne est; vel omittenda?

Dubium IV. Officia, quæ alicubi conceduntur sub clausulis: *fieri posse, recitari posse etc.* sunt ne præceptiva; an potius votivis assimilantur?

Dubium V. Unde Antiphona et versus simi debeant, quando plures Commemorationes ex eodem Communi sumendæ sint?

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa ac voto Commissionis Liturgicæ audito, respondendum censuit:

Ad I. « Pro *Nocturno talis diei* intelligendus est Nocturnus ferialis, vel primus Festi, aut Dominicæ in Psalterio, prouti Ordinatio in feria, Festo, aut Dominica habita sit ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad IV. « Affirmative, ad primam partem, si acceptata ea fuerint; Negative, ad secundam ».

Ad V. « Quando plures Commemorationes occurrunt faciendæ de eodem Communi (nisi aliter in Breviario notetur) *ad Vesperas*, dictis Antiphona et ℣. de 1 et 2 Vesperis, altera Commemoratio fit per Antiphonam de Laudibus et ℣. ex 2 Nocturno, ultima vero per primam Antiphonam et ℣. ex 3 Nocturno. — *Ad Laudes* vero, dictis Antiphona et ℣. de Laudibus, prima Commemoratio fit per Antiphonam et ℣. de 1 Vesperis, altera vero per Antiphonam de 2 Vesperis et ℣. ex 2 Nocturno, tertia tandem per primam Antiphonam et ℣. 3 Nocturni ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 27 Junii 1899.

LAURETANA

Duo solvuntur dubia.

Hodiernus Ordinator Calendarii pro Clero Basilicæ et Diœcesecos Lauretanæ, de consensu sui R^mi^ Episcopi, Sacræ

Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum :

I. Quarta die infra Octavam et die Octava Nativitatis S. Joannis Baptistæ, debet ne vesperarum hymnus, qui jam in festo dictus est, conjungi cum hymno Matutini sub unica conclusione prout factum est in festo juxta Rubricas Generales tit. XX, num. 3.

II. Hymnus de secundis Vesperis in festo SS. Simonis et Judæ Apostolorum, debet-ne concludi cum Doxologia *Jesu tibi sit gloria*, si in eisdem Vesperis facienda sit Commemoratio Officii Votivi de SSmo Eucharistiæ Sacramento, vel de Immaculata Conceptione B. M. V. crastina die celebrandi ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, ita rescribendum censuit :

Ad Ium Negative.

Ad IIum Affirmative, juxta Rubricas generales Breviarii tit. XX n. 4.

Atque ita rescripsit, die 2 Julii 1901.

D. Card. FERRATA *Præf.*

L. ✠ S.

† D. Panici Arch. Laodicen. *S. R. C. Secret.*

Fabriques d'église

En vertu de l'art. 10 du décret du 30 Déc. 1809, les conseils de fabrique doivent s'assembler en séance ordinaire, le dimanche 6 Octobre prochain.

Dans cette séance il sera procédé, s'il y a lieu, au remplacement des membres décédés, démissionnaires etc. — Ensuite le Conseil pourra délibérer sur tous autres objets qui sont de sa compétence.

*
* *

A l'approche de l'automne, nous croyons utile de

rappeler aux marguilliers la prescription de l'art. 41 du décret de 1809, relative à la visite des bâtiments affectés au service du culte, aux fins d'y faire exécuter les réparations nécessaires. Voir ci-dessus p. 147. — Voir aussi la circulaire du Ministre de la justice du 2 Août 1898 (résumée dans les *Collationes*, T. IV, p. 483), qui signale spécialement à l'attention des marguilliers les mesures à prendre quant à l'écoulement des eaux pluviales aux abords des édifices.

Consultationes

I

Q. Nuperrime, pridie ante nuptiarum solemnia, ad me vicepastorem accessit nupturiens confessionem instituturus, et inter alia exposuit sese carnaliter peccasse cum sorore sponsæ suæ. Ipsum de impedimento ne cogitantem quidem in bona fide reliqui et absolutum dimisi, ac illico opportunam dispensationem a Reverend^mo^ Episcopo impetrandam curavi, quam ipsa eadem die tempestive accepi. De accepta dispensatione monendum esse pœnitentem non putavi, intendens postea ipsi ad confessionem redeunti pœnitentiam injunctam imponere; et ita postridie, nulla facta monitione, contractum est matrimonium in facie Ecclesiæ.

Dubio postmodum oborto, jam quæro utrum in hisce recte me gesserim, et, quatenus negative, quomodo defectui foret occurrendum.

Respondetur.

I/ Recte egit vicepastor consulens ad Episcopum recurrendo pro dispensatione, in supposito quod, salvo sigillo, pœnitentem non potuerit ad parochum remittere; secus enim, cum parochi in diœcesi Brugensi habitualiter subdelegati existant ad dispensandum in

impedimento affinitatis illicitæ, quando omnia parata sunt ad nuptias (1), expedita hujusmodi casus solutio fuisset in recursu ad parochum, ad hunc directo pœnitente in quantum illæso sigillo fieri potuerit.

II/ Minori laude digna est agendi ratio quoad reliqua. Et profectò.

1°/ Dispensatio quidem in diœcesi Brugensi conceditur ab Ordinario in forma gratiosa, adeoque valet quin ulterius fulminetur; atvero requiritur ut cautelæ et signanter pœnitentia, ubi, sicuti hic in casu, præscribitur, oratori nomine Ordinarii dispensantis injungantur et ab eo acceptentur.

Proinde jam ex hoc capite, propter omissionem injungendæ pœnitentiæ, fuit admissus defectus quo et ipse dispensationis valor in dubium vocatur (2).

2°/ Ulterius certo invalida fuit dispensatio *ob defectum acceptationis*.

Revera, ubi agitur de simplici dispensatione (3), ad validum dispensationis usum, requiritur ut acceptetur, formaliter vel æquivalenter, ab una saltem contrahentium parte.

Porro acceptatio adesset æquivalens et ad valorem sufficiens si nupturientes noverint dispensationem esse petitam vel obtentam et ipsi non contradixerint (4); nec

---

(1) Cf. *Collat.*, V, pp. 611-612.

(2) Agitur, apud *Collat.*, V, p. 41, de quæstione utrum ad *valorem* dispensationis debeat *imponi* pœnitentia injungenda; quam quæstionem inabsolutam reliquit S. Pœnitentiaria in duobus responsis allatis supra, hoc tomo, pp. 382-383, cæteroquin urgens ut omnino imponatur pœnitentia, nec ad dispensationem procedatur nisi illa prævie injuncta; simul declarans dispensationis valori non obstare omissum pœnitentiæ adimplementum, neque etiam fictionem in ejusdem acceptatione, quatenus scil. acceptetur pœnitentia sine animo ipsam adimplendi.

(3) Sanatio in radice valet etiam citra ullam partium acceptationem; unde eruitur hanc acceptationem ad valorem dispensationis non requiri essentialiter et insupplebiliter, sed hoc pendere a positiva Ecclesiæ dispensantis voluntate.

(4) Ita si sponsi noverint quidem dispensationem esse petitam sed ignorent eam esse executioni mandatam, illicite quidem contraherent sed validè, modò reipsa concessa fuerit dispensatio et fulminata ubi id

officit ignorantia dispensationis vel defectus acceptationis penes unum ex nupturientibus, etiam ubi impedimentum utramque partem necessario afficit (1), quemadmodum meritò contra De Justis vindicant Sanchez, *De Matrimonio*, l. VIII, Disp. XXVI, n. 6; Giovine, *De Dispensationibus matrimonialibus*, I, consult. 90, p. 147; Théphany, *Traité des Dispenses matrim.*, p. 448.

Quod autem irrita sit dispensatio matrimonialis quando, *utraque parte prorsus inscia*, sollicitatur et executioni mandatur dispensatio *sine ulla ne æquivalenti quidem acceptatione*, principium est tanquam indubium propugnatum. Ita, inter alios, incunctanter docent Sanchez, l. c., collato l. III, Disp. XXXVI, ubi plures citantur Auctores; Salmant., *De Matrim.*, cap. XIV, n. 38; S. Alph., l. VI, n. 1145; Giovine, l. c.; Caillaud, *Manuel des Dispenses*, n. 111, collatis nn. 219 et 381; Van de Burgt, *Tractat. de Dispens. Matrim.*, n. 86-88; Théphany, op. cit., nn. 442 et seqq.; Feye, *De Impedim. matrimon.*, n. 760; Pompen, *Tractat. de Dispens.*, n. 96; Gasparri, *De Matrimonio*, nn. 398 et 414.

Quæ juris principia si casui præsenti applicentur, evidenter est admittenda solutio modò proposita, nec ullatenus dubitandum est de invaliditate dispensationis obtentæ, cum, utraque parte existente penitus inscia, ne umbra quidem acceptationis adfuerit.

3°/ Quomodo in hujusmodi adjunctis debuisset procedere vicepastor ex dictis jam liquet. Nimirum, siquidem certus erat de dispensatione tempestive consequenda, debuisset pœnitentem monere de impedimenti

---

(1) « Dicendum est, ait Sanchez, l. c., l. VIII, Disp. XXVI, n. 6 et 7, quando impedimentum necessario afficit utrumque, ut est consanguinitas vel affinitas, quæ alterum solum afficere nequit, satis esse dispensationem ab altero obtineri vel acceptari, ut prosit etiam alteri ignoranti; quia dispensatio ad necessario connexa extenditur... Quodsi esset impedimentum alterius tantum, eo quod alter solus castitatem voverit, vel ita commune, ut sit prorsus in utroque diversum, uti si uterque castitatem promiserit, necesse est ut ille, qui impedimento affectus est, et si uterque sit, ut uterque illam acceptet ».

existentia et de dispensationis necessitate. Obtenta dispensatio fuisset ante matrimonii celebrationem oratori *communicanda* simul ac clausulæ nomine Ordinarii injungendæ, idque, si opportunum duxerit, *extra actum sacramentalis confessionis* (1), salvo tamen sigillo; cujus cæteroquin violatio facilè poterat vitari petendo licentiam in ipsa confessione, in qua impedimentum est detectum et monitio est facta.

III/ Ulterius nihil remanet nisi ut relinquantur putati conjuges in bona fide. Ex una enim parte inopportune recurreretur ad *simplicem dispensationem*, ad cujus executionem postulatur renovatio consensus cum prævia certioratione alterius partis, quæ certioratio in casu fieri nequit absque infamia compartis; ex alia vero parte posset quidem esse locus *sanationi in radice*, sed, juxta dicta apud *Collat.*, V, p. 414 (2), teste experientia, mens est et praxis S. Pœnitentiariæ ut, in ejusmodi adjunctis, si partes utrimque versantur in bona fide, nec de matrimonii sui nullitate absque gravibus incommodis certiorari possint, in bona fide relinquantur potius quam earum matrimonium in radice sanetur (3).

A. D. S.

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, VI, p. 127, cum nota.

(2) Mira visa est nonnullis hujusmodi praxis S. Sedis et aliter non explicanda quam ob dubium quo adhuc laboret potestas Ecclesia sanandi matrimonium in radice; quod dubium esset ratio cur ea potestate non utatur Ecclesia nisi quando nullum aliud suppetit effugium. Quidquid autem sit de ratione qua nititur jurisprudentia Romana, hæc in dies magis magisque in hunc sensum firmatur; cæteroquin, etiamsi certò sit agnoscenda illa potestas Ecclesiæ, forsitan explicatur præfata praxis ex incertitudine quæ, quotiescumque, insciis partibus, matrimonium sanatur, manet circa consensus matrimonialis perseverantiam, quæ consensus perseverantia conditio est essentialiter requisita pro sanatione in radice; unde pro sanando in radice matrimonio, imponitur, ubi fieri potest, parti nullitatis consciæ consensus iteratio, de se non necessaria, ut saltem ex hac parte de consensus perseverantia constet.

(3) Sufficienter nempe uniformis est praxis S. Pœnitentiariæ ut hujus normam tutò sequi possit parochus vel confessarius, nisi peculiaria præsto sint adjuncta; et sic v. gr. consulendus esset recursus ad sanatio-

II

An in Ecclesia nuper Consecrata, v. gr. initio Septembris, hoc ipso anno Consecrationis celebrari debet Anniversarium Dedicationis omnium ecclesiarum *cum Octava*, Dominica post diem Octavam Omnium Sanctorum, juxta indultum pro reductione festorum in territorio Gallicano, 9 Aprilis 1802, vel an potius ipso hoc anno celebrari debet tantum Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis *sine Octava* (extra civitatem Episcopalem), juxta decretum S. R. C., 19 Septembris 1750 (nº 2409 in nov. edit.)? Ratio dubitandi est: quia nec congruum, nec rationabile videtur celebrare Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ, cum jam non effluxerit moraliter saltem annus a die Consecrationis Ecclesiæ peractæ.

R. Celebranda est Dedicatio omnium Ecclesiarum sub ritu duplici 1 classis *cum Octava*. Sacra enim Congregatio Rituum decreto generali 9 Julii 1895 (nº 3863) ad III, sequentem dedit ordinationem, quam servari mandavit: « Si alicui *Diœcesi* vel Instituto concessum sit Anniversarium Dedicationis Omnium Ecclesiarum uno eodemque die celebrare, *omnes et singuli* de relativo clero, quibus indultum favet, dictum festum semel celebrabunt sub ritu duplici primæ classis cum Octava, sive Ecclesia propria consecrata, *sive benedicta* tantum fuerit, cujuscumque particularis alterius Ecclesiæ Dedicationis festo omisso ». Cum S. C. declaret *omnes et singulos* de relativo clero Diœçeseos, cui concessum est privilegium, debere celebrare *cum Octava* anniversarium illud *generale*, omisso *cujuscumque* particularis alterius

---

nem in radice quando impedimentum matrimonium irritans est *materialiter publicum* licet *formaliter* sit *occultum* et nullitas matrimonii ignoretur; tunc enim, per sanationem in radice pro utroque foro valituram, esset occurrendum eventui possibili quod illud impedimentum materialiter notum etiam formaliter qua tale in notitiam deveniat, de quo casu infra sermo redibit.

Ecclesiæ, v. gr. Cathedralis, Dedicationis festo, et in specie teneri etiam illos quorum Ecclesia propria benedicta tantum est, seu qui nulli adscripti sunt Ecclesiæ *consecratæ* seu dedicatæ, evidenter docet ad idem teneri illos quorum Ecclesia fuit consecrata, quamvis recenter.

H. V. D. W.

---

*
* *

Institutiones Theologiæ dogmaticæ. — Tractatus **de Sacramentis**, Pars I, *De Sacramentis in genere*, *Baptismo*, *Confirmatione*, *Eucharistia* (m. 3,00); et Pars II, *De Pœnitentia*, *Extr. Unctione*, *Ordine*, *Matrimonio* (m. 3,00); Auctore Petro Einig. — Treviris.

Duplex hoc volumen complet seriem Institutionum Theologiæ dogmaticæ, quas notissima cum laude edidit doctissimus professor Trevirensis.

Methodum, quam sequitur laudatus Auctor, expositam reperies apud *Collat.*, tom. V, p. 150 et seq.; ad hunc locum remittimus, ibidem factis encomiis ultro subscribentes, nimiam etiam sobrietatem carpentes partis quæ vocatur *scholastica*.

Ita v. gr. concinniori quam par est, licet nitida tractatione absolvit quæstionem palmarem et fundamentalem de causalitate sacramentorum, (I, 17 et seq.); brevior est adhuc in exponenda reviviscentia sacramentorum (I, p. 23); in explicando modo quo Christus est præsens in Eucharistia (I, p. 158-160); in inquirendo circa materiam et formam Ordinis (II, p. 161-162), etc.

Cæterum propugnat causalitatem *moralem* sacramentorum; circa essentiam sacrificii Missæ amplectitur, I, p. 238 et seq., sententiam Franzelin, quæ tamen minus consonat cum modo præsentiæ quem vindicat pro Christo in SS. Eucharistia; sequitur S. Thomam in controversia circa constitutionem sacramenti Pœni-

tentiæ (II, p. 74 et seq.), quod sacramentum Pœnitentiæ immerito, uti videtur, negat posse fieri validum sed informe (II, p. 82); probabilius censet solam impositionem manuum pertinere ad materiam Ordinis (II, p. 160); ordines autem minores et subdiaconatum opinatur « quasdam esse diaconatus portiones aliis aliisque temporibus et necessitatibus ab eo decerptas, ita ut in fonte suo, scil. in diaconatu, unde veluti rivuli scaturierint, divinæ institutionis atque adeo sacramenta esse merito dici possint, quamvis in se ipsi sacramentalia potius sint quam sacramenta ». Ibidem.

Præterquam quod præstat egregia, simplici simul et accurata forma dicendi, maxime eminet Auctor in vindicandis tum positive tum polemice præcipuis in re sacramentaria dogmatibus, signanter illa quæ magis obnoxia sunt impugnationibus Protestantium; qualia præ cæteris sunt dogmata præsentiæ realis (I, p. 113-137), remissibilitatis peccatorum (II, p. 25-32 et 45-56); qualis est integra doctrina de Indulgentiis, quam præclare evolvit et ampla litteratura antiqua et moderna locupletavit.

Multis igitur nominibus commendandum opus, nec mirum est si unanimi laude illud prosequantur theologi, quotquot invenimus in illud scribentes.

A. D. S.

Le Saint Scapulaire, sauvegarde dans tous les dangers et gage de salut. S'adresser au R. P. Servais, Carme déchaussé, Soignies.

In hoc opusculo, quod commendationis gratia nobis mittitur, auctor anonymus maxime inculcat salutem esse omnino certam omnibus qui decedunt gestantes Scapulare B. Mariæ Virginis a Monte Carmelo: et hoc ita exhibetur quasi nulla alia conditio esset adimplenda, nullum opus præstandum! Ita v. g. legimus: « Com-

ment! pour être assuré d'éviter l'enfer, il suffirait de mourir revêtu de ce simple emblême? Eh oui, mes chers amis, cela suffit » (p. 12). Promissio a B. M. V. facta « sans la moindre restriction » *probatur* tum nude affirmando: « rien n'est mieux prouvé. Ce sont là *des faits* désormais (!) historiques; ils ont résisté victorieusement à la critique la plus méticuleuse et la plus acharnée qui puisse s'imaginer » (p. 7); tum simpliciter narrando, sine ullo authentiæ signo, plura facta quæ vocantur ab auctore « des miracles vrais, parfaitement prouvés » (p. 10).

Opus concluditur commendando periodicum *Chroniques du Carmel* sequenti invitatione: « Tous ceux qui auraient été témoins d'un fait merveilleux attribué au S. Scapulaire sont priés d'en adresser la narration au R. P. Directeur »!

Talia certe non sunt digna quæ a sacerdotibus edantur et spargantur.

C. C.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. VI, pag. 433).

§ IV.

De operatione Dei ad extra secundum varias suas functiones considerata, et primo quidem in ordine naturali.

237. Operatio Dei ad extra, quatenus rem finitam totam quantam primum producit seu actuali existentia donat, dicitur *creatio*, de qua nihil addendum iis quæ tum de operatione Dei ad extra in genere, tum de omnipotentia agentes diximus.

Eadem Dei operatio ad extra, prout rem creatione primo factam totam quantam sustentat et in existendo continet, aliis verbis, eadem efficax voluntas Dei, in quantum rem quam creando vult primum existere, eamdem vult in existendo pergere, dicitur *conservatio*, quæ omnino æque necessaria intelligitur (1) ut existere pergat creatura, ac necessaria est creatio ut primum res fiat seu existere incipiat. Unde hoc sensu conservatio merito dicitur *continuata creatio*, et eadem est cum creatione operatio, sola ratione distincta. « Conservatio rerum a Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis qua dat esse (2). »

Præterea eadem semper efficax voluntas seu operatio Dei ad extra non solum sub diversa ratione est 1° *creans*, 2° *conservans*, sed cum creaturæ vi naturæ sint ut singulæ suo modo operentur, tendant in finem sibi præsti-

(1) Vid. S. Thom., 1, q. 104, art. 1.
(2) Ibid. ad 4m.

tutum, ideoque instructæ sint pro diversa perfectione naturæ propriis viribus, potentiis, facultatibus operandi, eadem, inquam, operatio Dei ad extra est 3° *movens* illas vires ac potentias ad actum, idque simul jam ac creans: non enim intelligitur creatura quæ aliquando, vel ipso initio existentiæ suæ, sit plane immota, quasi frustra existens, sine tendentia in finem (1). Jamvero sicut primum existere sine actu Dei ad extra plane concipi nequit, ita quasi a fortiori nec moveri. Tandem, idem rursus actus Dei ad extra, creans simul ac movens, eadem necessitate intelligitur conservans et creaturam et motum ejus, sicut enim creatura non intelligitur in existendo posse pergere sine conservatione, ita 4° nec motum servare et agere sine *concursu* Dei, qui proin se habet ad motionem Dei, sicut conservatio ad creationem.

Solet a modernis uno nomine *concursus* divini designari tum motio divina, tum cooperatio Dei cum creatura mota vel agente, quamquam melius hæc duo ratione distinguuntur, ut jam intelligitur et porro ex sequentibus magis elucebit. Re vero ipsa, eadem actio Dei ad extra est creatio ac conservatio, creatio ac prima motio, atque rursum conservatio ac concursus, ita ut una eademque sit tota operatio Dei ad extra, de ordine naturæ loquendo, et respectu ejusdem termini.

Ex modo expositis vides merito dicere Petavium agentem de *providentia* Dei (pressius loquendo *gubernatione*, quæ est providentiæ executio): « Verum id esse, quod theologi ac philosophi omnes, paucis exceptis et iis utroque indignis nomine, comprobant, conservare Deum res omnes, hoc est, postquam eas condidit, eadem qua produxit actione fovere ac continere ne in priorem originem hoc est nihilum relabantur et intereant (2). » Et infra: « Ut inter creationem et conservationem, sic inter ambas has et providentiam, discri-

(1) Cf. S. Thomas, I, q. 105, a. 5; et *c. Gent.*, l. III, c. 69.
(2) *De Deo*, lib. VIII, c. VI, n. VI.

men perpusillum est ac τῇ ἐπινοίᾳ sola, id est *ratione* constat. De re quidem ipsa convenit, non posse creatas res, nisi a Deo conserventur atque providentia regantur, tueri se atque consistere (1). »

238. Hæc tamen cave ne præpostere intelligas, quasi respectu quorumcumque terminorum, utut diversæ naturæ ac perfectionis, una eademque sit operatio Dei ad extra quoad effectum, ita ut æqualis perfectionis sint omnia finita, omniaque immediate a Deo continuo creari petant, pariterque sint conservata, et eodem modo ea moveat cumque iis concurrat Deus. Sicut enim creatio, quoad effectum, creaturæ intellectualis longe distat a productione, vel et creatione rei inanimatæ, quantum nempe distat natura intellectualis ab inanimata, ita pariter differt utriusque conservatio, utriusque motio et concursus divinus cum illis, ut mox explicandum est. Neque sic intelligas dicta, quasi respectu unius ejusdemque termini, puta creaturæ intellectualis, ita sit una eademque Dei operatio ad extra, ut indifferenter vocari possit creatio, aut conservatio, aut concursus, siquidem hæc ratione tantum differunt, adeoque et sufficiat rem creari, non vero indigere conservatione, motu et concursu. Quod dicimus hoc est: respectu unius ejusdemque termini cui per se convenit creari, unam esse operationem Dei ad extra, quæ dat primum esse, et hac ratione vocatur creatio; et quæ conservat in esse, quin sit nova operatio, et sic dicitur conservatio; et quæ movet et motum conservat seu cum creatura concurrit, quin sit nova operatio. Unde non negatur necessitas conservationis aut concursus, sed contra asseritur; nec dicitur creatio sufficere, contra, actio eadem, quæ initio creatio vocatur, asseritur post initium existendi protrahi debere, ut conservetur creatura, et simul cum creatione movere debere et porro cum motu concurrere.

---

(1) Ibid., n. VIII. — Similiter S. Augustinus, *De Gen. ad litt.*, lib. IV, c. 12.

Hoc tamen quæri potest, utrum in omni natura finita eadem Dei actio ad extra, non tantum triplicem seu potius quadruplicem functionem suam creandi, conservandi atque movendi ac concurrendi *æquali modo* exerceat, quod supra negabamus, cum explicandi proposito; sed præterea respectu omnis naturæ sive immediate creatæ, sive mediantibus causis secundis productæ, omnes illas functiones exerceat; anvero, respectu quarumdam rerum, præter motionem quæ simul fuit cum prima mundi creatione, nulla nova motio requiratur, et ipse concursus coincidat cum conservatione immediata vel mediata ejusmodi rerum motusque earum.

Utraque quæstio plura nova eaque inexplorata continet, de quibus apud modernos vix aliquid, apud antiquos quædam tantum rara, pretiosa reperies, eaque hac illac dispersa variisque aliis quæstionibus involuta. Quæ quidem maxime theologorum ac philosophorum studio commendamus, pluribus titulis, inter quos duos indigitare juvat, speciatim quidem philosophis naturam et activitatem rerum naturalium penitius indagandam, attentis modernarum scientiarum documentis; theologis vero, propriam rationem operationis divinæ in ordine supernaturali intimius scrutandam, melius perspecto discrimine cum operatione divina in ordine naturæ.

239. Et in priore quidem quæstione quædam satis manifesta sunt. Videlicet non æquali modo se habere actum Dei ad extra, quod creationem et conservationem attinet, respectu cujusvis rei. Id luculenter exponit Cajetanus, in 1, q. 104, art. 2: « Res sunt in duplici ordine: quædam sunt, quibus creari convenit per se, quædam vero quibus convenit per accidens. Per se autem convenire dico, non quod exigant quod creentur, sed quia exigunt quod si fiunt eorum factio sit creatio. Per accidens vero, quæ possunt fieri per creationem et per aliam viam. Ea, quæ per se creantur, a solo Deo conservantur, et in his est necessario verum, quod eadem actio est conservatio et creatio. Tales sunt

substantiæ immateriales et universim ingenerabilia et incorruptibilia. Ea vero quæ per accidens creantur, non oportet a solo Deo conservari et in his conservatio non est creatio. Imaginandum est enim, quod Deus creando bovem, supplet vicem omnium mediarum causarum, quoad hoc quod est dare illi esse: sed statim quod dedit esse, desinit supplere vicem aliarum causarum respectu bovis illius, et faciet unamquamque causam in suo ordine habere influxum super illum, ac si fuisset ab eis productus. Et sic Deus in suo ordine cum aliis causis mediis conservat hunc bovem, quem tamen solus creavit. Et hoc est quod in hac responsione (S. Thomæ, l. c., ad 1m) breviter dicitur,.... quod est verum quoad creata per accidens. »

Ut ergo ea quæ de conservatione mediata modo dicta sunt rite intelligantur et quæ porro in utraque quæstione nostra de quadruplici functione operationis Dei ad extra in ordine naturæ dicenda sunt perspiciantur, ab ipsa rerum productione exordiendum est et res pro diversa sua natura et perfectione sunt distinguendæ.

Igitur primo infimum gradum rerum materialium inanimatarum inspiciamus. Loquemur autem de hisce in hypothesi magis verosimili, in se genuino vocis sensu probabili, Scholasticorum de natura corporum, non quod ex hujus veritate pendere velimus veritatem doctrinæ indubiæ, tum rationis, tum fidei, de creatione, conservatione, concursu divino, sed quod potius, e converso, cum hisce veritatibus certis rationis atque fidei rite explicandis mirum in modum congruere doctrinam scholasticam de natura corporea apparebit, adeo ut hæc doctrina ex illis veritatibus luculenter confirmetur. Præterea ea hic obvia habebimus, e quibus leges naturæ quasdam principes a modernis demonstratas in re physica et chemica, nedum antiquæ doctrinæ repugnare, eidem potius plane consonare mirabimur. — Præmittendæ autem sunt notiones fusiori sermone de natura et activitate corporum.

240. Itaque ponimus substantiam corporalem essentialiter componi ex materia prima et forma substantiali. Materia est subjectum receptivum, pura potentia, quæ in rerum natura absque aliqua forma actuante existere nequit, quæ adeo petit actuari et actuatur a forma; non ita tamen ut aliqua singularis forma perfecte compleat potentiam et capacitatem materiæ, totumque arripiat et contineat ad quod ista mera potentia se extendere potest, siquidem materia prima manet in potentia ad alias innumeras formas (1). Forma est alterum elementum substantiale, quæ, si materialis seu mere corporalis sit, non excedit capacitatem materiæ, sed tota continetur in ea, ut in subjecto, nec nisi in materia realiter existere potest (2); estque principium continens ac determinans materiam, ut hæc, tamquam subjectum, unita cum forma eam determinante, constituat hanc rem completam, hanc substantiam seu speciem corporalem.

Hæc autem specifica substantia materialis, ne frustra sit, oportet propriis viribus et activitate gaudeat. Jamvero: « Agere non est nisi rei per se subsistentis, et ideo neque materia agit, neque forma, sed compositum: quod tamen non agit ratione materiæ, sed ratione formæ, quæ est actus et actionis principium (3). » Alio in loco dicit idem S. Thomas: « Omnis potentia passiva et omnis passio est per materiam et omnis actio per formam (4). » Quod tamen non ita intelligas ac si forma substantialis sit ipsa vis activa corporis, sed quod unita materiæ sit principium virium et activitatis. Neque ita sumas ac si potentia passiva non sit corporis, sed solius materiæ.

---

(1) Cf. S. Thomas, 1, q. 55, art. 1 in corp.

(2) Non ita forma immaterialis, ut est anima intellectiva, licet forma corporis, quæ excedit capacitatem materiæ, et extra ipsam existere potest, cf. S. Thomas, *q. unica de virt. in communi*, supra recit. a nobis in nota (2) numeri 236, hujus tom. pag. 437.

(3) S. Thom., IV, dist. 12, q. 1, a. 1.

(4) In lib. I, *de generatione*, c. 8, lect. 20.

Porro duplex est activitas corporum: altera producit effectus ipsi corpori intrinsecos, altera in alia corpora agit et ab ipsis vicissim patitur, et illa quidem natura prior est hac, quæ sine illa esse non potest. Prior nempe activitas corporalis substantiæ est qua producit sua accidentia. Primum autem accidens est quantitas. Nam « Prima accidentia consequentia substantiam sunt quantitas et qualitas, et hæc proportionantur duobus principiis essentialibus substantiæ, scilicet materiæ et formæ, sed qualitas ex parte formæ. Et quia materia est subjectum primum, quod non est in alio, forma autem est in alio, scilicet materia, ideo magis appropinquat ad hoc, quod est non esse in alio, quantitas, quam qualitas, et per consequens quam alia accidentia (1). » Adeoque primum accidens est quantitas, ut alibi rursum S. Thomas explicat: « Quia primum subjectum est materia, consequens est, quod omnia alia accidentia referantur ad subjectum mediante quantitate dimensiva, sicut et primum subjectum coloris dicitur esse superficies (2). » His positis, statim intelligitur natura prius esse activitatem corporalem producere quantitatem, et reliqua accidentia quæ ea mediante subjecto insunt, quam sese exerere in alia corpora, cum nonnisi per qualitates activas et passivas, quæ mediante quantitate substantiæ corporali insunt, hæc activitas in alia corpora sese exerat. Ubi rursus adverte quod, sicut corpus ratione materiæ capax est patiendi ab aliis corporibus, potius quam agendi in illa, ita quantitas, quæ se habet ex parte materiæ, non dat ipsi activitatem sed potius capacitatem subeundi influxum aliorum activitatis. « Quia quantitas se tenet ex parte materiæ et qualitas ex parte formæ, ideo quantitas non agit nisi mediante qualitate, quæ est actionis principium (3). » Ubi bene dicit S. Doctor: « quantitas non

(1) In IV, dist. XII, q. 1, a. 1, sol. 3, ad 1.
(2) Summa, p. III, q. 77, a. 2.
(3) S. Thomas, in lib. IV, dist. XII, q. 1, a. 2, sol. 1.

agit, nisi mediante qualitate », quia natura prior est quantitas quam sit qualitas, et revera non agit corpus in aliud corpus, nisi prius sit quantum, nam corpora in invicem agunt per contactum, qui profecto non est sine quantitate (1).

Generatim addamus quæ imperfectionis sunt in rebus materialibus se habere ex parte materiæ, quæ vero eas ad immaterialium perfectiores proprietates accedere faciunt, se habere ex parte formæ: et sic imperfectus existendi modus et quasi dispersio in spatio ex parte materiæ est, cohæsio vero et unitas ex parte formæ, ut corpora organica luculenter ostendunt.

241. Sed jam priorem illam corporis activitatem, qua sua accidentia et primo quidem quantitatem producit, in specie consideremus. Sicut formæ est dare actum, ita forma intelligitur principium activitatis (2), non quidem seorsim, ut patet, a materia, sed prout est in materia, tamquam in subjecto, sine quo subsistere nequit. Prima igitur activitas corporum nobis concipienda videtur ut energia quædam ab ipso composito substantiali non distincta, et utriusque elementi compositum componentis naturam referens, scilicet tamquam vis quædam expansionis et potius passiva, quasi a parte materiæ, quæ est potentia et appetitus ad formam quamcumque, et tamquam vis continentiæ et contractionis, activa, quasi a parte formæ, cujus est continere et determinare atque actuare materiam. Immediatus autem effectus hujusmodi energiæ, corpori intrinsecus, est energema quoddam, quasi impulsus, rursum naturam suæ causæ referens, scilicet impulsus expansivus simul et contractivus, quem vocare possumus quantitatem intrinsecam, omni corpori essentialem, quæ alia non est quam naturalis exigentia corporis ad habendas partes extra partes et ad esse dimensive quantum. Hæc

(1) V. S. Thom., I, q. 115, a. 1.
(2) S. Thomas, ibidem.

etenim quantitas intrinseca naturaliter petit se explicare et, nisi divinitus impediatur, quemadmodum fit de corpore Christi in Eucharistia, natura sua se extendit in spatio seu transit in quantitatem empiricam, dimensivam, quod est primum accidens et subjectum cæterorum. Porro quantitas dimensiva, quæ proprie quantitas dicitur, cum sit effectus, corpori quidem intrinsecus, a substantia vero corporali distinctus, potest, etiam desinente substantia, præter naturam a Deo conservari, ut rursum id videmus in Eucharistia contingere cum speciebus panis et vini.

242. Breviter descripta activitate corporis, qua in ipso corpore producuntur accidentia, quæque natura prior est, ut jam vidimus, omni activitate in alia corpora, jam de hac altera verbulum addamus.

Itaque ponimus corpus propria quantitate sua dimensiva instructum. Quod quidem ex dictis omnino requiritur ut possit in aliud corpus agere et ab eo pati; et confirmari potest exemplo corporis Christi in Eucharistia, quod quantitate empirica carens, revera qua tale, nisi nova derogatione legibus naturæ, nec agere potest in corpora reliqua, neque ab iis quidquam pati. E converso, quantitas cum reliquis accidentibus, desinente substantia, a Deo servata manent subjectum passionis et actionis respectu aliorum corporum, ita tamen ut, statim ac influxus receptus aut exercitus substantialem mutationem importat, et ipsa simul accidentia corrumpantur et substantia eis respondens eisdem denuo subsit, quæ quidem ipsa tandem est principium activitatis et potentia passiva, mediante quantitate, in qua subjectantur qualitates activæ et passivæ, ut diximus. Itaque energia substantialis ab ipso composito non distincta, quam supra descripsimus, producta quantitate, quæ se habet quasi ex parte materiæ, et in quantitate productis cæteris accidentibus seu qualitatibus, quæ se habent ex parte formæ, jam per quantitatem sumpto contactu cum alio corpore quanto, per qualita-

tes agere potest in illud corpus et ab eo vicissim pati; agit autem secundum quod est in actu, ex parte formæ et qualitatibus activis, in aliud corpus, secundum quod est in potentia, ex parte materiæ et qualitatibus passivis seu receptivis (1).

243. Antequam pergamus, necesse est pressius definire quantitatem, ne conceptus erronei exurgant. Quantitas dimensiva, de qua loquimur, intelligitur quantitas continua, non discreta, ita ut corpus seu substantia quanta sit totum continuum, habens quidem partes distinctas in potentia, non vero in actu, non discretas etsi contiguas, ut in tôto contiguo; multo minus separatas, sicut in rerum natura corpora existunt in loco reipsa separatis intervallo eorum moleculis; hæc extensio, sicut et totum mere contiguum potius sunt aggregatio rerum extensarum, quam substantia secundum se extensa seu quanta. Unde ne confundas corporis quantitatem cum ejus volumine.

Quantitas hic intelligitur vere continua quæque singulis moleculis alicujus substantiæ materialis seu ultimis et minimis hujus particulis est propria. Etenim unaquæque substantia materialis habet suam determinatam quantitatem, quod mirum non est, siquidem qualis natura, talis activitas, et talis proprius effectus: est autem quantitas effectus activitatis substantialis, a composito substantiali non distinctæ, quamvis se habeat potius ex parte materiæ, quam ex parte formæ. « Etsi prima materia, *ait S. Thomas* (2), prout in se consideratur, nullam quantitatem habeat, non tamen sequitur quod sit in potentia respectu cujuslibet quantitatis imaginabilis. Cum enim quantitates determinatæ et omnia alia accidentia secundum exigentiam formæ materiam recipiant, eo quod subjecta materia cum forma est causa eorum quæ insunt,.... oportet quod materia

(1) Cf. S. Thomas, I, q. 115, a. 1.
(2) In lib. II, dist. 30, q. 2, a. 1.

prima ad nullam quantitatem sit in potentia, nisi quæ competat formæ naturali, quæ in materia esse potest. »

Ex his etiam intelliges quomodo, quamvis merito admittendum videatur spatium esse divisibile in infinitum, adeoque et corpus mathematicum seu quodcumque extensum seu quantum continuum qua tale esse eodem modo divisibile, nihilominus substantia materiàlis quanta, seu corpus physicum non sit divisibile in infinitum. Ita concinne S. Thomas : « Etsi corpora mathematica possint in infinitum dividi, corpora tamen naturalia ad certum terminum dividuntur ; cum unicuique formæ determinetur quantitas secundum naturam, sicut et alia accidentia. Unde nec rarefactio in infinitum esse potest, sed usque ad terminum certum (1). »

Et alio in loco (2): « Corpus mathematicum est divisibile in infinitum, in quo consideratur sola ratio quantitatis, in qua nihil est repugnans divisioni infinitæ. Sed corpus naturale, quod consideratur sub tota forma, non potest in infinitum dividi ; quia, quando jam ad minimum deducitur, statim propter debilitatem virtutis convertitur in aliud. »

244. Eadem modo definita quantitas subjectum est qualitatum, tum passivarum quæ se habent potius ex parte materiæ, tum activarum ex parte formæ. Inter priores est impenetrabilitas, qua scilicet corpus in eodem spatii loco esse nequit cum alio corpore: si enim abstrahamus a quantitate, substantia materialis ex propria notione non repugnat præsentiæ in loco ad modum spiritus ; sicut reipsa corpus Christi in Eucharistia, quantitate empirica exutum, sub speciebus est totum sub totis et totum sub singulis partibus ; adeoque nec repugnat substantias materiales, præcisa quantitate, invicem compenetrare et idem occupare spatium, sicut spiritibus licet.

Alia hujusmodi qualitas est quam inertiam vocant,

---

(1) *De Pot.*, q. 4. a. 1, ad 5.
(2) *De sensu et sensato*, lect. 15.

quam quidem concipere oportet non ut mere negativam, qua nec statum quietis nec motum suum se ipso corpus immutare potest, sed etiam modo positivo ut resistentiam passivam, qua impulsum ab alio acceptum, pro mensura suæ molis seu quantitatis, quam moderni massam vocant (1), minuit seu reducit.

Addamus unam adhuc qualitatem, quam nomine relativo moderni affinitatem chemicam appellant, quod quidem nomen relativum duas qualitates significat: activam seu summam aliquarum activarum qualitatum unius substantiæ affinis, et passivam seu summam passivarum alterius affinis. Sicut supra diximus unicuique substantiæ esse quantitatem propriam, ita facile intelligitur in materia sub tali determinata forma, cum tali quantitate, esse propriam quamdam dispositionem ad recipiendam certam aliam formam, hanc potius quam alteram, sumpto contactu cum alio corpore, cujus materia est sub sua forma contrarie disposita ad materiam prioris, quæ dispositio utraque, contraria ad invicem, perfecte respondet qualitatibus passivis unius, respectu qualitatum activarum alterius, et vicissim. Hac dispositione mutua posita, tum influxu illorum corporum in invicem per dictas qualitates, tum addito plerumque influxu causarum extrinsecarum, educitur e potentia materiæ nova forma mixti (intellige: perfecti, *combinaison*) quæ succedit utrique formæ illorum corporum, quæ elementaria fuisse ponimus. Sub illa forma erit in novo corpore quantitas propria, æquivalens tamen utrique quantitati elementorum, et in ea qualitates novæ, propriæ, mediæ inter qualitates extremas utriusque elementi; easque diversas in diversis, pro diversis elementis et pro diversa proportione mixtionis (2). Hoc sensu manent in mixto formæ elementorum, non actu videlicet sed virtute, sicut forma vege-

(1) Lege *Revue Néo-Scolactique*, février 1901, *La définition de la masse* par P. Nys.

(2) De his lege S. Thomam, in l. I *de generatione*, c. XI, lect. 24; et Scot., in l. II, dist. XV, q. unica.

talis continetur virtute in animali, quæ quidem virtualis remansio se manifestat per qualitates activas et passivas mixti. In hunc sensum accipimus quæ habet S. Thomas (1): « In generatione mixti non fit spoliatio simplicium usque ad materiam primam; aliter virtutes simplicium non manerent in mixto, nunc autem manent; unde non est corruptio simpliciter, per quam fit generatio compositi, cum elementa non corrumpantur penitus..... quia eorum est mixtio, quorum est separatio: non enim miscentur, nisi quæ apta sunt per se existere. »

Apertius forte loquitur S. Doctor, eodem in loco dicens: « In mixto manent formæ miscibilium secundum virtutem: virtus autem ad actum pertinet, et ideo in mixto est unde agatur ad generationem alterius miscibilium, secundum quod virtus unius miscibilis vincit proportionem, in qua salvatur forma mixti, unde corrupto mixto generatur corpus simplex. »

Inde habes, e converso, quodsi de solutione compositi agatur, hoc compositum seu mixtum penitus corrumpi, ut elementa generentur, vel ex iis cum novo quodam tertio, aliud mixtum vel alia mixta exurgant (2).

---

(1) *De natura materiæ,* cap. 8.

(2) Hæc omnia de actione corporali modo exposita nullatenus pugnare putamus cum legibus combinationis chemicæ, ut ajunt, quas moderni detexerunt, dummodo vera notio quantitatis explicata bene teneatur et porro reliqua non pervertantur. Ita notatim opinamur de lege detecta a Proust, quam *definitarum proportionum* vocant, de lege quam detexit Dalton, *proportionum multiplicium* dicta, de lege a Richter explicata quæ vocatur *loi des nombres proportionnels*, et generatim de tota theoria ponderum mixtionis elementorum, *poids de combinaison des éléments*. Ulterius autem his insistere hic locus non est, utilitate tamen et jucunditate plena res esset concordiam antiquæ philosophiæ cum modernis inventis certis exponere, quam philosophorum studiis commendamus. — Præterea videbimus infra alias leges insignes magisque universales objecto, miro modo cum antiquis placitis congruere. Tandem, quod ad rem præsentem omnino pertinet, facta quædam generalia in mixtione elementorum rite observata scholasticam theoriam plane confirmant, ut est factum hoc, quod elementa oppositis proprietatibus seu qualitatibus ditata generatim facilius miscentur, et, contra, eo difficilius, quo magis similes vel easdem qualitates possident. Item factum omnino constans relationis inter pondus mixtionis et proprietates elementorum, unde legem statuerunt dictam *la loi périodique des éléments*.

245. Remanet aliquid animadvertendum de qualitatibus activis et passivis; videlicet, eædem præter supra attactas impenetrabilitatis, inertiæ et affinitatis chemicæ (quæ tamen ultima potius summa est quarumdum qualitatum etiam inter nunc enumerandas), fere reduci videntur, quod spectat activitatem corporum in invicem; ad motum, ad calorem ac lucem et ad electricitatem ac magnetismum, ita quidem ut hæc omnia energiam quamdam constituant, quæ variis prædictis modis transformatur, idque certa ac definita quantitate virtutis servata, scilicet certa vi mecanica transeunte in certam quantitatem caloris, et vicissim, itemque de reliquis, et ita ut eadem summa universa energiæ constans in mundo materiali servetur.

Quam veritatem prior in lucem edidit Helmholtz, secundum alios Rankine, vocantque legem conservationis energiæ, de qua infra sermo redibit.

Varii illi modi energiæ in diversis corporibus diversi sunt, et in eodem etiam corpore possunt majus et minus recipere, intendi ac remitti; actione autem mutua corporum in invicem, per eosdem modos aliasque qualitates activas et passivas, contingunt in corporibus transformationes hujusmodi energiæ aliarumque qualitatum, et inde transformationes ipsorum corporum tum accidentales, tum substantiales. Priores sunt objectum modernæ scientiæ physices, posteriores vero chemiæ.

Ubi etiam hoc attende, quod ex supradictis facile intelligitur, scilicet, quod actio corporalis sit per qualitates non obstare quin non solum accidentales sed et substantiales transformationes efficiat et substantias materiales producat. « Qualitates activæ, *ait S. Thomas* (1), in natura agunt in virtute formarum substantialium: et ideo agens naturale non solum producit sibi simile secundum qualitatem sed secundum speciem. »

246. Denique verbulum explicationis idque maximi momenti addendum est circa illud quod diximus in

(1) I, q. 45, a. 8, ad 2.

productione viribus naturæ, alicujus substantiæ materialis, *formam educi e potentia materiæ*. Juxta S. Thomam dictum istud aliud non significat quam *aliquid fieri actu quod prius erat in potentia*. Unde proprie forma non fit, multo minus creatur; sed fit ipsa materialis substantia. Fieri enim ordinatur ad esse, unde illis proprie convenit, quibus convenit esse, quod quidem proprie convenit subsistentibus, sive sint simplicia, sive sint, ut substantiæ materiales, composita (1). Videlicet materia prima, prout est sub hac forma, est tamen in potentia ad alias formas, et disposita quidem seu in proxima potentia ad talem potius quam ad alteram, et qua talis est subjectum quod subest actioni agentis et ab eo præsupponitur, tamquam principium materiale coadjuvans et recipiens ejus actionem. Hæc actio dum, agendo in corpus, corrumpit formam actualem, simul rursumque dependenter a materia, potentiam materiæ alia forma actuat seu ei novam formam infert. Ut res facilius capiatur, fiat comparatio cum eductione formæ accidentalis, seu figuræ in cera; ex qua comparatione clarius intelliges 1° materiam præsupponi productioni novæ substantiæ, sicut cera præsupponitur productioni novæ statuæ; 2° formam proprie non fieri, multo minus creari, sicut nova figura proprie non fit, quasi figura esset terminus actionis independenter a cera, et non ipsa cera figurata; 3° materiam esse subjectum actionis, capax ad diversas formas, prædispositum ad actionem formam hanc inducentis, adeoque ut subjectum concurrere ad inductionem hujus formæ dependenter ab ipso; sicut cera est subjectum actionis artificis, capax ad recipiendam figuram cujusvis, prædispositum tamen ad actionem artificis, tum mollitie simul et consistentia debita, tum propius per figuram rudiorem (ébauche), et ita concurrit ad inductionem hujus figuræ dependenter a se.

(Continuabitur).

---

(1) Cf. S. Thom., I, q. 45, a. 4.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Decembris.

—

I

Breviter explica Ps. IV. *Cum invocarem.*

II

In quo consistit *Sanctitas* Ecclesiæ?

III

Da notionem voluntarii et involuntarii eamque explica.

IV

An et quare conveniunt voluntarium et liberum in re morali?

V

An et quomodo peccat qui ex mera curiositate ritibus cultus acatholici vel concioni hæreticorum interest? Adde rationem.

VI

Quænam missæ solemnes vel cantatæ *de Requie*, præter exequialem, celebrari possunt diebus quibus officium est ritus duplicis?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Augusti-Septembris propositas.

—

I

Q. Explica Gen. XLIX, 8: *Juda, te laudabunt fratres tui! manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. 9. Catulus leonis Juda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti ut leo et quasi leæna, quis suscitabit eum? 10 Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium.*

R. Celebris benedictio Judæ duplicem partem complectitur: celebratur supereminens potentia tribus Judæ (8-10), deinde pulchritudo et fertilitas regionis quam inhabitat (11, 12). Potentiæ autem indicatur tum extensio: ipsi cedunt hostes æque ac fratres (8), tum caracter terribilis: olim prædatus est ut catulus leonis, nunc requiescit ab omnibus reformidatus ut leo (9), tum denique perpetuitas (10).

8. *Juda, te laudabunt fratres tui;* sicut pluries in hac benedictione habetur allusio ad nomen unius alteriusve tribus, ita etiam hic verbum *jadah (laudare)* alludit ad nomen *Jehudah. Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum,* hostes a te devicti fugient sed fugientium cervices apprehendes; *adorabunt te filii patris*, non tantum filii Leæ, fratres tui uterini, sed omnes tribus Israël sese coram te prosternent quatenus te ut ducem et principem suum agnoscent.

9. *Catulus leonis* (fuit) *Juda, ad prædam*, (juxta hebr. *a præda*) *fili mi, ascendisti.* Ordinarie intelligunt: post prædam ascendisti montem ubi habitas, sed quum ver-

bum *alah* etiam significare possit crescere, adolescere et quum videatur opponi catulo leonis (9 a), leo jam adultus (9 b), interpretamur: a præda crevisti (van roof zijt gij grootgeworden).

10. Quum hæc benedictio versibus constet, claritatis et brevitatis gratia sic dividimus textum, addendo signa quibus varias textus partes designamus:

a { α non auferetur sceptrum de Juda
  { β et dux de femore ejus

b { α donec veniat qui mittendus est
  { β et ipse erit expectatio gentium.

Non auferetur (juxta h.: *non recedet*) *sceptrum de Juda et dux de femore ejus.* Vox hebr. *mechoqeq* est ambigua: alii cum omnibus versionibus et Veteribus explicant de legislatore qui non recedet de posteritate ejus; plerique melius reddunt: « et baculus non recedet de pedibus ejus », sicque habetur parallelismus cum voce *sceptrum*. Ad intelligentiam hujus loci notandum est principes tribuum orientalium solitos esse longum quemdam baculum, suæ dignitatis insigne, inter pedes ponere dum throno insidebant.

Famosa est altera pars hujus versiculi, quæ innumeris disputationibus occasio fuit.

Authentia v. 10 a quibusdam (Wellh., Dillm. et aliis) negatur, sive quia existimant ideas messianicas non esse tantæ antiquitatis, sive quia hunc v. logicam successionem interrumpere existimant.

Ad primam rationem respondemus illam non esse nisi præconceptam opinionem; ad alteram vero v. 11 etiam non habere intimum nexum cum v. 9, sed novam exprimere ideam ut videre est in schemate supra dato.

Admissa authentia, mire variant auctores circa textum et sensum v. 10 b α *donec veniat, qui mittendus est* (pro *qui mittendus est* in textu Mass. habetur šiloh, in quibusdam codd. šelloh); variæ sententiæ in omnibus commentariis expositæ legi possunt. Unam tantum proponemus explicationem quæ olim communis fuit et ad quam

plerique recentiores redeunt (1) et in cujus favorem militant gravia argumenta interna. Facilius autem determinabitur si prius genuinam interpretationem 10 b β stabiliamus. *Et ipse erit exspectatio gentium*, ita Vulg. post LXX; sed, uti unanimiter docent interpretes, textus massoreticus verti debet: « et ipsi erit obedientia gentium ». Unde sic ratiocinamur: juxta 10 b β personæ cuidam quæ jam supponitur nota obedient gentes; atqui hæc persona non est Judas nam sceptrum ab eo tunc recedet ut videtur innuere 10 a; ergo 10 b α debet introducere hanc personam quæ principatum geret.

Hujusmodi lectio est šelloh: *(donec veniat) ille cui* (sceptrum pertinet). Exhibet sensum aptissimum; indicat enim cur Judas amittit tunc suum dominium, cur vero nova illa persona illud assumit. Primo intuitu dura videtur ellipsis in qua tum subjectum tum verbum subintelliguntur, sed facile explicatur: ordinarie enim in hebræo hujusmodi verbum subauditur, subjectum autem verbi facile suppletur ex 10 a. Præterea habetur locus quidam maxime parallelus: nam non tantum similis expressio ibi occurrit sed videtur allusio fieri ad nostrum textum, apud Ezech. XXI, 27: *donec veniret cujus est judicium,* litteraliter: ille cui (pertinet) judicium. Tandem illa lectio commendatur testimonio omnium antiquarum versionum Onkelos, targum Hierosol., quorumdam codicum LXX et Symmachi qui habent ᾧ ἀποκεῖται, scil. ut bene vertit versio latina antehieronymiana: donec veniat (ille) cui reposita sunt (sceptrum et baculus).

*
* *

Ex his sequitur caracterem messianicum hujus loci

(1) V. g. Corluy, *Spicilegium,* 1884, I, p. 461 sqq.; Lagrange, *La prophétie de Jacob,* (Revue Biblique, 1898, p. 530, sq.); Gunkel, *Genesis übersetst und erklärt,* 1901, p. 431 sq.

certissimum esse (1); etenim a/ persona illa futura tanquam supereminens describitur : potentissima tribus Juda non gerit principatum ut sibi proprium, sed ut in depositum ipsi commissum; ille vero habet dominium nativo jure; *sceptrum ipsi pertinet.* b/ Universalitas quæ 10 b 6 disertis verbis prædicitur est nota quædam essentialis regni Messianici.

Ex hac doctrina Messianica quæ constans fuit apud Judæos, apud alias vero gentes non reperitur, theologia apologetica validissimum argumentum desumere potest quod sic evolvit Ill. Mignot: « Par un phénomène unique dans l'histoire, ils (Israelitæ) ont tous cru à la perpétuité d'Israël.... Remarquons le bien, cette foi en l'avenir n'est pas le fait de quelques individualités puissantes qu'aucune épreuve ne décourage, c'est celle de toute une école qui a fait partager à la nation entière les espérances les plus invraisemblables.... Jamais Ammon, Moab, Edom, Damas, Tyr, Sidon n'ont rêvé de se survivre ni surtout de grouper autour d'un roi idéal de leur race toutes les nations du monde » (2).

A. D. B.

---

(1) Non negamus probabilitatem aliarum expositionum hujus loci difficilis, modo *personam* quamdam designari affirment, non vero locum vel temporis circumstantiam.

(2) Lettre du 17 Avril 1901 au clergé de son diocèse: *L'apologétique et la critique biblique.* Nolumus tamen cum eodem auctore primum certum indicium hujus doctrinæ quærere apud prophetas canonicos. « Laissant provisoirement de côté le Pentateuque jusqu'à la fin du procès, on reconstruirait la révélation biblique d'après les documents incontestés par les rationalistes eux-mêmes: je veux dire en s'appuyant sur Amos, Osée, Michée, (ibid. p. 43). L'histoire du prophétisme en Israël devra donc servir de base scripturaire à l'apologétique (p. 46) ». Cum sufficiente certitudine probatur caracter Messianicus Gen. XLIX, 10. Ex alia parte in affirmanda summa hujus poëmatis antiquitate omnes critici conveniunt: ita Gunkel existimat illud certe non compositum esse post tempora Salomonis, Lagrange cum plerisque ætatem Judicum assignat, Van Hoonacker, (*Le Sacerdoce lévitique,* 1899, p. 306), originem præmosaïcam defendit.

II

Q. *Da notionem infallibilitatis in docendo, quæ magisterio Ecclesiæ competit, et generatim indica objectum ad quod extenditur.*

R. I/ **Notio** *Infallibilitatis.*

Infallibilitas Ecclesiæ in docendo seu infallibilitas activa est prærogativa qua Ecclesia *necessario immunis existit ab errore in docendo:* est scilicet inerrantia in magisterio non tantum facti sed juris, excludens non modò errorem sed erroris possibilitatem.

Explicatur. Profectò descripta infallibilitas in Ecclesiæ Doctoribus in fide non habetur ex propria natura, utpote intrinsecè fallibili, sed *per participationem*, ex singulari scilicet dono a Deo concesso.

Jamvero non obtinetur infallibilitas per aliquod donum gratiæ, quod *instar habitus intrinsece inhæreat*, sed per *influxum Dei actualem.* « Ratio est, ait Billot, *Tractat. de Ecclesia Christi*, Tom. II, p. 50, quia cum nullus sit habitus qui ad usum sui necessitet, nullus etiam habitus esse potest, quantumvis ad verum et bonum infallibiliter determinatus, qui a defectibili intellectu et voluntate hominum auferat potentiam deflectendi a bono vel deficiendi a vero ».

Ulterius autem inquirendo circa indolem influxus illius divini, inerrantiam in fide determinantis, dicimus dictum influxum esse concipiendum non per modum revelationum (1) sed *per modum simplicis assistentiæ.*

Quæ assistentia « formaliter in ea efficacia Spiritus S^ti^ sita est, qua non aliquid positive per modum revelationis... ponatur in mente docentis, sed qua ita regatur mens docentis, ut id solum certissime tanquam verum

(1) « Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut *eo revelante novam doctrinam patefacerent*, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent ». Conc Vatic., *Constit. dogmat. de Ecclesia Christi*, cap. IV.

apprehendat et proponat quod reapse verum est vereque tenendum ab omnibus. Quæ directio mentis haberi potest tum *negative,* impediendo ne subrepant falsa judicia neve formulæ falsæ adhibeantur; tum *positive* excitando (ad eum modum quo salutares actus excitantur) eas claras apprehensiones et judicia certa quibus verum apprehendatur » (1). Palmieri, *Tractatus de Rom. Pontifice,* p. 594-595; collato Billot, l. c., pp. 49-53; De Brouwer, *Tractat. de Ecclesia*, n. 440.

Hæc igitur assistentia, uti ipsum innuit nomen, non excludit, penes infallibilitatis subjectum, propriam industriam in inquirenda veritate, imo ad *rectum* magisterii usum eam præsupponit: nullatenus tamen privatum illud studium est habendum tanquam conditio sine qua non ad ipsam infallibilitatis prærogativam; adeo ut si v. gr. contingeret Pontificem absque prævio examine in re fidei vel morum ex cathedra loqui, doctrinæ sic definitæ tanquam infallibiliter veræ esset inhærendum.

II/ **Objectum** Infallibilitatis.

Distinguitur *duplex* objectum infallibilitatis:

1°/ *primarium*, quod complectitur veritates fidei vel morum (theoreticas vel practicas (2), *explicite* vel *implicite formaliter* contentas in deposito revelationis. Qua autem ratione doctrina dicatur explicite vel formaliter implicite revelata exponitur suprà, p. 517.

2°/ *secundarium* (3), quod complectitur illas veritates

---

(1) Non solùm, licet potissimùm, per directionem mentis internam exercetur Spiritus S^ti assistentia, sed etiam, si opus sit, per auxilia externa, quibus v. gr. Doctorem supremum volentem falsum proponere, morte præoccupet Deus, vel alio modo efficaciter impediat quominus ad definitionem ex cathedra deveniat.

(2) Præsens veritatum distinctio « non ita est intelligenda, quasi veritates practicæ objectum fidei non essent; sed hoc infert: dari nempe alias veritates, quæ mere sunt objectum fidei sed regula morum non sunt, uti dogma immaculatæ conceptionis B. M. Virginis; alias autem, quæ sunt objectum fidei et *simul* regula morum, uti præceptum: « non occides ». Illustr. Lambrecht, *Demonstratio catholica,* p. 143.

(3) Dicuntur aliæ veritates constituere objectum *primarium*, aliæ vero objectum *secundarium*, prout ad infallibile magisterium Ecclesiæ perti-

quæ quidem non sunt revelatæ sed quæ requiruntur docendæ ut depositum revelationis efficaciter valeat custodiri integrum. Quo titulo Ecclesiæ infallibilitas extenditur ad doctrinas implicite virtualiter revelatas (cf. suprà, p. 518), ad facta dogmatica et ad censuras infra hæresim.

A. D. S.

III

Q. *Explica hanc propositionem: actus formalis fidei debet esse firmus æstimative super omnia.*

R. 1/ *Actus formalis fidei.* Agitur scil. in hac propositione de assensu formali fidei divinæ quo intellectus sub imperio voluntatis veritati revelatæ assentit propter auctoritatem Dei revelantis; non autem agitur de actibus ad formalem fidei assensum firmum prærequisitis scil. de judicio credibilitatis cum omnibus suis fundamentis. (Cfr. *Coll. Brug.*, III, p. 67 ss).

2/ *Debet esse:* scil. asserta firmitas est *proprietas essentialis* actus fidei divinæ.

3/ *Firmus.* Firmitas hæc simul ac infallibilitas duæ sunt proprietates quæ constituunt fidei certitudinem. Porro, generatim loquendo, certitudo est firma mentis adhæsio veritati exclusa formidine errandi, respondens dignitati rationum veritatem manifestantium. Et omittendo nunc considerationes quæ non essent hujus loci, loquendoque in concreto pro subjecta materia, dicendum est certitudinem considerari posse tùm ex parte actus creditivi seu objecti i. e. rei creditæ, tùm ex parte subjecti seu hominis credentis. Ex parte quidem actus creditivi seu objecti; et sic certitudo consistit in necessaria conformitate objecti crediti cum vero; sic certitudo vocatur *objectiva* seu *infallibilitatis.*

---

nent *per se* et *ratione sui,* uti veritates revelatæ, vel *propter aliud* dumtaxat, ratione scilicet connexionis quam habent cum veritatibus revelatis. Cf. De Brouwer, *Tractatus de Ecclesia,* n. 238.

Ex parte autem hominis credentis; et sic consistit in *firmitate* adhæsionis intellectus quæ dubium ac formidinem excludat; sic certitudo est *subjectiva* seu *indubitabilitatis*. Et utroque modo, ex communi et rata theologorum sententia, (nam in ea re non datur expressa Ecclesiæ definitio), excessus quidam certitudinis attribuitur actui fidei theologicæ supra alios assensus naturales. (1). — In præsenti autem propositione agitur de certitudine subjectiva seu de *firmitate* actus fidei divinæ.

Hæc autem firmitas asserta non est necessaria, scil. non est a natura vel gratia determinata ad unum, sed *libera* utpote dependens ab imperio voluntatis. Etenim, cùm evidentia intrinseca cogens intellectum in actu creditivo deficiat, adhæsio intellectus relinquitur in potestate voluntatis (2), adeoque firmitas adhæsionis licet radicaliter fundetur in auctoritate Dei, tamen a voluntatis imperio etiam dependet. Ea autem firmitas, quatenus a voluntate pendet,

a/ *Negative* excludit omne dubium positivum omnemque formidinem actualem et *deliberatam* (3) errandi.

Hoc elementum negativum gradus non admittit sed æqualiter invenitur in quocumque certo assensu, adeoque sub hoc respectu firmitas fidei non excedit firmitatem assensus naturaliter certi, v. g. scientiæ (4).

---

(1) Ità fere Billot, *De Virt. Infusis*, Romæ 1901, p. 319 s.

(2) V. suprà p. 457.

(3) Non excludit ergo physicam possibilitatem dubii, aut dubium indeliberatum. Hoc tamen fidei firmitatem minime evertit: Sicut enim certitudo fidei efficienter dependet a positiva motione voluntatis, ità nec evertitur, nisi quando ex *deliberata* voluntate veritas revelata in dubium revocatur.

(4) Imo quadamtenus ab ea deficit « in quantum scil. ab assensu scientifico ex fulgenti evidentia veritatis removetur ipsa possibilitas dubii etiam indeliberati; in fide vero dubia indeliberata exoriri possunt, quum certitudo (firmitas) seu dubii exclusio non proveniat ab evidentia rei, sed ab imperio voluntatis. Illa quæ sunt fidei, ait S. Thomas, (*De veritate*, q. X, a. 12, ad 6) non cognoscuntur certissime secundum quod certitudo quietationem intellectus importat... Et inde est quod in his quæ sunt fidei potest motus dubitationis insurgere in credente ». Cfr. Brouwer, *De Fide divina*, Lovanii 1880, p. 276.

b/ *Positive* importat *firmitatem* adhæsionis intellectùs veritati propositæ super omnem alium assensum firmum, ut infrà dicetur. Sub hoc itaque respectu fides comparari potest cum reliquis certis cognitionibus; qua instituta comparatione « communissima ait de Lugo et verissima Theologorum sententia est, fidem esse certiorem aliis cognitionibus evidentibus naturalibus » (1). Undenam supereminens fidei firmitas oriatur ostendetur in responso sequenti.

4/ Debet esse firmus *æstimative super omnia*, quæ verba summarie indicant quid supereminens fidei firmitas importet. Jam suprà notavimus eam non importare exclusionem dubii indeliberati, quod ex ipsa natura fidei ejusque obscuritate oriri potest, ejusque certitudinem minime evertit. Neque necessario importat assensum *intensive* sed tantum *appretiative* firmiorem præ quavis cognitione naturali. Non consistit in actus intensitate, sed in æstimatione seu appretiatione sui objecti. Etenim intensio assensus sæpe repetitur non tam ex dignitate motivi quam ex naturali dispositione subjecti, ex modo quo veritas percipitur et ex impressione quam sponte sua in intellectu producit. Inde fit quod frequenter veritati, ex evidentia præsertim immediata cognitæ, intensius assentiatur quam fidei dogmati, non quia illa firmiore assensu digna censetur, sed quia vividius percipitur ab intellectu.

Sicut autem charitas appretiative summa erga Deum stare potest cum dilectione intensiore boni creati: ità fides appretiative summa compatitur assensum intensive firmiorem in veritatem manifestam.

Fides tamen divina etiam in gradu inferiore intensionis debet esse appretiative seu *æstimative firma super omnia*, i. e. credens debet ipso actus sui exercitio auctoritatem Dei revelantis *præ omni cognitione naturali* « firmiore assensu dignam æstimare, et ex hac æsti-

(1) De Lugo *De Fide*, Disp. VI, n. 24.

matione paratum se præbere, ut, quantum a libera voluntate pendet, tanquam falsa rejiciat quæ veritati revelatæ opposita comperiuntur, etiamsi evidenter demonstrata *videantur* (1). Hinc qui ex infallibili propositione Ecclesiæ cognoscit veritatem a Deo esse revelatam, incunctanter et firmitate super omnia illi assentiat oportet, quotquot exsurgant difficultates apparenter insolubiles; nec sufficit ut, interim revocato assensu, paratus sit denuo fidem præstare, quando rationum fallaciam detexerit; nam tali revocatione aut suspensione infallibilem auctoritatem Dei humanæ rationi postponeret (2) ».

A. C.

IV

Q. Expone undenam *in ipso actu fidei* (3) firmitas super omnia proveniat?

R. Firmitas super omnia *in ipso actu fidei* efficienter provenit seu producitur **objective** a **motivo** cui innititur, scil. ab auctoritate infallibili Dei revelantis; **subjective** tùm a **voluntate** imperante assensum, tùm a principio supernaturali **gratiæ** intellectum et voluntatem elevantis.

---

(1) Dicimus *videantur:* vere enim demonstrata *esse* non possunt, quia, ut ait Conc. Vatic. c. 4, « etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest »; unde plane chimerica et absurda est oppositio veri cujusvis cum vero revelato: cum idem Deus qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Brouwer, *l. c.*

(2) Cfr. Brouwer, *o. c.*, p. 280.

(3) In hac quæstione sicut et in præcedente attendenda est summi momenti distinctio inter ipsum *actum formalem fidei* et actus eidem prævios. Hic de solo actu formali fidei agitur, non autem inquiritur quid ante formalem fidei assensum *prærequiratur* ut actus creditivus super omnia firmus rationabiliter elici possit. Cfr. Ill^m^ ac Reverend^m^ Waffelaert, *Collat. Brugen.*, III, p. 69 s.

Explicatur. 1/ Supereminens fidei firmitas efficienter tamquam a causa **objectiva** provenit a **motivo** actus fidei. Eo firmior enim est positivus assensus intellectus veritati propositæ, quo majus et dignius est assentiendi motivum.

Atqui motivum actus fidei divinæ est motivum assentiendi summum.

Ergo assensus fidei divinæ ob motivum suum firmior est quam omnes alii assensus intellectuales.

Major satis patet. Certitudo enim subjectiva mentis seu firmitas assensus per se causatur a motivo quod ex parte objecti in assensum influit.

Minor probatur. Etenim motivum, ait Angelicus, ob quod intellectus, sub motione voluntatis, assentitur in actu fidei divinæ « est ipsa veritas prima, sive Deus cui creditur, quæ habet majorem firmitatem quam lumen intellectus humani in quo inspiciuntur principia, vel ratio humana secundum quam conclusiones in principia resolvuntur: et ideo fides habet majorem certitudinem quantum ad firmitatem adhæsionis, quam sit certitudo scientiæ et intellectus (1) ».

2/ **Subjective** supreminens fidei firmitas efficienter provenit tùm a voluntate, tùm a gratia supernaturali.

a/ Imprimis **a voluntate.** Licet enim actus fidei, ut suprà (2) dicebamus, elicitive procedat ab intellectu tanquam a subjecto, imperative tamen procedit a voluntate. Quæ determinatio intellectus per voluntatem in omni actu creditivo necessario requiritur. Etenim intellectus ex sese determinatur tantum ab intelligibili viso seu intrinsece evidenti: hæc autem evidentia intrinseca in actu fidei deficit, cùm testimonium qua tale, etiam testimonium Dei revelantis, nunquam faciat apparere veritatem credendam in semetipsa. Adeoque, sicut ipse assensus formalis fidei, ità ejus firmitas

(1) Cfr. *Sa Theol.*, 2a, 2æ, q. IV, a. 8. — *De Verit.*, q. XIV, a. 1, ad 7m.
(2) *Collat. Brug.*, T. VI, p. 456 ss.

efficienter provenit a voluntate. — Nec inde sequitur supereminentem fidei divinæ firmitatem esse mere extrinsecam. Nam, sicut intellectus, dum assentit sub motione voluntatis, non nititur in hoc voluntatis imperio, sed in ipso fidei motivo seu in auctoritate Dei revelantis: ità in hac *radicaliter* fundatur ejus certitudo; adeoque assensus fidei *intrinsece* firmus est, et non mere extrinsece denominatur firmus ex voluntate firmum assensum imperante: firmitas enim respondet dignitati objectivæ seu intrinsecæ ipsius motivi propter quod assensus præstatur (1).

b/ Dein **a gratia supernaturali**. Firmitas enim fidei est supernaturalis, tùm quia *voluntas* elevata per gratiam imperat assensum super omnia firmum, tùm quia *intellectus* veritati revelatæ assentit gratiæ lumine et habitu supernaturali elevatus. Unde quo excellentius lumen divinum gratiæ præ naturali lumine intellectus, eo magis certitudine et firmitate præ cognitione naturali præstat fides divina. Lumen naturale rationis ad verum quidem ordinatur et rite adhibitum ad veritatem conducit: verùm præ naturali limitatione et superveniente defectu a via veritatis haud rarò abducitur, sub specie veri amplectens errorem. Contrà habitus supernaturalis fidei intellectum elevat super defectibilitatem propriam ità ut infallibiliter tendat ad veritatem, eumque disponit ad præstandum firmissimum assensum infallibili motivo respondentem.

Quinimo interna gratiæ illustratio supplere aliquando potest illud quod deest ex parte propositionis externæ, ità ut firmitas super omnia habeatur, etiamsi præstetur assensus propter rationes quæ absolute et præ quovis intellectu non sufficerent ad excludendam prudentem formidinem erroris (2), ut dicetur in respono sequenti.

A. C.

(1) Cfr. Brouwer, *o. c.*, p. 274 s. — Ill^{m} ac Reverend^{m} Waffelaert, *Annotat. in Tract. de virt. theol.*, Brugis 1900, p. 41 s.

(2) Cfr. Bouquillon, *Tract. de Virt. theol.*, Brugis, 1878, p. 79.

V

Q. *Expone quomodo assensus fidei super omnia firmus possibilis sit pueris et rudioribus?*

R. Ut assensus fidei super omnia firmus credenti sit possibilis, duo requiruntur et sufficiunt 1°/ ut *ante actum fidei* credens eliciat judicium credibilitatis saltem *respective* certum, in specie autem habeatur notitia *respective* certa facti divinæ revelationis; 2°/ ut *in ipso actu fidei* assensus supernaturalis veritati revelatæ præstetur *formaliter* propter auctoritatem Dei revelantis.

Atqui apud pueros rudioresque credentes rite institutos utrumque requisitum verificari potest.

Ergo assensus fidei super omnia firmus est pueris rudioribusque possibilis.

Responsum ità compendiose propositum, attento ejus momento tùm speculativo, tùm etiam practico, sequenti modo **probamus ac explicamus.**

Prænota. 1/ Supponendum est pueros rudioresque indoctos habere usum rationis sufficientem ità ut possint et doctrinam propositam sufficienter intelligere et ei assensum rationabilem præbere, eosque esse rite institutos, seu doctrinam Ecclesiæ eis debito et idoneo modo proponi. Et, quoniam sermo est de fide divina et salutari, supponendum eos gratiæ auxilio adjuvari.

2/ Quoad pueros et rudiores *non quæritur utrum de facto* firmiter credant, quod quidem in dubium revocari nequit. Christus enim velut criterium divinæ suæ missionis allegat quod *pauperes evangelizentur,* et S. Paulus docet non multos sapientes secundum carnem a Deo esse electos, sed quæ *stulta* et *infirma sunt mundi* (1).

Cæteroquin factum est, omnium catholicorum testimonio firmatum quodque cuivis inspicienti patet, pueros rudioresque indoctos, rite tamen institutos,

(1) *Mat.* XI, 5; *I Cor.*, I, 26.

firmitate summa et inconcussa fidei adhærere, omnemque hæresim vehementissime horrere et detestari. Exempla conspicua habes in vitis martyrum aliorumque sanctorum. Imo, « id omnes propria experientia novimus ac testari possumus, qui suaviter ad fidem adducti, tùm pueri tùm adolescentes adhuc indocti tùm theologi postea facti, semper fide certissima ac firmissima credidimus (1) ». — *Quæritur autem de modo* quo varia ad firmitatem fidei requisita prædictis personis sint possibilia. — Quibus prænotatis:

Probatur major: Ut assensus fidei firmus prudenter imperari possit a voluntate neque motus sit cæcus, *duo requiruntur:*

1° *Ante actum fidei* prærequiritur ut credens eliciat judicium credibilitatis saltem respective certum, seu requiritur ut motivum fidei objectivum quoad veritatem credendam *certo* innotescat, nec sufficit ut *in* ipso actu fidei firmiter credens ipsi adhæreat.

Secus enim nec *voluntas* percipit honestatem et officium credendi, et consequenter assensum eumque firmissimum in veritates revelatas prudenter imperare nequit; nec *intellectus* intrinseca firmitate assentire potest ob motivum forte non existens; nec tandem *gratia* potest obfirmare talem assensum imprudentem et ex irrationali tantùm voluntatis imperio formidine carentem (2). — Cur autem dicatur « *respective* certum » et speciatim insistatur in notitia respective certa facti divinæ revelationis, potius ex probatione minoris patebit.

2° Posito judicio credibilitatis certo, seu posita certa objecti formalis cognitione, requiritur ut *in ipso actu fidei* supereminens fidei certitudo radicaliter in ipso actus motivo fundetur ut scil. assensus præstetur formaliter propter auctoritatem infallibilem Dei revelantis. (cfr. q. præced.).

---

(1) Cfr Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *Collat. Brugen.*, III, p. 198 s.
(2) Brouwer, *De Fide divina*, Lovanii, 1880, p. 181.

Illa *duo* autem ad assertam fidei firmitatem *sufficere* apparet partim ex ratione sub 1° adducta, partim ex responso præcedenti.

Probatur prior pars minoris. Pueris et rudioribus indoctis possibile est judicium credibilitatis certum, seu certa notitia objecti formalis fidei, potissimùm notitia facti revelationis.

A/ Dicitur: *potissimum facti revelationis*. Etenim alterum elementum quod objectum formale ingreditur judiciumque credibilitatis certum fundat, scil. auctoritas Dei infallibilis, hæc a pueris et rudioribus certo cognosci valet: nam evidentià intrinsecâ apparet omnibus qui cognitionem Dei entis supremi ac perfectissimi etiam confusam habent. Ità ratio humana spontaneo quodam ratiocinio quod omnem syllogizandi artem antecèdit, pervenit in notitiam perfectissimæ illius sapientiæ et veracitatis, secundum quod constituunt supremam aliquam auctoritatem, cui si aliquid credendum revelet, super omnia fidere, æquum et justum est.

Difficultas ergo solummodo esse potest de *facto revelationis* cujus certa notitia est proximum motivum judicii credibilitatis, nam ideo credibilis judicatur fides christiana quia *certo* notum est Deum, testem fide dignissimum, illam revelasse. Requiritur notitia *certa* de locutione Dei, talis scil. quæ excludit omne dubium prudens. At, optime notandum est hanc certitudinem (seu potius evidentiam credibilitatis) posse esse *absolutam* scil. cuivis intellectui etiam exculto accomodatam, vel *relativam* scil. respective ad intellectum quorumdam v. g. puerorum et incultorum.

At vero, ad judicium credibilitatis certum sufficit evidentia credibilitatis *relativa:* nam intellectus in diversis hominibus ex nativis viribus atque diversitate indolis et cultus diversimode disponitur ad percipiendam rei veritatem (1). Unde sufficit cognitio facti reve-

(1) Cfr Brouwer, *op. cit.*, p. 132: « Proponas ex. g. bono rustico argu-

lationis consentanea sit et proportionata facultati, ingenio ac scientiæ illius qui debet fidem amplecti.

Atqui natura ipsa, adjuvante gratia, vehementer pueros indoctosque inclinat ut in iis quæ per semetipsos videre non valent, acquiescant auctoritati et testimonio illorum quos naturalis rerum cursus eruditores assignat scil. parentes et magistros (1).

Ergo solum testimonium parentum aut parochi plene sufficere potest ut pueri indoctique prudenter judicent sibi incumbere officium firmiter assentiendi facto revelationis, ità ut judicium credibilitatis certum efformare valeant.

B/ Cæterùm licet notitia certa facti revelationis quoad prædictas personas maxime in auctoritatem humanam parentum, parochorum etc. resolvi possit, nihil obstat quominus parochi aut parentes in catechetica institutione modo singulis accommodato explicent aliquod credibilitatis motivum, aut eorum testimonium aliunde cognoscatur ut testimonium Ecclesiæ universalis. Tunc autem cognitio facti revelationis fundatur in testimonio tantæ gravitatis ut difficultas evanescat tota.

Jam vero utrumque pueris et rudioribus percipere possunt.

Imprimis unum alterumve credibilitatis motivum intelligere valent. Ità illis obvia est notitia saltem confusa aliquot miraculorum, quibus revelatio confirmata fuit, alicujus notæ Ecclesiæ puta unitatis, sanctitatis,

---

menta ad normam regularum logicæ redacta, congeras seriem syllogismorum, et plerumque nihil proficies; sed proponas ipsi gravem auctoritatem viri insignis et plene sibi rem persuadebit ».

(1) Scil. assensus ille omnino rationabilis est et impellente natura ac gratia elicitur. Fit enim secundum ordinem universalem a Deo constitutum ad notitiam certam comparandam omnium cognoscibilium quæ nec intellectui nec sensibus evidenter patent. Siquidem manifesto vult Deus pueros illos vera certitudine gaudere in iis saltem quæ bona necessaria sive corporis sive animæ respiciunt. Jam vero in hypothesi Deus non aliud certitudinis medium præstat præter auctoritatem parentum et magistrorum fidei v. g. parochorum.

mirabilis ejus propagationis ac conservationis etc. Ideo quoque Conc. Vatic. miracula etc. declarat signa divinæ revelationis *omnium intelligentiæ accommodata*, et addit Deum instruxisse Ecclesiam divinæ institutionis signis manifestis ut ea tamquam custos ac magistra verbi revelati *ab omnibus* cognosci possit (1).

Pariter testimonium parentum, parochi etc. ut testimonium Ecclesiæ universalis suo modo apprehendere valent. Etenim facile omnes cognoscere possunt suos parentes idem docere ac sacerdotes, fidei magistros, hos autem in fidei doctrina consentire cum Episcopis a quibus missi sunt ad docendos fideles, Episcopos esse unitos cum Romano Pontifice et cum Ecclesia in toto orbe christiano.

Ergo pueri et indocti, si rite instituuntur, facile elicere valent judicium credibilitatis certum in ipsis credibilitatis motivis fundatum.

C/ Insuper *animadvertendum* in pueris rudioribusque scientificam ac reflexam cognitionem vel ex eo non requiri, quod multo minus quam cæteri dubii sunt capaces propter innatam simplicitatem animique humilitatem ac credendi propensionem in ipsa naturæ neces-

---

(1) Cfr Brouwer, *o. c.*, p. 133 s. — Murray, *De Eccl. Christi II*, p. 324: « Mihi autem videtur motiva (si non omnia, saltem fere omnia, censeo tamen omnia) quæ primo aspectu pure respectiva viderentur, attentius inspecta non esse nisi ipsa motiva absoluta, diverso et accommodato modo proposita, et imperfecte et ex parte tantum spectata, vel initia quædam ad ista motiva ducentia. Ex variis narrationibus conversionum ad fidem catholicam in hisce regionibus nostra memoria factarum, ut alia omittam, hoc mihi probabile visum est. Sic quædam ex istis conversionibus initium habuerunt ex visa et observata vita vere sancta quorumdam catholicorum: quidam conversi sunt ex observatis effectibus Confessionis in moribus famulorum et proximorum: alii ex observata devotione fidelium piorum in ecclesiis attenta et fervida: alii ex lectione librorum piorum catholicorum; alii ex dissidiis quoad fidem quæ suas sectas agitabant desperatis: etc. etc. Hæc omnia ad notas Ecclesiæ, unitatem, sanctitatem, etc. plane revocanda sunt, utpote tot istarum notarum significationes plus minusve claræ, et modi varii quibus Ecclesia in istis notis se manifestat. Horum motivorum *respectivitas* non in motivis ipsis, sed in modo et gradu quo ista motiva apprehenduntur, reponenda est ».

sitate fundatam. Præterea, puerorum anima est tabula rasa, nondum spinis præjudiciorum errorumque nebulis obsita. Tandem in pueris rudioribusque sicut in omnibus verificatur Augustini verbum « Deum non deseri, si non deseratur ut pie semper justeque vivatur » (1), ità ut si exterior propositio insufficiens sit ad firmum credibilitatis judicium efformandum, per divinam inspirationem et vocationem gratiæ internam ea possit *compleri,* imo, ut docet S. Thomas (quodlib. 2, a. 6) *totaliter suppleri.*

Probatur altera pars minoris: In ipso actu formuli fidei pueri atque rudiores indocti veritati revelatæ adhærere possunt formaliter propter auctoritatem Dei revelantis. Etenim pueri ac indocti post rectam catecheticam instructionem veritates credendas per actum supernaturalem fidei admittent propter motivum formale fidei, scil. non quia proponuntur a parentibus, a magistro vel parocho, sed quia proponuntur ab ipso Deo, cujus nomine et auctoritate parentes atque sacerdotes fidei veritates docent. Ergo formaliter credent propter auctoritatem infallibilem Dei revelantis. (cfr duo resp. præc.).

A. C.

VI

Q. *Describe indolem jurisdictionis parochialis.*

R. *Parochus qua talis non habet jurisdictionem proprie dictam in foro externo, sed in foro interno tantum; hæc autem ejus jurisdictio non est mere delegata, sed vere ordinaria.*

Explicatur et probatur: Supposita notione potestatis jurisdictionis ejusque variarum specierum (2), dicimus:

---

(1) Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *Collat. Brugen.*, l. c.

(2) Vide *Collat. Brugen.* t. IV (1899), p. 595 sqq., t. V (1900), p. 474-5. — Hoc solum advertimus non recte in nonnullis conferentiis descriptam fuisse jurisdictionem fori interni tamquam quæ exerceatur in solo tribu-

I. *Parochus qua talis non habet jurisdictionem proprie dictam in foro externo.* — Vera enim jurisdictio fori externi *directe* refertur ad utilitatem *publicam* et socialem procurandam per exercitium quoddam perfectum potestatis legislativæ, judicialis et coercitivæ. Hujusmodi autem potestas legislativa, judicialis et coercitiva nullatenus competit parochis, sed universa eorum potestas potius refertur *directe* ad bonum *privatum* et internum suorum parochianorum : illam profecto potestatem, triplici actu indicato exercendam, non habent *jure divino* acceptam, cum officium parochiale nequaquam sit institutionis divinæ, ut somniarunt parochistæ, sed mere ecclesiasticæ, ut cuivis in antiquitate ecclesiastica non prorsus hospiti constat; nec etiam *jure ecclesiastico:* etenim ea est, saltem hodie, praxis curiæ romanæ et omnium generatim episcoporum ut nullam agnoscant parochis veram fori externi jurisdictionem. Quod factum, ut recte notat Bouix (1), ad minus probat parochis, si quando forte illam habuerint ex concessione Ecclesiæ, jam non competere prædictam potestatem. Ceterum nequit efficaciter probari parochos qua tales seu vi juris communis umquam obtinuisse veram jurisdictionem in foro externo. Notatim haud sufficit ostendisse ipsis agnitam antiquitus fuisse facultatem quamdam excommunicandi : nam omisso quod variæ fuerint, olim saltem, species excommunicationis, probandum esset illam facultatem fuisse parochis concessam ex titulo *juris communis*, et non tantum ex speciali consuetudine aut peculiari delegatione.

Jurisdictio igitur parochi restringi debet *ad forum internum;* quod tamen perperam confunditur cum foro pœnitentiali : nam licet ipsi non competat vera et per-

---

nali pœnitentiæ : etenim distinguitur in *pœnitentialem* seu *sacramentalem*, et *extra-pœnitentialem*, ut si quis extra confessionem relevetur a peccati reservatione.

(1) *Tractatus de parocho*, Parisiis 1855, p. 148.

fecta jurisdictio fori externi, habet tamen potestatem quamdam *œconomicam*, quæ præter jurisdictionem fori pœnitentialis *administrationem vere externam* habet adnexam: hac veluti paterfamilias subditis suis invigilat, eaque utitur ad regendam suam parochiam quoad spiritualia ac temporalia. Exemplo esse possunt tum jus ipsi proprium examinandi sponsos de impedimentis, prohibendi matrimonium ob motivum particulare, moderate coercendi discolos; tum exercitium magisterii publici et jurisdictionis cujusdam gratiosæ, qua nimirum, ex consuetudinis legitimæ titulo, dispensat in præcepto jejunii et abstinentiæ, in observatione dominicæ et festorum, in casibus nempe particularibus.

II. *Non est mere delegata, sed vere ordinaria.* — Parocho enim jurisdictio parochialis non tribuitur per modum specialis commissionis, ita ut sit merus episcopi vicarius, sed, facta ab episcopo provisione quæ designat personam tantum, competit ipsi ex jure communi, adeo ut cum ipso munere parochiali, absque ulla adventitia concessione acquiratur et proprio nomine exerceatur. Hæc doctrina communissima est inter doctores et facile ostenditur firmata in jure: nequit enim episcopus potestatem, quam habet parochus vi juris communis, arbitrarie auferre aut ita restringere ut fere inanis reddatur. Quod sane intelligi nequit, si illa potestas parochi dicatur mere delegata, cum hæc a superioris nutu quoad durationem et extensionem penitus dependeat.

Præcipue objici solet jurisdictionem ordinariam includere facultatem reservandi casus et delegandi, quam neutram habent ex hodierna Ecclesiæ disciplina parochi. Cui difficultati satisfit, notando discrimen inter illud quod *regulariter* conjungitur cum potestate ordinaria et illud quod ad hujus *essentiam* pertinet. Jam age hoc est de essentiali ratione jurisdictionis ordinariæ quod alicui subjecto concedatur vi officii seu muneris, nomine ac jure proprio exercenda; quæ notio non includit facultatem delegandi aut etiam casus reservandi,

etsi hæc utraque facultas regulariter comitetur potestatem ordinariam. In praxi tamen hodierna parocho utraque periit et nonnisi theoretice ipsi jam agnoscitur ab AA., præterquam relate ad potestatem delegandi in illis negotiis in quibus non agitur de stricte dicta jurisdictione aut verbi Dei prædicatione: sic v. g. potest parochus delegare pro assistentia matrimoniali, baptismo, extrema unctione et S. Viatico.

Cfr De Brabandere-Van Coillie, *Juris Canonici.... Compendium,* ed. 6ª (1898) t. I, nn. 437-439; Van den Berghe, Tract. autogr. *de Parochis,* p. 21 sqq., coll. Wernz, *Jus decretalium*, t. II (Romæ 1899), p. 1039 sq.

H. M.

Dissertatio.

De casu detecti Impedimenti publici affinitatis illegitimæ post matrimonium contractum.

Contingit ut parochus reperiat conjuges invalide junctos propter impedimentum affinitatis illicitæ, super quo non fuit obtenta dispensatio, quodque impedimentum oritur ex copula *publice nota*, ab alterutro conjugum habita cum persona consanguinea compartis in 1° vel 2° gradu; et non rarò anxiatur parochus circa modum agendi adhibendum in hujusmodi adjunctis.

Porro duplex fingi potest hypothesis: vel enim ipsa *nullitas matrimonii* est *publice cognita*, vel nullitas in populo *ignoratur*, sive quia impedimentum mansit *formaliter* occultum (1), sive quia supponunt incolæ loci opportunam præcessisse dispensationem. Jamvero

(1) Cf. *Collat.*, V, p. 417, ubi docetur, juxta Benedictum XIV, impedimentum matrimonii esse *materialiter* publicum et *formaliter* occultum, quotiescumque « patratum crimen publice quidem innotescit, criminis tamen conscii prorsus ignorant an impedimentum dirimens cum eodem crimine conjungatur ».

I/ **In 1ª hypothesi,** *regulariter* procuranda est revalidatio matrimonii per *simplicem dispensationem* pro foro externo et renovationem consensus in forma Tridentina coram parocho et testibus; quæ renovatio fiet vel publice vel secretò, si id expedire judicetur, ea tamen lege ut scandalo efficaciter obvietur.

Cum autem opus sit dispensatione *pro foro externo* recurrendum est Romam (1), et interea temporis putatis conjugibus erit interdicendus usus matrimonii, imo, uti diximus *Collat.*, V, p. 413, separatio tori et cohabitationis non rarò erit injungenda ad vitandam offensionem populi.

Dicitur: *regulariter*, quia non desunt casus, in quibus, ob adjuncta difficillima, locus sit *sanationi in radice*, licet matrimonii nullitas fuerit publica: quod signanter obtinet quando, ob malam dispositionem unius partis, consensum in forma Tridentina renovare renuentis, aliter nequit saluti consuli partis alterius bene dispositæ.

Huc refertur, propter causæ similitudinem, exemplum, apud Planchard, *Dispenses matrimoniales*, n. 383 adductum, sanationis in radice concessæ, ad revalidandum matrimonium civiliter contractum et publice nullum, in gratiam uxoris resipiscentis, viro nolente consensum præstare coram parocho et testibus.

Monet autem S. Pœnitentiaria in concessionis rescripto, ut datæ litteræ, « *una cum attestatione impertitæ executionis, in cancellaria Episcopali diligenter custodiantur, ut pro quocumque futuro eventu de matrimonii validitate et prolis legitimitate constare possit; imposita mulieri prædictæ obligatione prudenter monendi virum de hujusmodi sanatione obtenta, ad hoc ut ipse sciat se in legitimo matrimonio versari, caque satis evulgata ad removendum scandalum* ».

Circa quod attende:

1°/ monitionem esse *prudenter* faciendam, adeo ut,

(1) Episcopi Belgii pro foro publico nequeunt dispensare super affinitate nisi infra gradum secundum.

ad gravia incommoda vitanda, possit differri, et nonnisi servatis prudentiæ cautelis sit peragenda.

2°/ concessam sanationem valere *pro utroque foro*.

3°/ *evulgandam* esse matrimonii convalidationem; in cujus clausulæ interpretatione præ oculis est habenda *Instructio* Cardinalis Caprara 27 Maii 1803, ad Episcopos Galliæ: « Si vero, ait, nullitas publica sit, ad publicum scandalum removendum ejusmodi dispensatio vel sanatio notorie perficiatur; aut etiam secretò, si ad aliquam præcavendam perturbationem ita Ordinario in Domino visum fuerit, dummodò tamen locus sit evulgationi peractæ matrimonii sanationis seu dispensationis, qua publicum scandalum congrue removeatur.

Si evulgationi ejusmodi dispensationis locus non sit ob imminentis gravis scandali aut perturbationis periculum, prælaudatus Ordinarius, per ejusmodi secretam matrimonii sanationem seu dispensationem, innocentis compartis animæ saluti provideat, onerata ejusdem Ordinarii conscientia ut, perpensis circumstantiis et pro sua prudentia, modum exquirat quo etiam publicum scandalum ex matrimonii nullitatis publica notitia existens quam primum removeatur: monitis interim parochis, ut, donec hujusmodi publicum scandalum sublatum sit, in admittendis innocentibus conjugibus ad sacramenta, ne ulla scandali præbeatur occasio, iis utantur circumspectionis regulis quæ cuique exploratæ sunt ».

Simile rescriptum S. Pœnitentiariæ refert De Becker, *De Sponsalibus et Matrimonio*, p. 347; et recentius a Congr. S. Officii prodiit decretum sanationis, quod juvat, quoad substantiam, exponere:

Erat nempe in diœcesi N vir catholicus qui matrimonium contraxerat cum muliere protestantica coram magistratu civili et coram ministro hæretico, ex quo matrimonio nata erat proles in hæresi educata. Vir ægrotans ad resipiscentiam venit et volebat matrimonium inire coram Ecclesia, sed, uxore omnino renitente, postulavit sanationem in radice, paratus cæteroquin, si convaluerit, adlaborare conversioni conjugis et prolis.

Congr. S. Officii prudenti judicio Ordinarii reliquit sanationem peragere nomine S. Sedis, ex hujus speciali delegatione, oratore monito de gravissimo scelere, impositis pœnitentiis salutaribus et prævia absolutione a censuris, eique injuncta obligatione curandi conversioni prolis et conjugis, addita tandem declaratione eidem oratori facienda, ob concessam scil. dispensationem ab ipso acceptatam, matrimonium fieri validum, legitimum et jure divino indissolubile, et prolem utriusque sexus sive susceptam sive suscipiendam legitimam habendam esse.

Post quæ subjungitur: « *Quum autem de matrimonii validitate in foro externo constare debeat, nomen cum consueta personali indicatione tam viri quam mulieris in regestis describatur, simulque autographum documentum præsentis concessionis, communicationis et acceptationis, absolutionis et declarationum oratoris, ut supra factarum, servetur in curia N, et exemplar authenticum eidem oratori sedulò custodiendum tradatur* ».

II/ **In 2ª hypothesi**, nempe quando ipsa nullitas matrimonii in loco ignoratur, nova distinctione est opus:

A/ Si uterque vel alteruter conjux reperitur *nullitatis conscius*, et, uti passim continget, absque gravissimis incommodis separatio institui nequit, usquedum ab Apostolica Sede obtineatur dispensatio, opportunum et expeditum remedium erit, in diœcesi Brugensi, in impetranda dispensatione *pro foro interno* ab Episcopo, qui, in occurrenti casu, vi specialissimæ facultatis, dispensationem impertiri valet, juxta dicta apud *Collat.*, V, p. 610.

Nimirum benigne annuit S. Sedes precibus ab Episcopo Brugensi sequenti tenore porrectis: « *Accidit aliquando ut post matrimonium sine prævia dispensatione contractum innotescat putatos conjuges publico impedimento affinitatis ex copula illicita ligatos esse. Quum autem ob præcedentem contractum, tam coram magistratu civili quam coram Ecclesia initum, putati conjuges ab invicem*

sine gravissimis incommodis separari nequeant, usquedum ab Apostolica Sede obtineatur dispensatio, supplicat Episcopus orator ut Sanctitas Vestra sibi facultatem concedere dignetur, tali occurrente casu, auctoritate Apostolica dispensandi, servatis cæteroquin clausulis, quando de occulto impedimento agitur, præscriptis ».

Quocirca nota :

1°/ Invocatum indultum concedi pro decem dumtaxat casibus ;

2°/ Dispensationem vi præfatæ facultatis elargitam non valere nisi *pro foro conscientiæ*, adeoque hac ratione dispensatis non suffragari in foro externo ; ast ex una parte hujusmodi dispensatio sufficit ut ea potiti in conscientia matrimonio uti possint, et ex alia parte, cum ipsa nullitas matrimonii supponatur occulta, publice habentur ut legitimi conjuges, et proles reputantur legitimæ.

Cæterum nihil impedit quominus providus parochus, si nullitas timetur publicanda, curet ut tempestive impetretur dispensatio Pontificia pro foro fori valitura, quæ apta sit ad convalidandum, si opus fuerit, matrimonium in foro externo.

3°/ Supplica pro dispensatione Episcopali, utpote pro foro interno impertita, est conficienda sub fictis nominibus, et non requiritur ut renovatio consensus fiat in forma Tridentina.

B/ Si ambo conjuges versantur *in bona fide* et non sine gravissimis incommodis de matrimonii sui nullitate moneri possunt, patet recursus ad S. Pœnitentiariam ad effectum impetrandi sanationem in radice, eamque pro foro externo valituram, ut opportune provideatur eventui quo matrimonii nullitas evadat publica (1).

En specimen hujusmodi rescripti Romani recentis-

---

(1) Ad hunc casum alludimus suprà, p. 556-557, in nota, quando monuimus interdum derogari consuetæ praxi S. Pœnitentiariæ, passim renuentis in radice sanare matrimonia invalida, circa quorum nullitatem in bona fide versantur putati conjuges et nonnisi difficulter moneri valent.

simi, una cum prævia supplica ad S. Pœnitentiariam directa:

Beatissime Pater,

Titius et Titia, diœcesis Brugensis, præmissis de more publicationibus, nulloque detecto impedimento, cum vero consensu qui adhuc perseverat, matrimonium in facie Ecclesiæ contraxerunt et successive consummaverunt. Jamvero matrimonium istud nullum est ob impedimentum publicum affinitatis illicitæ in primo et secundo gradu mixtæ lineæ collateralis, ex eo provenienti quod Titia, quatuor abhinc annis, copulam fornicariam, ex qua nata proles, habuerit cum avunculo Titii. Impedimentum casu omnino fortuito innotuit parocho, qui rem, tacitis nominibus, Episcopo Brugensi exposuit, declaravitque putatos conjuges in omnimoda bona fide versari, eosque non sine gravissimis incommodis de matrimonii sui nullitate, quam nemo cæteroquin ex loci incolis suspicatur, posse moneri. Quum hisce in adjunctis uti non præsumat Episcopus Brugensis indulto (de quo supra), *quo, ad vices aliquot, gaudet dispensandi, quando accidit ut post matrimonium sine prævia dispensatione contractum, innotescat putatos conjuges publico impedimento affinitatis ex copula illicita ligatos esse, supplex rogat Sanctitatem Vestram ut matrimonium putatorum conjugum, de quibus supra, in radice sanare ac proles exinde nascituras legitimas declarare dignetur. Et Deus.*

Sacra Pœnitentiaria, de speciali et expressa auctoritate Apostolica, præfatum matrimonium, sicuti præfertur, nulliter contractum, in radice sanat et convalidat, prolemque sive susceptam sive suscipiendam legitimam enuntiat. Præsentes autem Litteræ in cancellaria Episcopali, expressis nominibus et cognominibus præfatorum conjugum, in calce earumdem diligenter custodiantur ut, pro quocumque eventu, de matrimonii validitate et prolis legitimitate constare possit.

A. D. S.

Ex S. Pœnitentiaria

DE JUBILÆO

Beatissime Pater,

N. N., e Congregatione SSmi Redemptoris, ad pedes Vestræ Sanctitatis humiliter procumbens, exponit quæ sequuntur:

Visitando ecclesias pro lucrando Jubilæo, fideles orare debent ad intentionem Sanctissimi;

Cum impeditis possunt confessarii visitationes in alia opera commutare;

De hac autem potestate commutandi scribit Benedictus XIV, Const. *Inter præteritos,* § 53: « Hujusmodi auctoritas... ad visitationes basilicarum restringitur, ac proinde ad alia opera injuncta nec potest nec debet extendi; exempli gratia... ad preces quæ a basilicarum visitatione separari possunt; »

Verum, quærenti « an fideles qui juxta Ordinarii dispositionem quinque tantum peragunt visitationes processionaliter ad ecclesias, teneantur pro aliis decem visitationibus ab Ordinario remissis præscriptas a Romano Pontifice recitare preces, » S. Pœnitentiaria a. 1875 respondit: « standum esse terminis reductionis ab Episcopo vigore litterarum Apostolicarum concessæ; » cui responso hanc animadversionem subjungunt *Acta S. Sedis*, vol. VIII, p. 360: « Si parumper dubitare liceat an Ordinarius dispensando super visitationes peragendas, dispensare queat etiam super preces: tamen haud ambigendum est preces prædictas ita visitationibus conjunctas esse, ut earum essentialem partem constituant. Proindeque remissis visitationibus, et preces remissæ intelligi debent »;

Unde dubitatur utrum potestas confessarii ex legitima causa commutandi visitationes pro lucrando Jubilæo instituendas, sese extendat ad preces inter has visitationes ad intentionem Sanctissimi fundendas: an potius teneatur pœnitens qui dictam commutationem visitationum obtinuit,

nihilominus sexagesies ad intentionem Sanctissimi orare, et præterea implere opera visitationibus a confessario substituta.

Et Deus.

Sacra Pœnitentiara mature consideratis expositis ad præfatum dubium respondet: *supposita discretione Confessarii, qui dummodo id ferant vires pœnitentis, proportionem adhibeat, etiam quoad numerum, inter visitationes præscriptas et opera substituta, preces juxta intentionem Summi Pontificis toties fundendas esse, quoties dicta opera peraguntur.*

Datum Romæ ex S. Pœnitentiaria die 4 Septembris 1901.

D. Mannajoli, *S. P. Corr.*
A. Can. Martini, *S. P. Secr.*

Adnotanda. — Quæstionem, quam movet dubium hoc S. Pœnitentiariæ jure merito oblatum, jam agitavimus suprà pp. 322-323, ubi recitavimus vel adnotavimus omnia decreta et textus in libello supplici expressa. Ob perspicuum Benedicti XIV textum, pro hodierno jubilæo vigore legis non carentem, in quo aperte statuitur preces ad intentionem Summi Pontificis recitandas a visitationibus posse separari et a confessariis non posse commutari, censuimus saltem tutius esse ut confessarii pro personis impeditis non relaxarent obligationem fundendi preces ad mentem Pontificis, nisi in quantum morbus hanc recitationem impediret.

Præsenti responso imprimis confessario inculcat S. Pœnitentiaria prudentem discretionem in usu facultatis concessæ. Hæc enim non importat plenam potestatem simpliciter *dispensandi*, nec nudam facultatem mere *commutandi*, ut minus accurate ponit orator in libello supplici, sed *dispensandi commutando*, seu, ut habent verba bullæ *Temporis* « *dispensandi* a præscriptis visitationibus... et in locum visitationum alia pia opera... *commutandi* ». Quare, « si id ferant vires pœnitentis », requiritur inter visitationes præscriptas et opera substituta, non quidem moralis *æqualitas,* ut minus recte contendit cl. J. V. in *Nouv. Rev. Théol.,* 1901, p. 560, sed « *proportio* » ut habet S. Pœnitentiariæ responsum.

Ad hanc autem proportionem obtinendam, quantum fieri potest, ratio est habenda etiam *numeri* visitationum injunctarum. Hic tamen numerus in documentis romanis computari solet juxta numerum (quindecim) dierum visitationis potius quam juxta numerum (sexaginta) singularum visitationum.

Quibus præmonitis statuit S. Pœnitentiaria « *preces juxta intentionem Summi Pontificis toties fundendas esse, quoties dicta opera* [visitationibus subrogata] *peraguntur* ». Nequit igitur confessarius aut penitus auferre obligationem recitandi præfatas preces aut etiam eas commutare in aliud pium opus. Non posset v. g. quindecim visitationum diebus substituere totidem meditationes aut abstinentias, quin maneret obligatio singulæ orationi mentali vel abstinentiæ addendi preces ad fines consuetos recitandas. Non exstat igitur vera oppositio inter textum Benedictinum et præsens responsum S. Pœnitentiariæ, quæ hunc textum interpretatur diserte permittendo ut, si minori numero subrogentur opera, eadem mensura minuatur et numerus precum.

Quum autem opera substituta soleant potissimum esse orationes quædam vocales, v. g. 15 coronæ B. Mariæ Virginis, quæstio practica moveri potest utrum pœnitens unicuique rosarii recitationi *superaddere* debeat preces consuetas ad intentionem Pontificis. Licet res non aperte declaretur, sufficere nobis videtur ut illæ ipsæ orationes subrogatæ recitentur ad dictam intentionem. Ulterior obligatio neq ex verbis responsi nec ex rei natura deduci potest. Sicut preces in ipsa visitatione, cujus erant pars integrans, debebant fundi, non ei supperaddi alio loco vel tempore, ita nunc orationibus subrogatis non debent adjungi aliæ preces speciales, sed requiritur et sufficit ut intentio orandi juxta mentem Pontificis applicetur his ipsis orationibus subrogatis.

C. C.

Novæ concessiones a SS. D. N. Leone XIII

Tertio Ordini franciscali factæ.

I. Rescriptum S. Cong. Indulg. quibus conceduntur speciales favores Tertiariis ægrotis et convalescentibus.

Beatissime Pater,

Ministri Generales quatuor Ordinum Franciscalium, ad S. V. pedes provoluti humillime petunt ut ægrotis et convalescentibus Tertiariis sæcularibus concedatur privilegium recipiendi generalem absolutionem quacumque die infra octiduum festi, cui assignatur. Insuper enixe postulant ut favore eorumdem Tertiariorum ægrotantium et convalescentium indultum S. V. concedere dignetur, cujus vi omnes plenarias indulgentias, ceteris servatis conditionibus, infra octiduum diei pro quo concessæ sunt, lucrari possint et valeant.

Et Deus etc.

S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Leone Pp. XIII sibi specialiter tributis, benigne annuit pro gratia juxta preces, ceteris servatis de jure servandis. Præsenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secret. ejusdem S. C. die 13 Augusti 1901.

S. Card. CRETONI, *Præf.*

(Loc. ✠ Sig.)

† Pro R. P. D. Franc. Archiep. Amiden., *Secret.*
I. M. Canonicus Coselli, *Substitutus.*

II. Breve Apostolicum quo Tertio Ordini sæculari novæ conceduntur indulgentiæ ac spirituales gratiæ.

LEO PP. XIII

Ad perpetuam rei memoriam.

Qui multa ad incolumitatem et prosperitatem Tertii Ordinis Sancti Francisci Assisiensis in diuturno Pontificatu Nostro constituimus, decrevimus, egimus, et nonnihil ex veteri illius disciplina et regula, prout temporum opportunitas postulabat, vel temperavimus, vel renovavimus, volumus nunc communia Sociorum ejusdem Ordinis explere desideria, quæ non mediocrem confidimus allatura Ecclesiæ catholicæ utilitatem ac fructum. Nos quidem maximas plurimasque gratias agere et habere debemus Deo, cui uni acceptum referimus, quod populus christianus, in tanta præsertim morum desidia et segnitie, cohortationibus et invitationibus Nostris faciles dederit aures, atque excitata sit erga Seraphicum Patrem pietas, auctusque numerus Sodalitatem Tertii Ordinis expetentium.

Hoc Nobis luculenter demonstrat neglectas non jacere christianas virtutes, per quas facile mederi possumus malis, quibus affligimur, et propulsare pericula quæ formidamus. Tertius enim Ordo, qui et sæcularis dicitur, natus aptus multitudini ab auctore suo ita est constitutus, ut in eo, velut in quadam palæstra, diligentius vita christiana exerceatur, in exemplum Illius, qui dixit: « Ego sum via, veritas et vita ». Profecto Ordines Franciscales priores duo, magnarum virtutum informati disciplinis perfectius quiddam diviniusque consectantur: Tertius autem Ordo socios suos ad mores provocat justos, pios, integros, atque inter domesticos parietes vitæ honestatem plus quam sanctimoniam docet. Donec igitur animorum salutaris iste cursus non retardetur, et Tertius Ordo Franciscalis sociorum numero et pietate floreat, Nos spem bonam habebimus, futurum ut populus christianus velit aliquando privatim et publice ad Jesum Christum reditum maturare.

Quum vero catholici homines maxime trahantur spiritualium bonorum præmio, Nos velut currentibus incitamenta

præbituri, illuc voluimus animum et cogitationem intendere, unde illi ad Tertium Ordinem citius possint adduci. Quapropter dilectis Filiis Ministris Generalibus Ordinis Minoritici, Ordinis Minorum tum Conventualium, tum Capulatorum, et Tertii Ordinis Regularis annuentes, rogata etiam sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacræ Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ, loco spiritualium gratiarum et Indulgentiarum, quibus Sodales sæculares Tertii Ordinis Sancti Francisci vi communicationis obtentæ die VII Julii MDCCCXCVI per Breve Nostrum Apostolicum ad quinquennium valiturum cum primo et secundo Ordine Seraphico perfruebantur, omnes et singulas indulgentias defunctis etiam ad modum suffragii applicabiles, aliasque spirituales gratias, prout in infrascripto indice referuntur, iisdem Tertiariis Apostolica auctoritate Nostra in perpetuum concedimus et largimur.

Index novarum Indulgentiarum Tertio Ordini sæculari S. Francisci Assisiensis tribuendarum.

Indulgentiæ Plenariæ.

Tertiarii singuli, si vere pœnitentes et confessi ac S. Communione refecti Ecclesiam ubi sedes Sodalitii constituta sit, devote visitaverint, atque ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus fidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, lucrari valeant diebus vel festis infra scriptis.

I. Die XIV Januarii festo B. Odorici Conf. I Ord. — II. Die XVI Januarii festo SS. Berardi, Petri et Sociorum, Protomartyrum Ord. Seraph. — III. Die XXX Januarii S. Hyacinthæ de Mariscottis V. III Ord. — IV. Die I Februarii B. Andreæ de Comitibus Conf. I Ord. — V. Die V Februarii SS. Petri-Baptistæ et Sociorum Martyrum Japonensium I et III Ord. — VI. Die XIX Februarii S. Conradi a Placentia III Ord. — VII. Die XXI Februarii S. Angelæ Mericiæ V. III Ord. — VIII. Die XXII vel XXIII

(respective) Februarii S. Margaritæ de Cortona III Ord. — IX. Die VI Martii S. Coletæ V. II Ord. — X. Die IX Martii S. Catharinæ de Bononia V. II Ord. — XI. Die XXIV Aprilis S. Fidelis a Sigmaringa I Ord., Protomartyris S. C. de Prop. Fide. — XII. Die XXVIII vel XV (respective) Aprilis B. Luchesii, ex Tertiariis primi, qui ab ipso S. Institutore habitu Tertii Ordinis indutus fuit. — XIII. Die XVII Maii S. Paschalis Baylon I Ord., Patroni omnium Societatum a SS. Eucharistia. — XIV. Die XIX Maii S. Ivonis C. III Ord. — XV. Die XX Maii S. Bernardini Senensis vexilliferi SS. Nominis Jesu. — XVI. Die XXX Maii S. Ferdinandi Regis III Ord. — XVII. Die XIII Junii S. Antonii Patavini I Ord. — XVIII. Die VII Julii S. Laurentii a Brundusio I Ord. — XIX. Die VIII Julii S. Elisabeth Reginæ Portugalliæ III Ord. — XX. Die IX Julii vel XIII Septembris (respective) S. Veronicæ de Julianis V. II Ord. — XXI. Die XIV Julii S. Bonaventuræ Eccl. Doctoris I Ord. — XXII. Die XVI Augusti S. Rochi Conf. III Ord. — XXIII. Die XIX Augusti S. Ludovici Ep. Tolosani I Ord. — XXIV. Die IV Septembris S. Rosæ de Viterbio V. III Ord. — XXV. Die XVIII Septembris S. Josephi a Cupertino I Ord. — XXVI. Die XXVII Septembris S. Elzearii Comitis Ariani Conf. III Ord. — XXVII. Die VI Octobris S. Mariæ Franciscæ a Vulneribus Domini Nostri Jesu Christi Virg. III Ord. — XXVIII. Die XIII Octobris SS. Danielis et Sociorum Martyrum I Ord. — XXIX. Die XIX Octobris S. Petri de Alcantara I Ord. — XXX. Die XXVII Novembris B. Delphinæ Virg. Conjugis B. Elzearii III Ord. — XXXI. Die XXIX Novembris Omnium Sanctorum trium Ordinum S. P. Francisci. — XXXII. In festis Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, et in festo SS. Trinitatis. — XXXIII. In festis Nativitatis, Purificationis, Annuntiationis et Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis. — XXXIV. In festis S. Michaelis Archangeli, Sanctorum Angelorum Custodum, S. Joannis Baptistæ, ac Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. — XXXV. Die II Augusti indulgentiam Portiunculæ toties lucrandam, quoties ex primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi aliquam Ecclesiam sive publicum oratorium Primi, Secundi, vel Tertii Ordinis regularis, vel etiam aliam

Ecclesiam sive publicum oratorium ubi canonice erecta sit Congregatio Tertii Ordinis sæcularis, visitaverint, dummodo confessi et S. Communione refecti fuerint et sicut supra oraverint. — XXXVI. Iidem Tertiarii recitando *Pater*, *Ave* et *Gloria* quinquies pro incolumitate rei Christianæ et semel ad mentem Nostram, eas omnes Indulgentias toties quoties consequuntur, quas lucrantur fideles, qui Stationes Urbis, Portiunculam, Hierosolymitana loca, ædem S. Jacobi Apostoli Compostellensem visitant, servatis decretis VII Martii MDCLXXVIII § *Indulgentias vero,* XVI Februarii MDCCCLII et XIV Aprilis MDCCCLVI. — XXXVII. Iidem Tertiarii recitantes Coronam Franciscanam, scilicet septem Gaudiorum Beatæ Mariæ Virginis, quæ constat LXXII *Ave Maria* et septem *Pater Noster,* addito uno *Pater* pro Summo Pontifice, lucrantur Indulgentiam plenariam eidem recitationi pro Ordine Seraphico adnexam. — XXXVIII. Tertiarii renovantes professionem Tertii Ordinis die XVI Aprilis, anniversario Professionis S. Patris Francisci, vel si legitime impediti fuerint, Dominica immediate sequenti, culpis Confessione expiatis et SS. Eucharistia refecti plenariam Indulgentiam consequuntur.

Indulgentiæ partiales.

Tertiarii ex utroque sexu singuli, si Ecclesiam, in qua est sedes Sodalitii constituta, devote visitaverint, Deoque pro rei Christianæ incolumitate supplicaverint, Indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum lucrantur diebus infrascriptis. — I. In festis Desponsationis, Visitationis et Præsentationis Beatæ Mariæ Virginis. — II. Idem in festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis.

Demum iisdem Tertiariis, si sint infirmi vel convalescentes, nec commode possint e domo egredi, dummodo quinquies Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam devote recitaverint et ad mentem Nostram ut supra oraverint, lucrari possint omnes et singulas Indulgentias ac si personaliter visitarent Ecclesiam Ordinis vel Sodalitii. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut præsentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate con-

stitutæ munitis eadem prorsus habeatur fides, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VII Septembris MDCCCCI, Pontificatus Nostri Anno Vigesimo quarto.

ALOIS. Card. MACCHI.

(Loc. ✠ Sig.)

III. Decretum S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, quo exhibetur novum

SUMMARIUM

Indulgentiarum, Privilegiorum ac Indultorum

SODALIBUS TERTII ORDINIS SÆCULARIS

S. FRANCISCI ASSISIENSIS CONCESSORUM.

CAPUT Ium

Indulgentiæ Plenariæ.

I. Tertiariis ex utroque sexu vere pœnitentibus, confessis ac S. Synaxi refectis:

* 1. Die ingressus; (1)

* 2. Die professionis;

* 3. Quoties potioris vitæ studio per octo dies continuos spiritualibus exercitiis vacaverint;

* 4. Die 16 Aprilis, anniversario professionis S. P. Francisci, vel, si legitime impediti fuerint, Dominica immediate sequenti, dummodo professionem Tertii Ordinis renovaverint.

II. Iisdem Tertiariis si uti supra dispositi ad mentem Sanctitatis Suæ oraverint:

* 1. Bis in anno si Benedictionem nomine Summi Pontificis acceperint;

---

(1) Indulgentiæ quæ hoc signo * denotantur, concessæ sunt per Constitutionem quæ incipit *Misericors Dei Filius* diei 30 Maii 1883; aliæ vero per Litteras Apostolicas in forma Brevis diei 7 Septembris 1901.

Diebus sequentibus, quibus Absolutionem seu Benedictionem receperint, nempe:

* 2. Natali D. N. J. Chr.;

* 3. Paschatis Resurrectionis;

* 4. Pentecostes;

* 5. in festo SS^{mi} Cordis Jesu;

* 6. in festo Immaculatæ Conceptionis B. M. V.;

* 7. in festo S. Josephi Sp. B. M. V. (die 19 Martii);

* 8. in festo Impressionis SS. Stigmatum S. P. Francisci (die 17 Septembris);

* 9. in festo S. Ludovici regis Galliarum, Patroni cælestis salutaris Tertii Ordinis (die 25 Augusti);

* 10. in festo S. Elisabeth Hungaricæ (die 19 Novembris).

III. Iisdem Tertiariis, si uti supra dispositi aliquam Ecclesiam vel publicum Sacellum devote visitaverint et ad mentem Summi Pontificis aliquamdiu oraverint:

* 1. Quo die ad concionem menstruam, seu *Conferentiam*, conveniunt;

* 2. Semel singulis mensibus, quo die cuique placuerit.

IV. Iisdem Tertiariis, qui uti supra dispositi Ecclesiam ubi sedes Sodalitii est constituta devote visitaverint, diebus festis sequentibus:

1. SS^{mæ} Trinitatis;
2. Circumcisionis,
3. Epiphaniæ, } D. N. J. Ch.;
4. Ascensionis,
5. Nativitatis,
6. Purificationis, } B. Mariæ V.;
7. Annuntiationis,
8. Assumptionis
9. S. Michaelis Arch.;
10. SS. Angelorum Custodum;
11. S. Joannis Baptistæ;
12. SS. Apostolorum Petri et Pauli;
13. B. Odorici, Conf. 1 Ord. (14 Januarii);
14. SS. Berardi, Petri et Soc. Protomartyrum Ord. Seraph. (16 Jan.);
15. S. Hyacinthæ de Marescottis, Virg. 3 Ord. (30 Jan.);
16. B. Andreæ de Comitibus, Conf. 1 Ord. (1 Februarii);
17. SS. Petri-Baptistæ et Soc. Mm. Japonensium 1 et 3 Ord. (5 Febr.);

18. S. Conradi a Placentia, Conf. 3 Ord. (19 Febr.);
19. S. Angelæ Mericiæ, Virg. 3 Ord. (21 Febr.);
20. S. Margaritæ de Cortona, 3 Ord. (22 vel 23 Febr.);
21. S. Coletæ, Virg. 2 Ord. (6 Martii);
22. S. Catharinæ de Bononia, Virg. 3 Ord. (9 Mart.);
23. S. Fidelis a Sigmaringa Mart. 1 Ord. (24 Aprilis);
24. B. Luchesii, ex Tertiariis primi, qui ab ipso S. Institutore habitu Tertii Ord. indutus fuit (28 vel 15 Apr.);
25. S. Paschalis Baylon, Conf. 1 Ord. (17 Maii);
26. S. Ivonis, Conf. 3 Ord. (19 Maii);
27. S. Bernardini Senensis, Conf. 1. (20 Maii);
28. S. Ferdinandi Regis, Conf. 3 Ord. (30 Maii);
29. S. Antonii Patavini, Conf. 1 Ord. (13 Junii);
30. S. Laurentii a Brundusio, Conf. 1 Ord. (7 Julii);
31. S. Elisabeth Reg. Portug. 3 Ord. (8 Jul.);
32. S. Veronicæ de Julianis, Virg. 2 Ord. (9 Jul. vel 13 Septemb.);
33. S. Bonaventuræ Eccl. Doct. 1 Ord. (14 Jul.);
34. S. Rochi Conf. 3 Ord. (16 Aug.);
35. S. Ludovici Episc. Tolosani, 1 Ord. (19 Aug.);
36. S. Rosæ de Viterbio, Virg. 3 Ord. (4 Septembris);
37. S. Josephi a Cupertino, Conf. 1 Ord. (18 Sept.);
38. S. Elzearii Comitis Ariani, Conf. 3 Ord. (27 Sept.);
39. S. Mariæ Franciscæ a Vulneribus D. N. J. Ch., Virg. 3 Ord. (6 Octobris);
40. SS. Danielis et Soc. Mm. 1 Ord. (13 Octob.);
41. S. Petri de Alcantara, Conf. 1 Ord. (19 Octob.);
42. B. Delphinæ, Virg. 3 Ord. (27 Novembris);
43. Omnium Sanctorum Trium Ordinum S. Francisci (29 Novemb.).

V. Iisdem Tertiariis, uti supra pariter dispositis, qui Ecclesiam in qua sedes Sodalitii est constituta devote visitaverint, ibique pias preces ad mentem Summi Pontificis aliquamdiu effuderint:

* 1. Die festo S. Francisci Patris legiferi (4 Octobris);
* 2. Die festo S. Claræ Virg. legiferæ (12 Augusti);
* 3. Die festo Sancti Titularis Ecclesiæ in qua sedes Sodalitii est constituta;
4. Toties quoties ex primis vesperis usque ad occasum

solis diei 2 Augusti pariter ecclesiam vel etiam sacellum ubi est sedes Sodalitii visitaverint.

VI. Iidem Tertiarii recitando *Pater, Ave* et *Gloria* quinquies pro incolumitate rei christianæ et semel ad mentem Summi Pontificis, eas omnes indulgentias toties quoties consequuntur, quas lucrantur fideles qui stationes Urbis, Portiunculam, Hierosolymitana loca, ædem S. Jacobi Ap. Compostellanam visitant, servatis decretis 7 Martii 1678 § *Indulgentias vero*, 16 Febr. 1852 et 14 April. 1856.

VII. Iidem Tertiarii recitantes coronam Franciscanam, scilicet septem gaudiorum B M. V., quæ constat 72 *Ave Maria* et *Pater noster*, addito uno *Pater* pro Summo Pontifice, lucrantur indulgentiam plenariam eidem recitationi pro Ordine Seraphico adnexam.

* VIII. Tandem plenaria indulgentia iisdem Tertiariis morituris, si vere pœnitentes, confessi ac S. Synaxi refecti, vel saltem contriti, SS^{mum} Jesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint.

CAPUT II^{um}

Indulgentiæ Stationum Urbis.

* Diebus Stationum in Missali Romano descriptis iidem Tertiarii, si Ecclesiam, in qua sedes est Sodalitii constituta, visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, easdem indulgentias consequuntur, quas consequerentur præfatis diebus, si personaliter visitarent Ecclesias Urbis vel extra eam.

CAPUT III^{um}

Indulgentiæ Partiales.

I. *Septem annorum totidemque quadragenarum* omnibus ex utroque sexu Tertiariis qui Ecclesiam, in qua est sedes Sodalitii constituta, devote visitaverint et ad mentem Summi Pontificis oraverint:

* 1. Die Impressionis SS. Stigmatum.
* 2. In festo S. Ludovici Regis;
* 3. In festo S. Elisabeth Hungaricæ;
* 4. In festo S. Margaritæ Cortonensis;

* 5. In festo S. Elisabeth Reginæ Lusitaniæ;

* 6. In aliis duodecim diebus ad libitum eligendis, cum approbatione tamen præfecti Ordinis;

7. In festo Desponsationis,
8. In festo Visitationis, } B. M. V.;
9. In festo Præsentationis
10. In festo Inventionis et
11. In festo Exaltationis S. Crucis.

* II. *Tercentorum dierum:* Sodalibus Tertiariis quoties Missæ aliisque divinis officiis vel Sodalitatis conventibus publicis vel privatis interfuerint; — inopes hospitio receperint; — dissidia composuerint vel componenda curaverint; — processionibus interfuerint; — SS. Sacramentum cum circumfertur, comitati fuerint: vel, si hoc facere nequiverint, ad pulsum campanæ Orationem Dominicam cum Angelica Salutatione semel recitaverint; — quinquies *Pater* et *Ave* recitaverint rei christianæ vel animabus Sodalium defunctorum Deo commendandis; — defunctos ad sepulturam comitaverint; — devium quemquem ad officium reduxerint; — Dei præceptis ceterisque ad salutem necessariis quempiam erudierint: — aut tandem quodcumque pium opus pietatis vel caritatis exercuerint.

Omnes et singulæ indulgentiæ hucusque relatæ, excepta tamen plenaria in articulo mortis lucranda, sunt etiam applicabiles animabus defunctorum in purgatorio detentis (Constit. 30 Maii 1883; Breve 7 Septembris 1901).

CAPUT IVum

Privilegia.

* 1. Sacerdotes Tertiarii ad quodlibet Altare Missam celebrantes gaudent indulto Altaris privilegiati personalis tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo simile indultum pro alia die non impetraverint (Constit. 30 Maii 1883).

* 2. Missæ omnes quæ in suffragium Sodalium defunctorum celebrantur, sunt semper et ubique privilegiatæ (Ibid.).

CAPUT Vum

Indulta.

1. Tertiarii omnes legitime impediti quominus Ecclesiam adeant Absolutionem generalem diebus assignatis, qui profesti sunt, accepturi, eam accipere valent alio die festo de præcepto, qui intra octiduum eorum profestorum dierum occurrat (Resc. S. C. Indulg. 16 Januarii 1886).

2. Tertiarii Absolutionem Generalem pridie festi, post expletam sacramentalem confessionem recipere valent (Decr. S. C. Indulg. 2 Julii 1888).

3. Tertiarii degentes in locis ubi nulla adest constituta Tertii Ordinis Sodalitas, loco Benedictionis nomine Summi Pontificis, bis in anno Absolutionem seu Benedictionem cum adnexa plenaria indulgentia recipere valent (Decr. S. C. Indulg. 31 Januarii 1893).

4. Tertiarii, si sint infirmi vel convalescentes, nec possint commode e domo egredi, recitando quinque *Pater* et *Ave* et orando ad intentionem Summi Pontificis, lucrantur easdem indulgentias ac si personaliter visitata fuisset Ecclesia Ordinis vel Sodalitii (Breve 7 Septembris 1901).

5. Iidem Tertiarii infirmi vel convalescentes Absolutionem generalem recipere, et etiam omnes plenarias indulgentias pro determinatis diebus concessas lucrari valent quacumque die infra octiduum festi cui absolutio vel plenaria indulgentia est adsignata, ceteris adimpletis conditionibus (Rescr. S. C. Indulg. 13 Aug. 1901). (1)

6. Tertiarii omnes lucrari valent indulgentias tam omnibus fidelibus Ecclesias franciscales visitantibus concessas, quam illas quæ Tertii Ordinis sæcularis sunt propriæ, ea conditione ut Ecclesiam parochialem visitent in omnibus iis locis ubi neque Ecclesiæ franciscales, neque Oratoria publica Tertii Ordinis sæcularis, aut alia Ecclesia, in qua canonice erecta sit Sodalitas, existunt (Decr. S. C. Indulg. 30 Januar. 1893).

DECRETUM.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præ-

---

(1) Hoc novissimum Rescriptum vid. suprà p. 606.

posita, utendo facultatibus a SSmo Dno Nostro Leone Pp. XIII sibi tributis, præsens Summarium omnium Indulgentiarum, Privilegiorum ac Indultorum Sodalibus Tertii Ordinis Sæcularis S. Francisci Assisiensis concessorum, nunc primum ex authenticis documentis excerptum, recognovit et approbavit, typisque mandari benigne permisit.

Datum Romæ ex Secret. ejusdem S. C. die 11 Septembris 1901.

S. Card. CRETONI, *Præf.*

(Loc. ✠ Sig.)

Pro R. P. D. Franc. Archiep. Amiden., *Secret.*
I. M. Canonicus Coselli, *Substitutus.*

Adnotationes.

Pro sua in Tertium S. Francisci Ordinem benevolentia, dignati sunt Romani Pontifices decursu sæculorum amplissimis indulgentiis et privilegiis Tertiarios ditare, non solum novis sibi succedentibus indultis directe Tertio ordini concessis, sed etiam per communicationem cum Primo et Secundo Ordine Franciscali. Ex diversissimis igitur documentis inter se conferendis et magno labore conciliandis hauriendus erat elenchus favorum spiritualium quibus gaudebant Tertiarii. Non mirum proinde, maxime ob difficilem privilegii communicationis interpretationem, quam plurima de indulgentiarum existentia, extensione et conditionibus oborta esse dubia.

Quare, quum Leo XIII, constitutione *Misericors Dei Filius* d. d. 30 Maii 1883 (1), Tertii Ordinis regulam eo consilio mitigaret ut hæc aptius « iis quibus nunc vivitur, temporibus atque moribus responderet », conatus est simul efficere ut, quantum ab humana imbecillitate obtineri potest, de indulgentiis illis nullus jam relinqueretur hæsitandi locus. Ideo « revocatis abrogatisque indulgentiis omnibus quæ hactenus valuerant »

(1) Cf. *Nouv. Rev. theol.*, 1883, p. 195 sqq.

alias quasdam decrevit easque in brevem et perspicuum indicem collegit, constitutioni suæ insertum.

Verum ob enixas sibi oblatas preces, per breve diei 7 Julii 1896 (1), concessit *ad quinquennium* Tertio Ordini *communicationem* non quidem privilegiorum sed « indulgentiarum ac piorum operum quibus Primus et Secundus Ordo Franciscalis pollet ». Sed interpretatio extensionis hujus communicationis ansam denuo præbuit novis dubiis et disputationibus, præsertim quum in Summario indulgentiarum Primi et Secundi Ordinis Seraphici plura inveniantur sat obscura (2).

Ob hanc forte causam noluit SS. D. N. Leo XIII, elapso jam præfato quinquennio, prorogare aut renovare concessionem die 7 Julii 1896 factam, sed, rogantibus Ministris Generalibus Ordinum S. Francisci (3), loco indulgentiarum quibus Tertiarii *vi communicationis* fruebantur, alias easque amplissimas partim olim communicatas, partim novas, *directe et in perpetuum* Tertiariis concedere dignatus est. Hæ omnes gratiæ spirituales diserte recensentur in ipso brevi apostolico *Qui multa* (4).

Fontes igitur, ex quibus deinceps hauriendæ erunt Tertii Ordinis indulgentiæ ac favores, sunt: Const. *Misericors*, diei 30 Maii 1883, et Breve Apostolicum, diei 7 Sept. 1901; quibus accedunt tamen quædam specialia decreta aut rescripta a S. Cong. Indulg. post a. 1883 emanata, diebus nempe 16 Jan. 1886 (5), 21 Jul. 1888 (6), 31 Jan. 1893 (7) et 13 Aug. 1901 (8). Has omnes

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. I, 259 sqq.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 623.

(3) Cf. libellum supplicem ap. *Anal. Ord. Min. Capuc.* t. XVII, p 289

(4) Supra p. 607.

(5) *Nouv. Rev. Théol.*, t. XVIII, p. 177.

(6) Ibid. t. XX, p. 468. Apud *Analecta Ordinis Minor. Capucc.*, t. XVII, p. 295, in *Summario* adscribitur hoc decretum diei 2 Jul. Cf. supra p 616.

(7) Ibid. t. XXV, p. 271. Apud *Anal. Ord. Min. Capuc.*, t. XVII, p 295 in *Summario* semel adscribitur diei 30 Jan. 1893. Cf. supra p. 616.

(8) Supra p. 606.

concessiones ipsa S. Congregatio authentice in unum collegit *Summarium*, capitibus et numeris distinctum et talibus conceptum formulis ut plura dubia antea exorta jam evanescant.

De nonnullis nunc in specie quædam notanda veniunt.

*
* *

I. **De benedictione papali.** A sacerdote debitam facultatem habente hæc impertiri potest duobus in anno diebus (1) pro lubitu, non tamen « eodem die *et* in eodem loco ubi eam Episcopus impertit » (2). Dari autem non valet privatim singulis seorsim Tertiariis, sed publice Congregationi coadunatæ. Ne igitur Tertiarii qui degunt in locis ubi nulla existit Tertii Ordinis congregatio hoc favore priventur, conceditur ipsis ut valeant bis in anno, loco benedictionis papalis, recipere a confessario quocumque, statim post expletam confessionem, absolutionem generalem (3).

II. *De benedictione cum indulgentia plenaria, quam* **absolutionem generalem** *vocant.*

1. Hæc, vigente brevi apostolico 7 Jul. 1896, impertiri poterat non tantum novem diebus expresse in const. *Misericors* enumeratis, sed insuper iis aliis diebus quibus eam recipere valent Franciscales regulares (4). Verum, sublata nunc communicatione cum Primo et Secundo Ordine, non supersunt jam nisi *novem dies assignati* in const. *Misericors,* qui iidem distincte repetuntur in *Summario*, c. I, n. II, 2-10.

2. *Iis ipsis diebus* benedictio impertiri potest publice congregationi coadunatæ a sacerdote debita facultate munito, et etiam privatim statim post expletam sacramentalem confessionem, a quocumque confessario, etiam non Tertiario.

---

(1) Cf. *Summarium,* c. I, n. I, 1.
(2) Breve Apostol., 7 Jul. 1882.
(3) S. Congr. Indulg., 31 Jan. 1893, ad XIII et XIV; *Summ.* c. V. n 3.
(4) Cf. *Collat. Brug.*, I, p. 562.

3. Imo Tertiarii privatim, ut supra, hanc benedictionem recipere valent etiam *pridie* dierum præfatorum (1).

4. Inter dies enumeratos occurrunt quidam qui non sunt festa de præcepto, sed, uti aiunt, dies profesti. His autem diebus, facile evenit ut Tertiarii rationabili causa impediantur quominus ecclesiam adeant absolutionem generalem accepturi. Jamvero illis qui ita legitime impediti fuerint, impertiri potest etiam publice benedictio cum indulgentia plenaria *die dominico vel festivo de præcepto qui occurrat intra octiduum diei profesti* (2). Potest igitur sodalitatis director hanc benedictionem publice impertire duplici vice: in ipso profesto assignato, pro omnibus qui ecclesiæ adesse valent, et insuper sequenti die dominico vel festivo de præcepto, in gratiam eorum tantum qui præfato die legitime impediti fuerant. Sed non posset pro omnibus indiscriminatim differre absolutionem generalem usque in hanc alteram diem.

5. Ulterius adhuc voluit Romanus Pontifex manifestare suam in Tertium Ordinem propensionem et extendere suam benignitatem erga Tertiarios ægrotos et convalescentes. Nuperrimo enim rescripto S. Congr. Indulg. 13 Aug. 1901 (3), in *Summario* c. V, n. 5 assumpto, conceditur ipsis ut valeant a confessario post sacramentalem confessionem recipere benedictionem cum indulgentia plenaria, *quacumque die infra octiduum festi vel profesti* cui absolutio generalis est assignata, dummodo ceteras adimpleant conditiones.

6. Hæ autem *conditiones*, de quibus olim forsan moveri poterat quæstio (4), perspicue nunc enuntiantur in *Summario* c. I, n. II, collato n. I. Sunt nempe confessio, communio et preces ad intentionem Summi Pontificis.

---

(1) *Summ.*, c. V, n. 2.
(2) Ibid. c. V, n. 1.
(3) Suprà p. 606.
(4) Vide v. g. *Nouv. Rev. Théol.* 1887, p. 508 sqq.

III. In *Summario* sub primi capitis numeris I, III, IV et V recensentur quam plurimi dies in quibus acquiri potest indulgentia plenaria. Discrimen inter hos numeros consistit in diversitate operum injunctorum. Semper requiritur confessio et communio, sed:

1/ pro n. I debet fieri vel ingressus, vel professio, vel renovatio professionis die statuta, vel secessus octo dierum;

2/ pro n. III requiruntur visitatio *cujuscumque ecclesiæ* et preces ad mentem Pontificis;

3/ pro n. IV exigitur visitatio *ecclesiæ in qua est sedes sodalitii;*

4/ pro n. V, requiritur insuper ut in ipsa ecclesia sodalitii aliquamdiu orent ad intentiones Summi Pontificis.

IV. *De indulgentia* **Portiunculæ** *nuncupata.*

1. Antea Tertiarii poterant die 2ª Augusti *semel* tantum acquirere indulgentiam plenariam, modo confessi ac S. Communione refecti visitarent templum in quo est sedes sodalitii et ibidem ad mentem Pontificis orarent (1).

Nunc vero, nova Pontificia benignitate conceditur ut omnes Tertiarii confessi et S. Communione refecti valeant indulgentiam Portiunculæ nuncupatam lucrari *toties quoties*, a primis vesperis usque ad occasum solis diei 2ᵃᵉ Augusti, *visitant ecclesiam ubi canonice erecta est Tertii Ordinis Confraternitas* ibique ad mentem Pontificis preces fundunt (2).

2. Insuper Tertiarii qui degunt in locis ubi non exstat ecclesia Franciscalis aut oratorium publicum Tertii Ordinis regularis aut ecclesia in qua canonice est erecta sodalitas Tertii Ordinis sæcularis, valent, sicut antea, eamdem indulgentiam Portiunculæ toties quoties lucrari

---

(1) Const. *Misericors*, index indulg. c. I, n. IV.

(2) *Summ.* c. I, n. IV, 4. Hac largiori concessione evidenter absorbetur concessio constitutionis *Misericors*, quæ ideo in *Summario* jam non est inserta.

visitando ecclesiam parochialem iisdem conditionibus ut supra (1).

3. Præterea Tertiarii ægroti vel convalescentes nec commode valentes e domo egredi eamdem indulgentiam lucrantur toties quoties tempore præfato recitant quinque *Pater* et *Ave* et orant ad intentionem Summi Pontificis (2). Requiritur confessio et S. Communio; sed etiam S. Communionem valet quilibet confessarius pro hujusmodi ægrotis in aliud pium opus commutare, vi decreti *Urbis et Orbis* 18 Sept. 1862 (3).

V. *De recitatione* **sex Pater, Ave et Gloria.**

Tertiarii qui, etiam nec confessi nec S. Communione refecti, recitant sex *Pater, Ave* et *Gloria*, quinque nempe pro incolumitate rei christianæ et unum ad mentem Pontificis, lucrantur omnes indulgentias *reales* concessas ecclesiis stationalibus Urbis, ecclesiæ Portiunculæ, locis Hierosolymitanis et ædi S. Jacobi Compostellanæ, quasque acquirerent si *hac die et hac vice* præfata sanctuaria revera visitarent, ita tamen ut indulgentiæ *plenariæ semel tantum in die*, partiales vero toties quoties, etiam pluries in die, lucrifieri possint. Cum hac triplici restrictione intelligenda est concessio in *Summario* c. I, n. VI facta. Quam interpretationem jam partim stabilivimus (4) et quoad cetera data opportunitate vindicabimus (5) inquirendo ulterius de indulgentiis quæ hac concessione acquiri possunt.

VI. Tertiarii qui, licet non confessi et S. Communione refecti, et etiamsi utantur rosario consueto 5 decadum, recitant **coronam Seraphicam** quæ constat 72 *Ave Maria* et 7 *Pater noster*, addito uno *Pater* pro summo Pontifice, (h. e. 7 decadibus et insuper 2 *Ave*

---

(1) Decr. S. Cong. Ind. 31 Jan. 1893, ad XII, in *Summ.* c. V, n. 6 assumptum.

(2) *Summ.* c. V, n. 4.

(3) Quod vide citatum ap. *Coll. Brug.* t. V, p. 333.

(4) *Coll. Brug.* t. IV, p. 299 sqq.

(5) Cf. *Canoniste Contemporain*, 1899, p. 655 sqq.

et uno *Pater*) sibi comparare valent quotidie, non autem pluries in die (1), indulgentiam plenariam.

Duobus ultimis favoribus jam antea gaudebant Tertiarii virtute communicationis, nunc autem vi directæ concessionis perpetuæ.

VII. De privilegio **altaris privilegiati** olim dubitabant quidam utrum missa celebrata pro defuncto sodali sed *a sacerdote non Tertiario* esset privilegiata. Nunc vero clare enuntiatur omnes missas a quocumque sacerdote celebratas in suffragium Tertiariorum defunctorum esse semper et ubique privilegiatas (2).

VIII. Conceduntur tandem quædam **indulta specialia** ratione habita peculiaris conditionis in qua quosdam Tertiarios versari contigerit. Jam egimus de iis quæ spectant benedictionem papalem (3) et absolutionem generalem impertiendam (4).

1. Sunt plurimæ indulgentiæ quæ comparari possunt vel ab omnibus Christifidelibus visitando certis diebus aliquam ecclesiam Franciscalem, vel a solis Tertiariis visitando ecclesiam ubi erecta est legitime confraternitas Tertii Ordinis sæcularis (5). Jamvero Tertiarii qui degunt in locis ubi nulla talis exstat ecclesia has omnes indulgentias iisdem diebus acquirere possunt, substituendo visitationi præfatæ ecclesiæ *visitationem propriæ ecclesiæ parochialis* (6). Hujus indulti applicationem jam instituimus quoad indulgentiam Portiunculæ (7).

2. Sed et illi Tertiarii qui sunt infirmi vel convalescentes nec commode e domo egredi possunt, has indulgentias sibi comparare valent, dummodo loco

---

(1) Cf. *Collat. Brug.* t. IV, p. 308.
(2) *Summ.* c. IV, n. 2.
(3) Suprà n. I, p. 619, coll. *Summ.* c. V, n. 3.
(4) Suprà n. II, 3, 4, 5, pp. 619-620, coll. *Summ.* c. V, nn. 2, 1, 5.
(5) Vide v. g. *Summ.* c. I, nn. IV et V.
(6) *Summ.* c. V, n. 6.
(7) Suprà n. IV, 2, p. 621.

singulæ visitationis instituendæ recitent 5 *Pater* et *Ave* et insuper orent ad mentem Summi Pontificis (1). Præterea, sicut omnes alii Christifideles in hujusmodi impotentia versantes, possunt a confessario obtinere S. Communionis commutationem in aliud pium opus (2).

Ex hoc amplissimo « spiritualium bonorum præmio » non minus quam ex laudibus quibus Tertius Ordo evehitur in nuperrimo citato Brevi apostolico, luculenter apparet quam ardenter SS. D. N. Leo XIII cupiat ut multi « ad Tertium Ordinem possint adduci ».

C. C.

Consultationes

I

Adoratio perpetua SS. Sacramenti in mea ecclesia occurrit die 2 Novembris, qua fit Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum. Quæritur 1° an missa solemnis de SS. Sacramento hac die cantari potest vi indulti concessi 30 Martii 1846 pro Diœcesi Brugensi, an vero illa missa prohibetur decretis quibus præscribitur, ut omnes missæ illa die, sola, ubi dicenda est, conventuali excepta, sint *de Requie*. 2° An missæ possunt vel debent esse *de Requie* in colore nigro. 3° An illa die solemnis Commemoratio Omnium Fidelium defunctorum celebrari potest per officium defunctorum et missam solemnem *de Requie,* prouti mos est in aliis ecclesiis, an vero potius pro mea ecclesia transferenda est hæc commemoratio solemnis?

(1) *Summ.* c. V, n. 4.

(2) Vi decreti S. Cong. Indulg. *Urbis et Orbis*, 18 Sept 1862. Cf. suprà n. IV, 3. Vigore hujus decreti possunt omnes Christifideles pariter infirmi obtinere commutationem *visitationis*, sed Tertiariis hæc commutatio conceditur indulto apostolico directe sine recursu ad confessarium.

R. Ad rem hic adduci potest S. Congregationis Rituum Decretum generale *Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum*, 9 Julii 1895 ad IV: « Si autem in solemni hac Defunctorum Commemoratione Expositio SS. Sacramenti habenda sit pro Oratione 40 Horarum, Missa unica de eo non omittatur; sed reliquæ sint pro defunctis, ad Altare Expositionis non dicantur et celebrentur in colore violaceo. »

Unde 1° Cum indultum speciale cantandi in Adoratione perpetua missam votivam de SS. Sacramento Diœcesi Brugensi concessum sit « ad formam Instructionis S^tæ Mem. Clementis Papæ XII... pro expositione SS. Sacramenti in Oratione Quadraginta Horarum » (1) et in hac instructione Clementina non excipiatur dies Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, cum insuper in decreto supra citato 9 Julii 1895 expresse dicatur in casu Orationis 40 Horarum missam unicam de SS. Sacramento non esse omittendam, evidenter sequitur in Adoratione perpetua, ubi occurrit 2 Novembris, cantari posse missam votivam de SS. Sacramento. Idem dicendum pro casu quo Commemoratio Defunctorum transfertur in 3 Novembris pro illis ecclesiis in quibus hac die 3 occurrit Adoratio perpetua).

2° Missæ privatæ tempore Expositionis dici debent de *Requie:* « reliquæ (præter eam de SS. Sacramento) sint pro defunctis » ait decretum citatum. Debent tamen celebrari non in Altari Expositionis sed in aliis: « ad altare Expositionis non dicantur »; quod etiam factum est decreto 14 Junii 1873 (n° 3302), quo rescribitur: « *In altari*, ubi publice exponitur SS. Sacramentum, sive in Pyxide, sive in Ostensorio Missæ *de Requie* tempore quo Expositio perdurat omnino prohibentur ». Tandem illæ Missæ « celebrantur in colore violaceo ». Tempore ergo Expositionis excluditur in paramentis color niger. In missis autem quæ celebrantur ante

(1) Quod indultum vide in *Collectione Epist. Past.* tomo V, p. 115.

inceptam Expositionem utendum est paramentis nigris, juxta decretum generale 27 Junii 1868, confirmatum 23 Julii, quo decernitur: « missas defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris, adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu, quo die 2 Novembris Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum publicæ fidelium Adorationi sit expositum pro solemni Oratione Quadraginta Horarum », scilicet ubi et donec Eucharistia solemniter exposita habeatur (1). Quod applicandum est, uti diximus, Adorationi perpetuæ quæ locum tenet Orationis quadraginta horarum et ad hujus instar peragitur.

3° Ex eodem decreto generali 9 Julii 1895 eruitur Commemorationem Omnium Fidelium defunctorum non esse transferendam in aliam diem ratione occurrentiæ Quadraginta horarum vel Adorationis perpetuæ. Cum enim ad II et III indicantur casus in quibus hæc translatio facienda sit, nulla omnino mentio fit de occurrentia Quadraginta Horarum. Insuper decretum, uti diximus, ad IV expresse permittit imo præcipit præter missam SS. Sacramenti, non obstante Expositione solemni, celebrari missas pro defunctis, utique in colore violacea, excluso nigro, propter SS. Eucharistiam expositam. Supponitur ergo ea die juxta rubricas fieri Commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum et non obstare Orationem Quadraginta Horarum. Nec decretum prohibet missam solemnem vel cantatam *de Requie,* cum simpliciter sine distinctione decernat *reliquas* missas esse pro defunctis. Unde nihil obstat quominus in casu cantetur missa *de Requie,* dummodo extra Altare Expositionis et in colore violaceo.

Quid autem de officio Defunctorum? Certe hoc juxta rubricas ea die recitandum est ab omnibus ad horas Canonicas obligatis. An cantari potest? Decretum citatum 9 Julii 1895 ad I declarat: « Matutinum Defun-

(1) Cfr. decr. gen., *2 Dec. 1891, ad I, n° 3755.*

ctorum die 2 Novembris juxta rubricas recitandum, non solum privatim, sed etiam *publice in Choro*, anticipari posse die 1 ejusdem mensis; » ideoque occurrente die 2 Novembris Adoratione perpetua, potest officium cantari pridie ante inceptam Expositionem. Sed quominus cantetur ipsa die, non videtur obstare Solemnis Expositio; cum enim *missa de Requie* cantari permittatur in colore violaceo, non videtur ratio cur Officium defunctorum prohibeatur extra altare Expositionis et excluso colore nigro. Quod docent etiam auctores (1), innixi decreto *Romana*, 16 Septembris 1801, quo declaratur in ecclesiis, in quibus expositum manet SS. Sacramentum pro Adoratione Quadraginta horarum, occurrente die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum licere « *recitare Officium Defunctorum* et celebrare *missam solemnem* et etiam missas privatas itidem defunctorum ». Decretum istud e nova Collectione authentica expunctum quidem est, forsan tanquam inutile propter insertum novum decretum generale anni 1895, « quod omnem rem regat et absolvat » (2), sed cum a decretis in nova collectione insertis non dissonet, veluti abrogatum censendum non est (3).

An etiam licet in casu facere post Missam Solemnem

---

(1) Cfr. De Herdt, Tomo III, nº 109, 3º; Ill. Van der Stappen, *Tract. de Admin. Sacram.*, q. 187, Append. II in fine.

(2) Cfr. Monitum « *Lectori benevolenti,* » præfixum novæ Collectioni Decretorum in fine, regula II.

(3) Cfr. Decr. *Urbis et Orbis*, novæ Collectioni præfixum. — Decr. 8 feb. 1879 (nº 3479) ad dub. 2: « Num, durante Expositione Augustissimi Sacramenti, Officium pro defunctis recitari vel cantari liceat in Choro? Resp. Negative ». Sed notetur agi de cantu vel recitatione *in Choro,* in quo ordinarie fit Expositio. Dein adverti potest hic dari regulam generalem quæ exceptionem pati potest pro solemni die Commemorationis Omnium defunctorum. Ita etiam quoad missas, decretum 19 junii 1879 (nº 3357) rescripsit modo generali: « Juxta Instructionem Clementinam iis diebus (Expositionis 40 Horarum) abstinendum esse à celebrandis missis defunctorum sive solemnibus, sive lectis », quod tamen non impedit quominus decr. generalia 27 junii 1868 et 9 julii 1895 (vide supra) has missas pro die Commemorationis, 2 novembris, permittant imo præscribant in occurrentia Orationis 40 Horarum.

Absolutionem ad tumulum seu castrum doloris? Hæc certe licita non est. Cum enim in hac Solemni Expositione removenda sint paramenta nigra, evidenter inconveniens et illicitum erit erigere tumulum panno nigro coopertum, eadem perdurante Expositione. Quod confirmatur decreto SS. Congr. Rituum 13 Julii 1883: Dubio proposito an servari posset in ecclesiis quibusdam Diœcesis Conversanensis, in octiduo Fidelium defunctorum, *praxis existens* exponendi SS. Sacramentum post Completorium ac cantandi vesperas defunctorum et faciendi Absolutionem tumuli cum cantu *Libera me*, ante SS. Sacramentum *velo tamen coopertum*, respondit: Expositionem SS. Sacramenti fieri non posse « nisi absoluto defunctorum officio *(non agitur de Expositione 40 Horarum)* et *remoto, si fieri potest tumulo*, vel saltem extinctis candelis circa illum accensis ». Unde concludendum in Solemni Expositione Adorationis perpetuæ tumulum non esse erigendum et consequenter absolutionem esse omittendam (1). Cæterum, extra exequias (de quibus Rituale Romanum), ex lege ecclesiastica nulla habetur per se obligatio, faciendi Absolutionem post missam *de Requie*, prouti innuit Missale Romanum, dum dicit *(Ritus Celebr. Missam*, tit. XIII, 4): « Finita missa *si facienda est absolutio* » etc., qui loquendi modus obligationem non supponit, et prouti declaravit S. Congr. Rit., 31 Julii 1665 ad 6: « non ex obligatione, sed ad arbitrium faciendam esse absolutionem in anniversariis mortuorum »; et decr. 4 Sept. 1875 ad II, post missas quotidianas fieri absolutionem « ad libitum nisi accedat mandatum illius qui eleemosynam obtulit ». Diximus *per se* nullam haberi obligationem, hæc enim « dari potest ex justitia, nempe

(1) Quod de Absolutione ad tumulum dictum est, applicari debet Absolutioni quæ juxta *Cæremoniale Episcoporum* super pannum *nigrum* vel *lecticam mortuorum* ante gradus altaris positam, fieri potest post missam a celebrante stante in cornu Epistolæ. Vide De Herdt, III, nº 267.

ex fundatione vel ex pia voluntate petentium vel ex consuetudine » (1) à quibus in casu præscindimus.

H. V. D. W.

II

Quæritur. Per decursum missionis ad Jubilæum præparatoriæ, confessario occurrit pœnitens, qui quidem Jubilæum lucrari intendit et ad hunc effectum præscriptis visitationibus interfuit, sed qui nullatenus, vel sacrilege tantum, implevit præceptum communionis et confessionis annuæ.

Liceat postulare utrum confessarius in hujusmodi pœnitentis gratiam uti posset privilegiis Jubilæi?

Respondetur.

Ratio dubitandi est quod, juxta rescripta S. Pœnitentiariæ, 26 Febr. 1875 et 25 Martii 1881, « una et eadem confessione ac communione non possit satisfieri præcepto paschali et simul âcquiri Jubilæum »; unde pronum esset eruere pœnitentem non posse confiteri *in ordine ad lucrandum Jubilæum*, quod ad favorum fruitionem omnino requiritur, quin præviè confessionem (2) et communionem instituerit ad implendum præceptum communionis et confessionis annuæ: prima nimirum quam peraget confessio et communio erit impletiva præcepti, et altera dumtaxat ipsi suffragabitur ad jubilarem Indulgentiam consequendam.

Hoc tamen non obstante, censemus sententiam affirmantem esse ad minus probabilem, adeoque eam posse, donec contrarium expresse doceamur, in praxim deduci.

Et profectò confessio *in ordine ad lucrandum Jubilæum instituta,* in qua sola confessarius uti potest privilegiis concessis, non est confessio quæ talis sit qua pœnitens conditionibus præscriptis reipsa satisfaciat ac Indulgentiam lucretur, sed talis quæ peragatur *cum*

(1) Ill. Van der Stappen; l. c , nº 283; Cfr. De Herdt, l c., nº 264.
(2) Supponitur pœnitens gravis peccati reus.

animo serio et sincero Indulgentiam consequendi et opera ad id præscripta adimplendi, uti ipse Pontifex, in Constitutione *Temporis quidem sacri*, authentice interpretatur.

Jamvero hoc jam in prima confessione optime verificari posse videtur, modo pœnitenti, de quo quæritur, in animo sit post primam confessionem et communionem, ecclesiastici præcepti impletivas, alteram confessionem et communionem instituere ad hoc ut conditionibus pro lucrando Jubilæo præscriptis faciat satis.

Nota. Modò asserta necessitas duplicis confessionis et communionis corollarii ad instar evidenter sequitur ex principio in fronte hujus responsi posito, adeoque est urgenda quamdiu, per specialem concessionem, statutæ regulæ non derogatur.

Hujusmodi derogatio, si fides sit adhibenda Arizzoli, *Dubia et Responsa*, 1901 (1), obtinuisse videtur (2), saltem quoad communionem (3), pro Jubilæo extensionis 1826, quam derogationem censet laudatus Auctor, quin cæteroquin fundamentum quo nitatur indicet, ad præsens Jubilæum esse extendendam.

A. D. S.

---

(1) En quomodo referat, ad sensum et non ad verbum, subobscurum responsum S. Pœnitentiariæ, cujus responsi tenorem frustrà quæsivimus: « Tamen si forte eveniat ut accedat ad communionem pro Jubilæo qui non satisfecerit præcepto paschali, et accedat ad eam communionem, *quando præceptum illud non amplius urgeat;* hic non tenetur bis Eucharistiam sumere. — Ex responso S. Pœnitentiariæ diei 23 Nov. 1826. ».

(2) Quasi hæsitanter loquimur propter obscuritatem verborum: « quando præceptum illud non amplius urgeat »; stricto namque jure urget præceptum paschale quoad communionem annuam per totum annum paschalem; nihilominus sensus esse videtur quod, transacta quindena paschali (extra quam urget lex communionis *annuæ* potius quam lex communionis *paschalis*), præcepto communionis et conditionibus Jubilæi per *unam* communionem posset satisfieri.

(3) Dicitur: saltem quoad communionem », quia suspicari licet hanc disciplinæ mitigationem, in quantum est admittenda, esse introductam in gratiam fidelium minus ferventium, ne nimio onere perterriti a lucrando Jubilæo avertantur; quo pacto non immeritò forsan diceres illud moderamen, ob paritatem rationis, applicari etiam confessioni, utpote quæ passim hujusmodi fidelibus non minus est oneri quam communio.

MEMENTO

DU

SECRÉTAIRE TRÉSORIER

DES SOCIÉTÉS MUTUALISTES DE RETRAITE

Contenant 1° la loi sur les Sociétés Mutualistes ; 2° le texte coordonné des lois et arrêtés organiques de la caisse de Retraite; 3° la loi du 10 Mai 1900 sur les Pensions de Vieillesse ; 4° l'arrêté royal du 20 Octobre 1900 relatif à l'allocation annuelle de 65 francs ; 5° la liste des fédérations reconnues jusqu'à ce jour, le tout augmenté de nombreuses observations d'une portée pratique, formules, tables, renseignements, etc., etc.

PAR F. SERVAIS,
Secrétaire-Trésorier de la Mutualité « *La Chièvroise* ».

AVEC LA COLLABORATION

de l'Abbé Ach. CAMERLYNCK,
Professeur d'Économie sociale au Séminaire de Bruges.

Imprimerie DECALLONNE-LIAGRE, TOURNAI 1901.

Magnifique volume de 450 pp. in-12, reliure souple :
2 frs, *par la poste* **2 frs 15.**

Le secrétaire-trésorier d'une Société mutualiste de Retraite peut avoir des relations forcées avec le Ministère du Travail, la Commission permanente des sociétés mutualistes, l'Administration de la Caisse générale d'Épargne et de Retraite, les Autorités provinciales, judiciaires, communales, avec ses collègues en administration, sa clientèle d'affiliés, des tierces personnes. Une casuistique complexe résulte de cette multiplicité de rapports. Les difficultés d'interprétation des textes légaux, l'incertitude au sujet de la procédure à suivre dans telle ou telle circonstance spéciale, le manque d'initiation aux méthodes de propagande et de gestion sanctionnées par l'expérience compliquent souvent la situation délicate de ce zélé fonctionnaire et lui font sentir la nécessité d'un guide qui le mette d'emblée sur

la voie tout en dissipant ses hésitations. C'est la constatation répétée de ces faits qui a inspiré à MM. Servais et Camerlynck, l'idée de publier un manuel qui fut comme une *encyclopédie portative* à l'usage des secrétaires-trésoriers des mutualités de retraite. La tâche était assez ingrate car il ne s'agissait de rien moins que d'analyser les nombreux commentaires existant sur la législation nouvelle, de les comparer entre eux, d'en extraire les passages d'une portée vraiment pratique, de choisir les interprétations les plus faciles à saisir, d'ajouter au besoin quelques éclaircissements de science personnelle, divers documents utiles ou intéressants et de suppléer ça et là à l'insuffisance des données acquises. Il fallait encore suivre pas à pas les règlements organiques de la Caisse de Retraite pour en compléter chaque article au moyen de notes, formules, tarifs, etc., relativement à leur application. Enfin, il était nécessaire de rajeunir, rectifier, compléter ou coordonner les conseils donnés par divers auteurs au sujet des écritures ou de la propagande.

Nous avons la satisfaction d'annoncer au public que ce laborieux travail a été mené à bonne fin par ses auteurs.

Le memento forme un volume de 450 pages, muni de feuillets blancs intercalaires ; il est élégamment relié en toile anglaise avec titres en or. Il sera aisé de voir que rien n'a été négligé pour en faire un livre à la fois utile et commode. C'est à ce titre qu'il se recommande de lui-même à ceux que la chose intéresse.

(Extrait du prospectus publié par l'Éditeur).

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. VI, pag. 561).

247. Hac præmissa, longa ast necessaria explicatione de natura et activitate corporum, jam ad rem nostram de operatione Dei ad extra ejusque variis functionibus circa res materiales inorganicas considerandam accedere licet. Et primo quidem de prima rerum productione a Deo agimus.

Itaque, cum Deus sit ipsum esse subsistens (1), quod non potest esse nisi unum (2), necesse est omne ens, quocumque modo est, a Deo esse (3). Hæc autem emanatio totius entis universalis a primo principio, impossibile est ut aliquod ens præsupponat, adeoque est effectio rei ex nihilo suî et subjecti, seu creatio (4), supra explicata. Oportet igitur, quod res materiales attinet, etia.i materiam primam a Deo esse creatam. « Quod est causa rerum, secundum quod sunt entia, oportet esse causam rerum, non solum secundum quod sunt *talia* per formas accidentales, nec secundum quod sunt *hæc* per formas substantiales, sed etiam secundum omne illud quod pertinet ad esse illorum quocumque modo. Et sic oportet ponere etiam materiam primam creatam ab universali causa entium (5) ».

Cum tamen materia existere nequit nisi sub aliqua forma, et fieri aut creari non convenit nisi illi quod habet esse seu est subsistens in suo esse, in casu sub-

(1) Cf. S. Thomas, I, q. 3, a. 4; et supra a nobis exposita de essentia Dei.
(2) Ibid., q. 11, a. 3 et 4; et supra explicata a nobis de Dei unitate.
(3) Ibid., q. 44, a. 1.
(4) Cf. S. Thomas, I, q. 45, a. 1 et 2.
(5) Ibid., q. 44, a. 2.

stantiæ materialis, intelligitur ipsum compositum ex materia et forma creari, seu concreari forma cum materia (1); sicut supra diximus in eductione formæ e potentia materiæ, per vires naturales, non fieri proprie formam, sed fieri compositum. « Forma naturalis corporis non est subsistens, sed qua aliquid est. Et ideo cum fieri et creari non conveniat proprie nisi rei subsistenti, sicut supra dictum est, formarum non est fieri, neque creari, sed concreata esse. Quod autem proprie fit ab agente naturali est compositum, quod fit ex materia. Unde in operibus naturæ non admiscetur creatio, sed præsupponitur aliquid ad operationem naturæ » (2).

Ex his patet non admisceri creationem in opere naturæ, multo minus in opere artis; et deduci potest quomodo ad invicem se habeant operatio artis, naturæ et Dei creantis: nempe artifex operatur ex rebus naturalibus, quæ causantur per actionem naturæ; puta ex lapidibus, ligno, etc. facit domum forma accidentali; natura ipsa causat res naturales, quantum ad formam etiam substantialem, sed præsupponit materiam; Dei vero solius et immediate est, sine præsupposito rem totam creatione producere (3). Obiter nota opus naturæ merito creaturam vocari, licet proprie in se non creetur: « Operatio naturæ non est nisi ex præsuppositione principiorum creatorum; et sic ea quæ per naturam fiunt creaturæ dicuntur (4) ».

248. Ex dictis habemus, quod diligenter notandum est etiam in ordine ad infra dicenda de conservatione, etc., Deum a principio creasse materiam primam sub certa forma vel sub certis formis, ita quidem ut materia sit creata per se, nec aliter produci potuerit (5); formæ vero concreatæ per accidens, sicut in productione sub-

(1) Cf. ibid., q. 45, a. 4; et q. 44, a. 2, ad 3.
(2) S. Thomas, I, q. 45, a. 8.
(3) Cf. S. Thomas, l. c., a. 2.
(4) S. Thomas, l. c., a. 8, ad 4.
(5) Cf. ibid., a. 4, ad 3.

stantiarum materialium per vires naturæ « formæ incipiunt esse in actu compositis factis : non quod ipsæ fiant per se sed per accidens tantum (1) ».

Præterea creans Deus materiam primam sub aliqua forma, eam vel statim vel postea constituit sub pluribus formis diversis, ut sit distinctio in rebus seu multitudo, ex parte materiæ, et inæqualitas, ex parte formarum : quod non esset, si una tantum fuisset forma a Deo materiæ indita. Nam « agens per naturam agit per formam per quam est, quæ unius tantum est una. Et ideo non agit nisi unum (2) ». Contra ac agens voluntarium. Mansisset igitur in perpetuum una substantia materialis, si sub una forma fuisset creata materia, nec alia ulterior operatio immediata Dei intercessisset. Nunc autem rerum distinctio est a Deo, et plures fuerunt diversæ formæ certo numero, a divina sapientia fixo, materiæ inditæ, ut activitate diversa corporum in invicem prodiret hoc universum, cum ordine proprio rerum inter se et ad finem ejusdem universi.

Ex eodem igitur fonte diversitatis formarum, a Deo est distinctio tum numerica rerum seu multitudo, ex parte materiæ, signatæ seu sua quantitate et certa dispositione insignitæ, quod non est sine forma ; tum formalis seu specifica, i. e. inæqualitas rerum, ut ostendit S. Thomas, simul innuens conditas fuisse a Deo materiales substantias plures *elementares :* « Duplex enim, *ait* (3), distinctio invenitur in rebus. Una formalis, in his quæ differunt specie ; alia vero materialis, in his quæ differunt numero tantum. Cum autem materia sit propter formam, distinctio materialis est propter formalem. Unde videmus quod in rebus incorruptibilibus non est nisi unum individuum unius speciei : quia species sufficienter conservatur in uno.

(1) S. Thomas, I, q. 45, a. 8, ad 1.
(2) Ibid., q. 47, a. 1, ad 1.
(3) Ead. q. 47, a. 2. — Cf. in II Sent., dist. XII, q. 1, a. 4.

In generabilibus autem et corruptibilibus sunt multa individua unius specici ad conservationem speciei. Ex quo patet quod principalior est distinctio formalis quam materialis. Distinctio autem formalis semper requirit inæqualitatem: quia.... formæ rerum sunt sicut numeri, in quibus species variantur per additionem vel subtractionem unitatis. Unde in rebus naturalibus gradatim species ordinatæ esse videntur. Sicut mixta perfectiora sunt elementis, et plantæ corporibus mineralibus, et animalia plantis, et homines aliis animalibus, et in singulis horum una species perfectior aliis invenitur. Sicut ergo divina sapientia causa est distinctionis rerum propter perfectionem universi, ita et inæqualitatis. Non enim esset perfectum universum, si tantum unus gradus bonitatis inveniretur in rebus. »

Ubi ad 3m addit expresse inæqualitatem in rebus non esse etiam per inæqualitatem dispositionis materiæ, ut facile intelligitur ex dictis: nam distinctio materialis est propter formalem, et hæc non est nisi ex diversitate formarum.

249. Itaque Deus produxit plures substantias materiales specifice diversas, substantias nempe elementares, e quibus, activitate mutua in invicem, reliqua omnia corpora mixta seu composita prodirent. Ast, non tantum certo numero, a se definito, ad perfectionem universi, substantias elementares condidit, sed etiam singularum specierum materialium seu elementorum certo numero individua, ita ut omnibus rebus corporalibus, sive inanimatis, sive vegetalibus, sive animalibus, temporum successione producendis, toti huic universo evolvendo, secundum leges a se statutas, in finem a se præstitutum, sufficiat. Qua in re mirare infinitam Dei sapientiam et intimius perspice quam verum dixit Sapiens: *Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti!*

Quod autem Deus non solum elementarem substantiam in propria specie constituit, quod etiam in minima

particula, in molecula seu atomo, puta hydrogenii, oxygenii, etc., verificatur, quæ habent propriam substantiam, cum propria quantitate, quam et massam moderni vocant; sed quod Deus etiam multiplicavit certo numero seu certa mole ejusmodi particulas substantiales, manifestum est ex hoc quod mundus constat ex sua tota materia (1), quam Deus creavit, cui nihil additur, siquidem in operibus naturæ non admiscetur creatio, ut vidimus, et nihil detrahitur, cum nihil omnino in nihilum redigatur, ut ostendit S. Thomas, dicens: Creaturarum naturæ « vel sunt immateriales, et sic in eis non est potentia ad non esse; vel sunt materiales, et sic saltem remanent semper secundum materiam, quæ incorruptibilis est, utpote subjectum existens generationis et corruptionis. Redigere etiam aliqua in nihilum, non pertinet ad gratiæ manifestationem [per operationem miraculosam seu præter naturæ ordinem], cum magis per hoc divina potentia et bonitas ostendatur, quod res in esse conservat. Unde simpliciter dicendum est quod nihil omnino in nihilum redigatur (2). »

250. His paululum immoremur ut intimius scrutemur mirabilia Domini, et, dum multi studio scientiarum naturalium occupantur cum injuria vel saltem oblivione Creatoris, nos saltem plena mentis agnitione et toto cordis affectu infinitam divinæ majestatis sapientiam admiremur atque confiteamur.

Igitur, hisce modo expositis continetur quam moderni vocant *legem conservationis materiæ,* quamque primo perspectam admirantur a Lavoisier, non omnino forte immerito, utpote qui ab antiquis eam non mutuasse sed alia via detexisse forsitan potuerit. Ast, hoc certissimum est eam legem ab antiquis philosophis et a Scholasticis fuisse luculenter propositam, ut supra ex S. Thoma ostendimus.

---

(1) Cf. S. Thomas, I, q. 47, a. 3, ad 3.
(2) I, q. 104, a. 4.

Itaque hoc ex præcedentibus jam tenemus, de operatione Dei ad extra relate ad res inanimatas, Deum totam materiam primam hujus universi materialis primo creasse, et porro immediate eadem actione conservare.

Quod autem moderni eamdem legem, præsertim in re mecanica, formula quadamtenus diversa efferunt, dicentes : *massam esse constantem, invariabilem,* hancque proprietatem materiæ ad posita fundamentalia rei mecanicæ pertinere; hoc, inquam, ad eamdem legem conservationis materiæ spectat, nisi quod materia consideratur cum sua quantitate, cui qualitates activæ et passivæ insunt, et in ordine ad activitatem corporum in invicem, et nisi quod moderni diversis modis satisque confusis massam definiunt (1). Omnia clarescunt si per massam intelligas quantitatem empiricam, prout supra definita fuit. Nam, sicut tota materia prima est in elementis primo a Deo effectis, sic quantitas, singulis propria, pro diversis formis, invenitur constans, invariabilis in singulis minimis particulis substantialibus; hisque multiplicatis in corpore elementari, ut in rerum natura existit, videlicet, tamquam aggregatum plurium ejusdem substantiæ, quantitas etiam singulorum additur cæterorum quantitati, ita ut corporis elementaris, quod est aggregatum plurium ejusdem substantiæ, quantitas sit summa quantitatum omnium particularum substantialium.

Proin, sicut materia est constans in omnibus simul elementis, ita et quantitas seu summa omnium quantitatum, tum singulorum tum omnium elementorum invenitur constans et invariabilis. Ubi vero agitur de corporibus mixtis, quæ opera naturæ vel etiam Dei in principio species vegetales et animales producentis, efficiuntur : rursum, sicut operi hujusmodi non admiscetur creatio materiæ, nec ejusdem annihilatio, ita nec

(1) Vid. *Revue Néo-Scolast.*, février 1901, *La définition de la masse,* par D. Nys.

quantitas universi mutatur : quemadmodum supra diximus, quantitas mixti est æquivalens quantitatibus componentium, sicut et pondus mixti est æquivalens ponderibus elementorum componentium. Unde et quidam moderni massam definierunt per pondus, dicentes pro eodem loco, massam corporis nihil aliud esse quam ejus pondus; quæ tamen definitio habet duplex inconveniens: primum quidem, quod massam, quam dicimus nos quantitatem, sensu supra definito, quæ est absolutum aliquid, definit per relativum, quod est pondus. Hoc enim dicit relationem inter corpora mutuo sese attrahentia, vi generalis legis attractionis universalis a Newton definitæ, quamvis unicuique corpori sit pondus proprium, idque constans pro eodem loco. Dicimus: pro eodem loco (1), et in hoc alterum inconveniens apparet prædictæ definitionis, cum pondus varietur pro diversis locis, dum massa est invariabilis (2). Quantitas igitur seu massa nequit confundi cum pondere, multo minus cum volumine, ut jam supra advertimus, quamquam hæc tria intima relatione invicem connectantur. Multo minus, dicimus cum volumine: nam, etsi quantitas sit continua in minimis primisque particulis substantiæ, et contigua esse possit in quibusdam forte vel pluribus hujusmodi particulis aggregatis, in nullo tamen corpore, prout ea in rerum natura existere experimur, est illa contiguitas, cum semper ea corpora sint plus minusve densa et porosa.

251. Jam ergo habemus quantitatem seu massam, sicut materiam primam, esse in universo constantem et invariabilem. Si autem quantitas constans manet, ergo et spatium reale. Unde jam tria habemus *constantia et invariabilia : spatium,* dum corpora continuo mutantur loco; *quantitatem*, dum corpora mutantur volumine;

(1) Vi ejusdem legis Newtonianæ: la matière attire la matière en raison directe des masses et en raison inverse du carré des distances; de qua infra sermo erit.

(2) V. art. cit. *Revue Néo-Scolastique.*

materiam primam, dum corpora continuo transformantur, non modo formis accidentalibus sed formis substantialibus. Hæc constantia tandem ex eo est, quod Deus materiam primam, quæ per se creata ab ipso in principio fuit, immediate conservat.

Hæc omnia habemus ab antiquis philosophis, præcipue Peripateticis, præeunte Aristotele, proposita; a Scholasticis, prælucente fide, purgata ac evoluta. Nimis proin fidenter dici solet hos esse modernæ scientiæ admirandos partus.

Imo vero, *legem conservationis energiæ universi* materialis, quam præsertim infra considerare oportebit, ubi de divina motione et concursu divino agemus, non modo cum doctrina scholastica componi posse, sed ex ea sponte deduci jam nunc breviter ostendere juvat.

Equidem, hinc materia prima est constans, itemque ejus quantitas seu massa, in qua tamquam in proximo subjecto insunt qualitates activæ et passivæ corporum. Inde vero, forma quidem, prout est in materia tamquam in subjecto, est principium virium et activitatis corporis, et formæ continuo variantur: ast, si summa virium a Deo inditarum in diversorum elementorum toto, a se primum condito, consideretur, eam non mutari eo quod vires, in actum exeuntes, ex elementis alia corpora mixta producant, eaque composita rursum in elementa dissolvant, ex hoc facile perspicies quod formæ elementorum virtute maneant in mixto; hoc vero soluto, nihil remaneat ex eodem qua tali, sed integra restituantur elementa, ut supra expositum est. Sicut ergo in operibus naturæ nec creatur materia nec perit, sed fit continua corporum transformatio: ita nec creantur novæ vires, nec quidquam summæ virium detrahitur, sed continuo transformantur cum corporibus. Atvero, neque in mutationibus corporum accidentalibus, quas moderna scientia physices pro objecto habet (1), aliquod augmen-

(1) Quamquam utriusque scientiæ, physices et chemiæ, objectum in omni eventu accurate distinguere et secernere, difficile est, sicut naturam certarum mutationum difficile est determinare.

tum vel aliquam deperditionem summæ virium naturalium contingere, vel ex hoc intelligere licet, quod in utraque transformatione, accidentali et substantiali, eædem vires operentur, et modus quoque operandi sit idem, cum corpus unum, secundum quod est in actu, operetur in alterum, secundum quod est in potentia; solum discrimen est in corporum respectiva capacitate diversa et diversa intensitate eorum mutuæ activitatis, ex quibus ad invicem relatis fit ut transformatio sit magis intima et substantialis, vel magis superficialis et accidentalis tantum. Unde rursum habemus, virium summam manere constantem, quamvis ejusmodi vires invicem transmutentur, ita ut certa summa energiæ mecanicæ transeat in respectivam certam summam caloris, ac vicissim, et sic de reliquis. Quæ quidem transmutatio indubie majorem in lucem posita fuit a scientia moderna. Sed de his nunc satis, nam de energia corporum infra, ut diximus, sermo recurret.

252. Ad rem nostram redeamus; jam enim perfecte intelligere licebit in quo consistat divina rerum materialium conservatio, postquam paulo enucleatius exposuerimus earumdem productionem. Et præprimis quidem diversam omnino efficientiam diversarum causarum, supra attactam, nunc latius et clarius oportet explicare.

« Licet omnis effectus, *ait Cajetanus* (1), a sua sufficiente causa habeat et fieri et esse, aliquis tamen est, cujus esse non directe causatur ab agente, sed fieri tantum, esse vero concomitanter, ut domus respectu ædificatoris, aliquis vero cujus et fieri et esse directe ab agente pendet, ut lumen a sole. »

« Manifestum est autem, *ut perginus cum S. Thoma* (2), quod si aliqua duo sunt ejusdem speciei, unum non potest esse per se causa formæ alterius, in quantum est talis forma (quia sic esset causa formæ propriæ,

(1) In I, q. 104, a. 1.
(2) I, q. 104, a. 1.

cum sit eadem ratio utriusque), sed potest esse causa hujusmodi formæ secundum quod est in materia, id est, quod hæc materia acquirat hanc formam. Et hoc est esse causa secundum fieri, sicut cum homo generat hominem.... Et ideo, quandocumque naturalis effectus est natus impressionem agentis recipere secundum eamdem rationem, secundum quam est in agente, tunc fieri effectus dependet ab agente, non autem esse ipsius. Sed aliquando effectus non est natus recipere impressionem agentis secundum eamdem rationem, secundum quam est in agente, sicut patet in omnibus, quæ non agunt simile secundum speciem... Et tale agens potest esse causa formæ secundum rationem talis formæ, et non solum secundum quod acquiritur in hac materia: et ideo est causa non solum fiendi sed essendi. Sicut igitur fieri rei non potest remanere cessante actione agentis, quod est causa effectus secundum fieri, ita nec esse rei potest remanere cessante actione agentis, quod est causa effectus non solum secundum fieri, sed etiam secundum esse..... Sic autem se habet omnis creatura ad Deum... solus Deus est ens per essentiam suam: quia ejus essentia est suum esse; omnis autem creatura est ens participative, non quod sua essentia sit ejus esse. »

253. His diligenter attentis, simul cum supra expositis, et distinctione rite retenta inter creari et effici seu produci seu causari aliquo præsupposito, item inter creari per se et per accidens; inter causari per se et directe esse et causari directe fieri tantum, esse vero indirecte seu concomitanter seu per accidens (1), jam

(1) Attende *per se* et *per accidens* non eodem omnino sensu sumi in utroque dicto: *creatum* per se aut per accidens, et *causatum* per se aut per accidens. *Creatum per se* est quod, si producatur, sola creatione produci potest; *causatum per se* est quod directe quoad *esse* producitur et non quoad *fieri* tantum, quoad esse vero indirecte et concomitanter. — Unde quæ sunt per se creata, etiam sunt quoad esse directe et per se causata, sed non convertitur. Quæ possunt per accidens creari, nihil impedit esse per se et directe quoad esse producta.

facile intelliges sequentia: 1° in opere naturæ et artis nullatenus admisceri creationem, quod supra satis explicatum est; 2° in opere artis, artificem non esse causam per se et directe rei artificiatæ, sed fieri ejus seu introductionis formæ accidentalis ipsius, adhibendo vires naturales, in hac materia, quæ est a natura; 3° in opere naturæ « singulare univocum [id est, aliquod agens ejusdem speciei cum suo effectu] est causa per se productionis esse formæ [substantialis] in hac materia, sicut hoc modo est etiam causa formæ, non est autem per se causa ipsius esse formæ in quantum hujusmodi, i. e. secundum quod est in facto esse (1). » Speciatim de substantia materiali agendo, de qua nunc sermo: « Cum corpus non agat nisi movendo [aliud], non potest esse causæ formæ nisi quantum se extendere potest causalitas transmutationis: hoc autem est in quantum disponit materiam et educit formam de potentia materiæ: ideo corpus est causa formæ solum, quantum ad hoc, quod educitur de potentia materiæ, quod est fieri rei generatæ, non autem quantum ad esse formæ absolute. » Ita Ferrariensis, in l. III, *c. Gent.*, c. 65, n. 4, additque alteram ejusdem loci interpretationem, quæ æque adaptari potest literæ S. Thomæ, et priorem complet, videlicet, non solum corpus non agit nisi movendo aliud, sed nisi et ipsum moveatur: « Nullum corporeum est causa alicujus rei, nisi in quantum ipsum corpus movetur, quia nullum corpus agit nisi per motum quo ipsum movetur: ergo corpus non est causa nisi ejus quod est moveri ad esse..... Cum esse formæ corporis agentis in quantum est esse, non sit principium quo agens agit, sed in quantum sibi adjungitur moveri, quia non agit nisi in quantum movetur, [oportet] quod esse rei in quantum est esse non sit effectus corporei agentis, sed tantum in quantum substat ipsi moveri, et sic corpus non est causa esse rei absolute sed ejus quod est moveri ad esse. »

(1) Ferrar., in S. Thom., *c. Gent.*, l. III, c. 65.

4° Eorum ergo, quæ per motum et per generationem producuntur, creatura causa esse potest, scilicet per se et directe fieri ipsorum, concomitanter et indirecte ipsorum esse. « Horum tamen causa, *ait S. Thomas* (1), etiam Deus est, magis intime in eis operans quam aliæ causæ moventes: quia ipse est dans esse rebus. Causæ autem aliæ sunt quasi determinantes illud esse. Nullius enim rei totum esse ab aliqua creatura principium sumit, cum materia a Deo solum sit; esse autem est magis intimum cuilibet rei quam ea per quæ esse determinatur: unde et remanet, illis remotis. » Unde et in effectu semper aliquid est immediate a Deo, et proprius effectus Dei est esse, sicut solus ipse est ens per essentiam suam (2); causæ vero secundæ, sicut non sunt causæ per se esse substantiæ sed fieri tantum, ita nec causant ipsum esse sed esse tale vel hoc, nempe alias perfectiones quæ esse determinant (3). Qua de re infra latius.

254. Quod igitur ipsam jam Dei actionem ad extra ad res producendas attinet, solus Deus immediate et per se causa est eorum, quæ in esse exire non possunt per motum nec per generationem. Tales sunt formæ spirituales, scilicet Angeli et animæ rationales, quæ non componuntur ex materia et forma (quamquam hæ sunt formæ corporum humanorum) et in se subsistunt, licet minus perfecte hæ quam illæ. Et hæc productio alia esse non potest quam creatio: sunt igitur per se creatæ. « Non sic de aliis formis, quæ etiamsi sint simplices, non tamen habent esse absolutum, cum non sint subsistentes: unde exitus in esse non debetur eis sed composito habenti talem formam, quod per se generari dicitur quasi per se esse habens. Formæ vero prædictæ non dicuntur generari nisi per accidens; et

(1) In lib. II, dist. 1, q. 1, a. 4.

(2) V. S. Thom., *c. Gent.*, l. III, c. 66, n. 3 et 6, cum Comment. Ferrariensis.

(3) Ibid., n. 5.

eadem ratione materia prima, quæ generationi substat, propter sui simplicitatem non generatur, sed creatur (1) ».

Porro, inter ea quæ in esse exire non possunt per motum nec generationem merito addit ibidem S. Thomas primas hypothases, ut primum hominem, primum bovem, primam quercum: non enim homo generari potest nisi ab homine, et sic de aliis, unde primam hypostasim cujuslibet speciei debuit Deus immediate causare et per se. Et quod hominem quidem attinet, hæc actio Dei fuit creatio per se quoad animam, quoad corpus vero fuit per se productio seu formatio ex præjacente materia immediate et per se creata, existente sub aliis formis. Quod inferiores hypostases primas specierum vegetalium et animalium spectat, eæ fuerunt a Deo immediate productæ per se, ut modo supra, non vero per se creatæ (2). Sed nunc agimus præprimis de substantiis materialibus inorganicis. Et de his rursum dicendum est primas substantias elementares immediate a Deo esse per se causatas; et illa quidem divina actio est creatio per se quoad materiam primam, ut sæpius jam diximus; quoad vero formas elementares, eæ dici nequeunt creatæ per se, quia alia via produci possunt et reipsa postea educuntur e potentia materiæ mixtorum; neque productæ per se, quoniam id quod producitur aut creatur proprie ipsa substantia inorganica est, non aliqua forma in se non subsistens; neque tamen primæ formæ elementares educi poterant e potentia materiæ, quæ sine forma esse nequit et non erat reapse præexistens sub aliqua forma, his elementaribus suppositis primis: ergo fuerunt primæ formæ elementares concreatæ cum materia prima per se creata. Et quod una saltem forma elementaris, primi-

(1) S. Thomas, in II, dist. 1, q. 1, a. 4.

(2) Fuerunt ergo vel creatæ per accidens, ut ponit Cajetanus, supra a nobis recitatus, n. 239, vel fuerunt a Deo per se productæ, non creatæ, ut infra clarius explicabitur de rerum elementis.

tiva omnino et prima, debuerit concreari cum materia prima ex dictis manifestum est, ita ut prima aliqua substantia materialis, omnino primitiva, creari debuerit et sit creata per se. Aliæ deinde formæ elementares vel fuerunt concreatæ per accidens cum sua materia prima per se creata; vel fuerunt eductæ e potentia materiæ sub forma illa primæva creatæ, sola tamen immediate virtute divina, non virtute aliqua naturali; alterutrum necessarium fuisse ex supra dictis elucet, ubi ostendimus non tantum creationem esse immediate Dei solius ac incommunicabiliter, sed rerum quoque distinctionem et multitudinem esse a Deo. Dicendum ergo est omnes substantias materiales elementares, e quibus, viribus naturæ ipsis a Deo inditis, coalescunt corpora mixta totius universi, esse a Deo immediate per se et directe quoad esse productas; et hanc quidem Dei actionem esse creationem, per se quidem unius ex elementis, per accidens vero reliquorum; vel esse creationem per se alicujus elementi, omnino primævi, et esse productionem per se et directe, non creationem, aliorum elementorum, præsupposita materia prima existente in primævo elemento. Videbimus infra quomodo hæc altera hypothesis congruat cum placitis modernis mecanicæ cœlestis, nominatim cum systemate Laplace de immensa nebulosa primigenia, e cujus evolutione, viribus a Deo inditis, Deoque gubernante, formatum est et adhuc continuo evolvitur præsens universum. Ex altera parte nihil in doctrina a nobis proposita pugnat cum narratione creationis Scripturæ sacræ; imo vero, si hanc legitime et sapienter interpretemur, miro modo consentire videbimus nostra placita cum sacris libri Geneseos paginis, in quibus profecto auctor sacer non hunc scopum habuit, quem nos, scilicet scholastica et scientifica methodo rerum conditionem investigandi et exponendi, sed positive docendi quæ de ea credenda sunt ab omnibus; quæ autem docet his fere duabus continentur veritatibus: primam rerum originem esse

a Deo per creationem, et porro rerum distinctionem seu multitudinem et inæqualitatem esse originaliter a Deo immediate operante (1). Nonne rursum his duabus veritatibus revera continetur brevis synthesis omnium quæ hucusque exposuimus?

255. In præmissis explicatam habemus, relate præsertim ad res materiales inorganicas, divinæ operationis ad extra primam functionem, quæ in creando consistit, aut in producendo immediate et se sola substantias aliquas materiales. Remanet breviter dicendum de eadem divina actione, ubi non sola operatur, sed ubi creatura activitate sibi propria, a Deo indita, aliquid producit, qua de re jam verbulum fecimus supra, n. 253, 4°; quo præstito, jam complere poterimus disputationem nostram de diversis functionibus operationis Dei ad extra, tum quoad res inorganicas, tum quoad creaturas perfectiores.

(Continuabitur).

---

(1) De hac narratione Geneseos sermo erit loco proprio in tertia parte harum meditationum, cujus subjectum est executio universi operis divini ad extra, seu executio divinæ providentiæ et prædefinitionis æternæ rerum. Nemo autem nobis vitio vertat nos plura nunc jam in hac et sequente paragrapho præoccupare spectantia ad gubernationem Dei, quæ est providentiæ executio, dum hæc secunda pars de æterna rerum prædefinitione agit. Nam, prædefinitio et executio ejusdem objecti sunt et de illa vix agere possumus quin hæc et modus ejus tangatur. Cæterum in *meditando* majori quam in docendo libertate uti licet, atque occurrentem inspirationem lumenque opportune oblatum sequi.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Januarii 1902.

—

I

Explica Ps. XXXIX, 7-9: *Sacrificium et oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulasti: tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.*

II

Expone in quo consistat Ecclesiæ unitas communionis et unitas fidei.

III

An et quare licet observare legem certò injustam?

IV

Indica motivum formalis actus spei theologicæ. Explica.

V

Proba responsum præcedens.

VI

Caius parochus tumulat peregrinum qui, nulla electa sepultura, in parochia Caii accidentaliter post ultima sacramenta ibidem recepta obiit, et nullam partem emolumentorum parocho defuncti solvit: an et quare recte agit?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Octobris propositas.

—

I

Q. *Breviter explica benedictionem in Joseph prolatam Gen. XLIX, 22-26.*

R. Gravissimæ difficultates hujus pericopæ, non tantum prout habetur in nostra Vulgata, sed et in ipso textu massoretico, ab omnibus agnoscuntur, et tantæ aliquibus visæ sunt ut textus corruptionem admiserint. Hujusmodi corruptionem, quæ sive ex causis fortuitis, sive ex errore vel culpa amanuensium oriri potuit, hic accidisse confirmatur ex eo quod antiqui traductores, præsertim LXX, non raro diversum et aliquando meliorem textum hebraicum præ manibus habuerunt, ut constat ex eorum versione; licet nonnunquam textum jam suo tempore corruptum repræsentent. Alterum medium deprehendendi et corrigendi corruptionem textus suppeditant loca parallela: nostram autem benedictionem a Jacobo in Joseph prolatam imitatur et quandoque verbotenus refert benedictio a Moyse eidem tribui Joseph impertita. Tandem conjectura utilis esse potest; licet eam multi invidio habeant et licet revera raro exhibeat textum certum ab omnibus admissum, facilior tamen evadit si agitur de poëmate distichis composito, vigere enim debet parallelismus inter membra ejusdem distichi.

22. Mira conspicitur textuum diversitas: massoreticus vertitur: *filius fructiferæ* (= vineæ) *Joseph, filius fructiferæ juxta fontem, filiæ* (= rami illius vineæ) *transgrediuntur murum;* septuagintaviralis autem: *filius auctus Joseph, filius auctus meus invisus, filius meus*

junior; ad me revertere. Vox *pharat* (fructifera) evidentem continet allusionem ad *ephrat*, aliud nomen tribus Joseph; sed vox simillima *pharah* (vacca) melius hic congruere videtur: non solent enim venatores sagittas suas dirigere in vineas sed in animalia; in præsenti capite XLIX plures filii Jacobi animalibus comparantur: Juda nempe leoni (v. 9), Issachar asino (v. 14), Dan Serpenti (v. 17), Nephthali cervo (v. 21), lupo tandem Benjamin (v. 27); denique in loco parallelo Deuteronomii XXXIII, 17 idem Joseph dicitur *primogenitus tauri*. Alterius partis hujus versiculi textus et sensus prorsus incerti sunt.

23. *Exasperaverunt eum et jurgati sunt* (juxta hebr.: *et sagittas ei immiserunt*) (1) *invideruntque illi* (juxta hebr.: *impugnaverunt eum*) *habentes jacula*. His verbis quidam designari censent persecutiones quas ipse Joseph expertus est a parte fratrum suorum; multi tamen verborum vim servantes intelligunt incursiones quas tempore Judicum tribus Joseph passa est a parte gentium incultarum desertum inhabitantium quæ quasi nomine proprio *Sagittarii* vocabantur (cf. Gen. XXI, 20: (Ismaël) *crevit et moratus est in solitudine, factusque est juvenis sagittarius*).

24. Exspectamus arcum de quo hic sermo est in manibus esse sagittariorum, non vero in manibus Joseph, præsertim quum hic sub specie tauri exhibeatur et consequenter convenientius se defenderet cornibus quam arcu. Præterea habemus egregium testimonium LXX qui habent: *et confractus est violenter arcus eorum et dissoluti sunt nervi brachiorum* [*manuum*] (2) *eorum*.

---

(1) Lagrange, *La prophétie de Jacob* (Rev. Bibl. 1898, p. 535) nixus versioni LXX, restituit hanc probabilem lectionem, quæ simul exactum parallelismum exhibet:

Exasperant eum sagittarii,
impugnant eum habentes jacula.

(2) Hæc vox redundat; expressio *brachia manuum alicujus* est contra naturam.

Hanc lectionem præferimus textui Vulgatæ et Massoræ: *sed mansit in fortitudine arcus ejus* (Joseph), *agilia sunt* (?) *brachia manuum ejus* (1). Significatur ergo irrita fuisse conamina hostilia, quis vero irrita fecerit nunc explicatur.

Per manus Potentis Jacob, h. e. per auxilium Dei quem Jacob ut Fortem imo Omnipotentem adorat; idem nomen divinum occurrit Is. I, 24. *Inde pastor egressus est lapis Israël* inintelligibile videtur. Loco *miššam (inde)*, versio syriaca Peschitto vocata et Onkelos legerunt *miššem (per nomen)* quod optimum parallelismum præbet cum verbis *per manum (Potentis Jacob)* et a plerisque merito admittitur. In verbis sequentibus quæ juxta hebr. sonant: *pastoris lapidis Israël*, alii vocem *lapidis* sumunt ut dependentem a præcedente et vertunt: pastoris (Dei scil.) qui habitat in Lapide Israël (in Bethel); alii vero ut appositionem: Deus simul est pastor et lapis Israël; de Hummelauer textum nimis durum æstimans, paulo mutat: *pastoris filiorum Israël;* Lagrange delet vocem *lapidis* quæ apud LXX non occurrit et legit: (per nomen) *Pastoris Israël,* quo nomine aliquando Deus vocabatur; cf. Ps. LXXIX, 2.

25. In hebræo et in versione græca non incipit hic nova phrasis, sed continuatur vers. præcedens: *per Deum patris tui qui te adjuvet, per Deum* (2) *omnipotentem qui tibi benedicat benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum.* Apprecatur filio suo aquam de cœlo cadentem, pluviam nempe et rorem, et aquam fontium et torrentum; sunt faustissimæ apprecationes in arida regione qualis est Palæstina (3).

---

(1) P. de Hummulauer etiam præfert lectionem græcam (*Comment. in Genesim,* Parisiis, 1895); Lagrange eamdem admittit sed cum quibusdam mutationibus quæ nobis inutiles videntur.

(2) Sequimur cum interpretibus citatis textum Samar, LXX et syriacum: et (per) Deum (= veël) loco textus Massoretarum veët (= et cum).

(3) Eadem recurrunt Deut. XXXIII 13, excepto quod ibi dicitur: *cœli et roris*, quod corrigendum videtur in *cœli sursum*. Ita etiam de Hummelauer. *Comment. in Deut.* 1901, ad h. l.

Benedictionibus uberum et vulvæ, seu uteri: apprecatur fœcunditatem hominum et animalium, quasi diceret: uterus gignat multos filios, ubera abundent lacte ad eos alendos. Cf. ex adverso maxime terribilem maledictionem Os. IX, 14: *da eis vulvam sine liberis et ubera arentia.*

V. 26 Majores adhuc difficultates facit: priorem ejus partem sic vertimus ex hebr.:

a *Benedictiones patris tui fortiores fuerunt*

b *benedictionibus* PATRUM MEORUM USQUE AD (horai ad)

c *desiderabilia collium æternorum.*

LXX legerunt loco b: *benedictionibus* MONTIUM ANTIQUORUM (harre ad). Deut. autem capite XXXIII quod in multis, ut vidimus, imitatur Gen. XLIX, habet v. 15 distichum nostro textui evidenter parallelum: *Benedicta sit a Domino terra ejus* (Joseph).....

a *de pretiosis montium antiquorum*

b *de optimis collium æternorum.*

Cum plerisque interpretibus (1) præferendam censemus lectionem græcam, eo vel magis quod exhibet exactum membrorum parallelismum. Ad sensum quod spectat, montes antiqui non sunt subjectum quod benedictionem impertitur, ut falso supponit de Hummelauer, sed objectum cui benedicitur; proinde Deut. XXXIII, 15, non tantum genuinum textum sed etiam veram interpretationem servasse videtur. Vers. 26bc videtur ergo distichus in se completus; 26a referri debet ad ultima præcedentis vers. verba, quæ secus non habent aliquod membrum correspondens: ibi autem benedicuntur matres *(benedictionibus uberum et vulvæ),* hic ergo probabiliter benedicitur sexus masculinus *(benedictionibus patris.....)* (2). (Hæ omnes benedictiones) *fiant in*

---

(1) Hunc textum præferre videtur Beelen, admittunt recentiores fere omnes, rejicit tamen P. de Hummelauer, *Comment. in Gen.* 1895 ob rationem quam in textu allegamus et refutamus, sed paulo post (*Comm. in Deut.* 1901) sententiam mutasse videtur.

(2) Censemus ergo textum partialiter corruptum, quod ceteroquin jam patet ex antiquis versionibus: LXX legunt *benedictionibus patris tui et matris tuæ* et etiam jungunt cum præcedentibus; Patres græci alium et alium textum habent, ut jam notavit Bonfrerius *Pentateuchus* 1625.

capite Joseph seu descendant super caput ejus. In membro parallelo Joseph vocatur *nazaræus inter fratres suos;* nazaræus autem hic non valet Deo speciali modo consecratus, quo modo de Samsone dicitur, sed princeps, electus, nobilis, quo sensu occurrit Lament IV, 7.

Ut supra datæ adnotationes clariores fiant, sic legimus et dividimus textum:

1/ Introducitur Joseph:
Filius vaccæ Joseph, filius vaccæ prope [fontem

. . . . . .

2/ Impugnatur Joseph:
Exasperant eum sagittarii,
impugnant eum habentes jacula;
sed frustra: *sed confractus est violenter arcus eorum*
et dissoluti sunt nervi brachiorum [eorum
nam Deus ei auxiliatur:
per manum Potentis Jacob
per nomen Pastoris Israël
per Deum patris tui qui te adjuvet
per Deum omnipotentem qui tibi bene- [dicat.

3/ Benedictiones: apprecatur:
aquam: *benedictionibus cœli sursum,*
benedictionibus abyssi jacentis deor- [sum,
fœcunditatem: *benedictionibus uberum et vulvæ,*
benedictionibus patris..... (?),
fertilitatem: *benedictionibus montium antiquorum,*
desiderabilibus collium æternorum.
Fiant in capite Joseph,
et in vertice principis inter fratres suos.

A. D. B.

II

Q. *An et qua ratione infallibilis est Ecclesia in disciplina generali?*

R. Ecclesia est infallibilis in condendis legibus disciplinaribus pro universo Orbe catholico (1), quod spectat *conformitatem legis cum principiis morum in deposito fidei contentis,* non vero quod spectat *opportunitatem* legis ferendæ.

Explicatur et **vindicatur** assertum.

A/ Quod errare nequeat Ecclesia *quoad conformitatem legis cum principiis morum*, imponendo scilicet fidelibus legem moraliter malam seu a norma moralitatis aberrantem, probatur

1°/ *Ex magisterii infallibilitate.* Et sane Ecclesia immunis est ab errore in proponendis veritatibus, tam practicis quam theoreticis, quæ in revelatione continentur.

Jamvero, non potest legem condere Ecclesia, quin simul æquivalenter doceat legis honestatem ejusque conformitatem cum principiis morum, adeoque practice doceat principium moralitatis in lege applicatum, illudque inculcet efficacius quam si illud principium abstracte proponeret tenendum. Quemadmodum nempe, uti vidimus, suprà, p. 516, in exercendo magisterio erga fideles Ecclesia simul utitur potestate jurisdictionis ac urget credendam doctrinam quam docendo proponit, pariter « in suis legibus, quas potestate jurisdictionis perfert spectantes ad regimen universale... simul eodem actu exercet potestatem magisterii de hujusmodi legum suarum honestate et sanctitate ». Franzelin, *Theses de Ecclesia*, Thesi V.

---

(1) Profectò ex eo quod non sit agnoscenda Ecclesiæ infallibilitas in legibus *particularibus,* inde non sequitur hisce non esse obediendum, siquidem infallibilitas nullatenus requiritur ad exercitium veræ jurisdictionis, cui stricta correspondeat obedientia.

2°/ *Ex suprema potestate jurisdictionis universalis.*

Nimirum Christus promisit sese affuturum Ecclesiæ rectoribus non tantùm in munere docendi sed etiam in munere regendi. Quis autem dicet regimen Ecclesiæ, cui Christus speciali modo assistit, posse penitus corrumpi et perverti, quemadmodum radicitus perverteretur, si Ecclesia legibus suis a recto tramite detorqueret fideles eosque a debito fine prosequendo averteret (1)!

B/ Non est ab errore immunis Ecclesia *in judicanda opportunitate* legis condendæ. Revera ex una parte magisterium quod Ecclesia simul cum jurisdictione exercet nullatenus afficit opportunitatem legis; et ex alia parte cum promissa assistentia speciali in regimine potest consistere minor opportunitas legis, modò substantialiter bona maneat et cum principiis morum conformis.

Nota. Non est igitur negandum posse fieri ut lex generalis in Ecclesia promulgetur minus perfecta, vel et, attentis adjunctis, inopportuna; attamen inde non est ansa sumenda ad recusandam obedientiam legi latæ; nec ideo est temere imperfectionis accusanda disciplina ecclesiastica. Licet namque in hujus disciplinæ opportunitate dijudicanda infallibilitatem sibi non vindicet Ecclesia, non tamen caret in hoc etiam judicio practice ferendo peculiari sapientia necnon quodam lumine superno (2).

A. D. S.

---

(1) Hæc non applicantur muneri regendi nisi quatenus supremo in gradu exercetur, ab auctoritate scilicet suprema et pro universa Ecclesia.

(2) Hac de re omni attentione digna sunt verba, quibus Leo XIII, in celebri Epistola, die 17a Junii 1885 missa ad Cardinalem Guibert, Archiepiscopum Parisiensem, nervosè insurgit in illos qui liberius, quam par est, acta Pontificia judicare non verentur, necnon agendi rationem carpere, utpote minus opportunam, quam sequitur Romanus Pontifex in regimine Ecclesiæ, imo vel in ipsa moderanda re politica.

« Quam ad rem, ait, hoc fixum persuasumque sit, in Ecclesiæ gubernatione, salvis officiis maximis, quibus Pontifices omnes apostolicum munus adstringit, unicuique eorum integrum esse eam rationem sequi,

III

Q. *Breviter expone cur in theologia morali prima et fundamentalis sit consideratio finis ultimi.*

R. *Est prima seu præambula, quia finis ultimus se habet tamquam primum movens; fundamentalis etiam, quia ex fine ultimo determinantur omnia: nam ex ejus cognitione dependent tum cognitio mediorum in finem, actionum quæ hominem ducere debent ad finem suum, tum regula illorum actuum.*

Explicatur: I. Quomodo sit prima consideratio.

Tamquam satis notum supponimus doctrinam moralem totam contineri in demonstrando quid homo, qua talis, agere debeat ac omittere, ut finem ultimum sibi a Deo præstitutum consequatur. Porro manifestum est ante omnia cognoscendum esse illum finem ultimum: quamvis omne agens agat propter finem, proprium tamen est rationalis naturæ ut propter finem agat, quasi se agens vel ducens in finem (1). Cum autem in solo intentionis ordine fini convenire possit vis causandi, quæ in hoc sita est quod ratione bonitatis suæ moveat appetitum ad amorem sui, patet agens non posse seipsum ducere in finem, nisi ipsi finis applicetur per cognitionem; quia præterea « ultimus finis hoc

---

quæ spectatis temporibus cæterisque rerum adjunctis, optima videatur. Idque ad solius Pontificis judicium pertinet: propterea quod is ad eam rem non solum *singulari quodam donatur consilii lumine*, sed etiam perspecta habet totius reipublicæ christianæ tempora, quibus apostolicam providentiam suam convenienter respondere necesse est. Is curam gerit de communi Ecclesiæ bono, cui singularium partium servit utilitas: cæteri vero, quotquot hoc ordine comprehenduntur, debent summi rectoris cœpta adjuvare, et quo ille spectat obedienter sequi ».

Et alibi « Si auctoritatem sibi tribuant qui jure habent nullam, si iidem magistri et judices esse velint, si inferiores in administranda re christiana aliam rationem quam quæ legitimæ potestati probatur, probent et tueri nitantur, profectò ordo pervertitur, multorum judicia perturbantur, a via deflectitur ».

(1) Cfr. *S. Th.* 1ª 2ᵃᵉ, q. 1, a. 2 in corp.

modo se habet in movendo appetitum, sicut se habet in aliis motionibus primum movens » (1), manifestum est primo cognoscendum esse finem ultimum. Jam age homo naturaliter quidem seu necessario tendit in beatitudinem in genere, qua universaliter movetur ad agendum, sed potest in particulari, utens sua libertate, eam reponere in objecto in quo non est adeoque et in consecutione objecti quæ non sit vera beatitudo. Determinare ergo oportet quisnam sit verus finis ultimus *qui* seu beatitudo *objectiva*, ut in eum sic cognitum tendere possit et eo obtento consequi veram beatitudinem *formalem* (2). — Quæ generatim dicta clarius patebunt ex dicendis sub II.

II. **Quomodo sit etiam fundamentalis.** Ratio est quia ex fine ultimo determinantur omnia: et primo quidem ex ejus cognitione pendet *cognitio actionum in finem.* Si agatur de fine in ordine physico, puta meta attingenda a viatore, actiones ponendæ in finem erunt ejusdem ordinis, np. locomotio physica; si vero obtinendus sit finis qui sit ordinis moralis, actiones pariter erunt ordinis moralis. Quodsi agatur in specie de fine ultimo, qui consistit in possessione Dei per cognitionem et amorem, per actus intellectus et voluntatis liberæ in illum tendere debet homo, per actus scil. humanos; qui iterum non erunt mere humani, sed elevandi ad ordinem supernaturalem ut proportionem habeant ad finem supernaturalem, qualem Deus de facto dignatus est præstituere homini. — Deinde ex fine ultimo accipienda est *regula actuum humanorum.* Recta dicitur actio et est ea quæ tendit ad id ad quod tendere debet; id autem ad quod tendere debet homo est id ad quod homo factus est, id est ad quod existit cum sua natura et potentiis, np. est finis proprius hominis. Unde regula

(1) *Ibid.* a. 6 in corp.

(2) Beatitudo *objectiva* est ipsum bonum cujus adeptione reddimur beati; beatitudo *formalis* est adeptio beatitudinis objectivæ.

cui actio debet esse conformis ut sit recta (moraliter) est finis a Deo homini assignatus seu ordo volitus a Deo est ut homo tendat ad finem ultimum sibi ab Auctore naturæ assignatum (1), id est finis operantis hominis coïncidat cum fine ipsius operis. Porro illa regula suprema, ex qua pendet ultimatim moralis rectitudo actionum nostrarum, est necessaria seu inviolabilis et ita simul indicatur fundamentum ultimum obligationis : homo enim, etsi libere, obligatorie tamen tendit in finem ultimum. Vinculum enim morale, quod appellatur obligatio moralis, humanis actibus injicitur ab Auctore naturæ per actum voluntatis, quo *jubet* ordinem essentialem inter creaturas statutum servari eumque perturbari *vetat* (2). Quæ breviter et generatim dicta sufficiunt ut ostendatur considerationem finis ultimi esse primam et fundamentalem in re morali utque appareat merito Angelicum cum antiquis passim omnibus instar fundamenti toti ædificio morali supposuisse tractatum de fine ultimo, quem modum nonnisi cum detrimento scientificæ expositionis reliquerunt moderni moralistæ plurimi.

Cfr Ill^m^ ac Reverend^m^ Waffelaert, *Exposé sommaire des principes généraux de la science sociale*, Bruges 1894, p. 9 ss., et *Tractatus de prudentia, fortitudine et temperantia, Proœmium,* p. VII sq.

H. M.

IV

Q. *Explica qua ratione dici possit finem ultimum hominis esse ejus beatitudinem.*

R. *Beatitudo hominis potest dici ejus finis ultimus, quatenus ambo fines, gloria Dei et felicitas hominis,* mate-

---

(1) *Qualis* requiratur relatio actuum humanorum in finem ultimum, non est hujus loci exponere. Ideo remittimus ad tr. *de moralitate.*

(2) Circa hanc quæstionem, attentis præsertim impugnationibus recentioris ætatis, præ ceteris legi meretur De Baets, *Les bases de la morale et du droit,* 1892.

rialiter *idem sint, non vero quatenus* **formaliter** *non differant, quasi scilicet finis ultimus,* **quatenus est felicitas hominis,** *non esset subordinatus fini ultimo,* **quatenus est gloria Dei.**

Explicatur. Finis ultimus operum (1) Dei ad extra est Bonitas divina, non quidem perficienda, sed manifestanda et glorificanda seu est gloria Dei *extrinseca* et quidem *formalis* (2). Dicitur *extrinseca:* distincta videlicet ab intrinseca, tum objectiva, quæ est ipsa Divinitas seu splendor et excellentia naturæ et personarum divinarum, tum formali, quæ est cognitio, amor et laus quibus Deus ab æterno se cognoscit, amat et laudat; dicitur *formalis*, non objectiva tantum: hæc utique gloria objectiva finis est communis omni creaturæ, tum rationali tum irrationali, quatenus per suam entitatem omnis res creata est repræsentativa divinarum perfectionum, sed non est finis simpliciter ultimus, cum illa manifestatio, ne sit inutilis, debeat habere terminum extra Deum, np. creaturam rationalem, quæ sola potest intellectu apprehendere perfectiones divinas Deumque amare et laudare seu reddere Deo gloriam extrinsecam formalem. Unde hæc est finis absolute ultimus totius creationis, *immediate* quidem creaturarum rationalium, *mediate* vero ratione carentium, quatenus enti intelligenti Deum cognoscibilem præbent et ita *voce hominis* Deum formaliter glorificant.

Finis igitur ultimus operis, quod est homo, est glorificatio Dei formalis, quem finem, homo utpote natura rationalis, per seipsum immediate attingere valet. Jamvero illa glorificatio Dei, quia est finis proprius hominis, *necessario* est etiam beatitudo hominis. Exigit

(1) Dicitur: *finis operum*. Cum enim Deus non moveatur, nequit esse sermo de vero *fine operantis* Dei, sed tantum de *ratione* operandi ad extra: cfr supra hoc t. VI, p. 433 sqq. Aliis verbis: Deus non propter hoc vult hoc, quamvis velit hoc esse propter hoc (finis operum).

(2) Pro intelligentia terminorum vide *Collat. Brug.*, t. II (1897), p. 64 sqq. et t. VI, p. 433 sq.

enim summi Opificis sapientia ut quando opus aliquod producendum destinat ad finem determinatum, illud producat ita constitutum ut totum quod est referatur ad finem intentum obtinendum. Unde homo, totus quantus est factus a Deo, id est totus quantus est, ejus natura ejusque facultates, est factus ad glorificandum Creatorem, et in hoc fine obtento tamquam proprio et naturali termino quiescit seu est beatus (1). Gloria igitur Dei debet esse beatitudo hominis. Idem ostenditur *de facto* verificari in eo qui libere tendit, ut tenetur morali np. obligatione, in finem ab Auctore naturæ sibi præstitutum: bonum est quod constituit perfectionem subjecti; hominis autem perfectio simpliciter nequit esse alia quam perfectio facultatum superiorum, quibus specifice homo est, intellectus scil. et voluntatis; et cum perfectio facultatis consistat in ejusdem actu, perfectio hominis essentialiter esse nequit alia quam actus perfectus intellectus et voluntatis, attingentium np. proprium suum objectum, quod est ipsum Verum et Bonum. Unde summum bonum hominis seu beatitudo ejus suprema est possessio Dei per cognitionem et amorem, id est per glorificationem Dei formalem. Et sic patet quod ambo fines, gloria Dei et beatitudo hominis, *materialiter* in idem redeant seu simul iisdem actibus obtineantur: homo enim Deum glorificando beatus est et beatitudine sua Deum glorificat. Quod pulchre expressit Lessius verbis sæpe citatis: « Summa ejus [Dei] gloria est summum bonum nostrum, et summum bonum nostrum non potest esse nisi summa ejus gloria. » (2)

Quæ hactenus statuimus, præscindentes a quovis

---

(1) Huc facit quod dicit S. Thomas: « Unumquodque dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio. » (S. Th. 2ª 2ªᵉ, q. 184, art. 1 in corp.).

(2) *De perfectionibus moribusque divinis*. L. XIV, cap. III, n. 60. Hic et alii textus ejusdem Lessii huc pertinentes legi possunt apud *Collat. Brug.* t. II, p. 64 sqq.

ordine, vera sunt etiam si consideretur præsens ordo naturæ elevatæ: finis enim supernaturalis a naturali non differt objecto, sed essentialiter differt modo: utrobique enim habetur cognitio et amor Dei; at in ordine naturali cognitio per creaturas et amor naturalis: adeoque glorificatio Dei et beatitudo hominis *naturales;* in ordine autem præsenti supernaturali visio intuitiva et charitas: ac proinde glorificatio Dei et beatitudo hominis plane *supernaturales*. Et sic in statu naturæ elevatæ iterum fines materialiter in idem redeunt: actus enim visionis et amoris in patria sunt simul glorificantes Deum et beantes comprehensorem.

Unde hoc sensu dici potest finem hominis ultimum esse ejus beatitudinem, quatenus pro homine gloria Dei et beatitudo hominis sint *materialiter* idem; nullatenus vero hoc sensu quod ambo illi fines *formaliter* non differant: nam finis ultimus *quatenus est felicitas nostra* est subordinatus fini ultimo *quatenus est gloria Dei*, seu, ut multis placuit, gloria Dei est finis ultimus primarius, beatitudo vero hominis finis ultimus secundarius. Ratio est quia Deus cum necessario in omnibus diligat suam bonitatem, nequit velle hominem esse propter beatitudinem, nisi quatenus hæc hominis beatitudo sit gloria Dei vel ad eam referatur. Dicendum igitur est Deum nos ordinasse ad gloriam suam, *quæ est* simul beatitudo nostra, non vero *quatenus est* beatitudo nostra; ad summum dici posset Deum assignasse tamquam finem ultimum beatitudinem nostram, formaliter quatenus ipsa est gloria Dei. Similiter suprema norma actuum humanorum reponenda est in ultimo fine non quatenus est felicitas nostra, sed quatenus est gloria Dei.

Cfr Ill^m^ ac Reverend^m^ Waffelaert, *Exposé sommaire des principes généraux de la science sociale*. Bruges 1894, p. 14 ss., et *Collat. Brugen.* hoc t. VI, p. 433 sqq.; Palmieri, *De Deo creante et elevante*, th. X; Bouquillon, *Theologia moralis fundamentalis*, ed. 2ª (1890), p. 145 sqq.

H. M.

V.

Q. *Expone modum agendi confessarii erga pœnitentes qui confitentur se contra fidem fuisse tentatos?*

R. 1° Confessarius *ut judex* imprimis dijudicet utrum necne et quousque pœnitens his tentationibus *consenserit,* adeoque accurate distinguat inter simplicem tentationem contra fidem et peccatum contra præceptum fidei internum. Quod judicium sæpe sæpius directe (i. e. opportune et prudenter pœnitentem interrogando) obtineri nequit, sed potius *indirecte, scil. fundata præsumptione.* Hæc autem præsumptio præ cæteris indiciis, niti debet pœnitentis conditione, moribus et notitia quam de seipso confessario ingerit. Ità

a/ Si pœnitens est *fidei languidæ, nutantis et parum operosæ,* necnon de salute sua incurius; si hujusmodi tentationibus contra fidem voluntarie se exponit, ut si legat scripta fidem christianam, Ecclesiam catholicam ejusve doctrinam impugnantia; si hominum impiorum societatem frequentare assolet impiasque ac fidei repugnantes confabulationes non vitat, nec jam satagit passionibus suis frænum imponere ne mentem obnubilent; præsertim autem si, teste experientia, antea reapse de uno alterove fidei articulo dubitaverit, prudens confessarius præsumere poterit pœnitentem illum tentationibus de quibus se accusat haud sufficienter restitisse. Adeoque ad prudentiam confessarii spectabit jam tales instituere interrogationes opportunas quæ integritatis defectui supplere, necnon pœnitentis dispositionem adeoque et remedia opportune præscribenda manifestare valeant.

b/ Si pœnitens e contrario est vir *fidei vivacis et operosæ,* religionis præcepta observans, Ecclesiæ addictus; qui hujusmodi tentationes totis viribus ordinarie repellit; qui (non obstantibus peccatis quibusdam ex humana fragilitate admissis) vivere ac mori vult ut bonus

christianus catholicus, credendo ac faciendo omnia, quæ a filiis fidelibus S. Matris Ecclesiæ credi ac fieri debent; a fortiori adhuc si pœnitens est vir pius, confessarius prudenter præsumet pœnitentem in casu non consensisse. Generatim loquendo impossibile est tales pœnitentes his tentationibus consentire adeoque contra fidem peccare quin hoc *certo* sciant. Ergo cùm dicendo « se contra fidem fuisse *tentatum* » pœnitens satis clare significet se non consensisse vel saltem nescire utrum consenserit, practice moraliter certum est eum tentationi restitisse.

c/ Hæc præsumptio a fortiori valet si pœnitens *timoratus scrupulis laborat:* talis enim propter defectum deliberationis ad peccatum requisitæ adhuc multo difficilius fidem negare valet; imò fere moraliter impossibile est ut dogma fidei deliberate neget. Etiamsi tales personæ, præsertim phantasiæ vividioris, interdum dicant se non credere (vel se non sperare, se odio habere Deum, se blasphemare etc.) confessarius verba ista evidenter non accipiat uti sonant, quippe quæ indicium sunt conscientiæ turbatæ quæ sensum á consensu et vividas phantasiæ apprehensiones a judiciis intellectùs distinguere non valet.

2° Post prævium hoc de consensu judicium remanet ut sacerdos *tanquam medicus* apta cuique remedia assignet, inspectis causa et radice tentationum necnon indole et conditione pœnitentis.

a/ Si, præsumpto rationabiliter *consensu*, opportunæ interrogationes a confessario institutæ, verum pœnitentis in fide defectum seu peccatum fidei oppositum v. g. hæresim manifestaverint, per se patet confessarium hunc pœnitentem licite absolvere non posse nisi prudenter et probabiliter judicet eum esse hic et nunc dispositum i. e. errorem suum retractasse vel dubio deliberato valedixisse (1), eumque velle occasionem

(1) In peccatis contra fidem optime attendenda est in ordine ad pœnas reservationesque distinctio inter peccatum internum et peccatum exter-

proximam voluntariam peccati mortalis (v. g. lectiones pravas) derelinquere. Quandoque breviter, sed quo potest solidiori modo confessarius illum circa peculiarem fidei veritatem edocere vel falsam ejus de dogmate opinionem confutare seu conceptum erroneum corrigere conabitur. Hujusmodi pœnitentibus, præter alia remedia apta ad futuras tentationes vincendas, opportune proponi potest recitatio actus fidei (1).

b/ Confessarius pœnitentem *pium* Ecclesiæ ac fidei addictum, quem præsumit nullo modo vel saltem non plene consensisse, consoletur ipsique animos addat dicendo molestas istas tentationes esse despiciendas atque negligendas, easque nedum fidei infirmæ sint indicium, potius firmitatem in fide demonstrare, cùm vehementes tentationes non experiantur viri modicæ ac languidæ fidei qui facile cedunt. Remedium igitur proponendum est fuga ac contemptus non verò pugna directa nec positiva conamina, uti ratiocinatio vel etiam recitatio frequens actus fidei: his enim mediis tentatio fovetur sæpe ac roboratur potius quam minuatur ac

---

num. Hanc tamen distinctionem hîc silentio præterimus, quia responsio ità concinnata longius nos duceret, neque requiritur juxta tenorem quæstionis quippe quæ *de solo peccato interno* (si peccatum admissum fuerit) agi satis indicat — cfr. v. g. si juvat *Collat. Brugen.* Tom. IV, 142 ss. — Quoad moribundos cfr. S. Alph. *Praxis Confessarii,* c. XI, n. 238. « Ab hac terribili tentatione præsertim agitantur, qui cum perditam egerint, vitam, sibi suoque judicio nimis adhæserunt, præcipue si viri eruditi fuerint. Hic sedulo advertendum, quod si dæmon aliquod eis circa fidem dubium aut subtilitatem suggerat, statim constanti animo tantum generatim respondeant: *Ego credo quod S. Mater Ecclesia credit, quæ veritatem credit et confiletur*.... Præcipuus tamen modus, et utilior ad hujusmodi tentationes repellendas erit mentem alio divertere, aliosque varios elicere actus, nempe contritionis, spei, charitatis erga Deum, et similia.... ».

(1) Uti notum est, *præceptum* divinum eliciendi actum fidei probabiliter urget per se in mortis periculo; et per accidens certo urget in tentatione interna vel externa contra fidem, cui per actum fidei resistere necesse sit. Attamen notant Auctores raro contigere actum positivum fidei necessarium esse ad resistendum, cùm possit sæpe id fieri cogitationem ad aliud divertendo; imò ut statim videbimus hoc remedium ordinarie non est consulendum personis piis, nunquam vero scrupulosis.

repellatur. Consultius igitur erit vel cogitationem alio divertere, vel in casu tentationis valde molestæ ac diuturnæ opportune elicere, at semel tantum et mentaliter, actum fidei generalem, non autem actum tentationi contrarium (1).

c/ Pariter fidelis *scrupulosus* jubeatur illas tentationes ut phantasmata despicere et postea non inquirere utrum consenserit, nec eas confiteri nisi absque hæsitatione certus sit et cum juramento prompte testari possit se deliberate consensisse. Præterea ipsi a fortiori suadendum est ut contra tales cogitationes non positive ac directe pugnet actus fidei eliciendo vel etiam orando, sed eas potius contemnat atque penitus despiciat.

A. C.

VI

Q. *Quibusnam diebus et sub quibus conditionibus licet celebrare missam exequialem corpore non præsente?*

R. Prænotetur maxime Ecclesiam in votis habere ut, *præsente* defuncti corpore, missa *de Requie* celebretur. Ita in Rituali Romano (Tit. VI, cap. 1 *de exequiis* nº 4) legitur: « Quod antiquissimi est instituti illud, *quantum fieri poterit*, retineatur, ut missa, *præsente corpore*, pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur ». Et ideo (l. c., nº 5) permittit ut etiam in diebus festis si quis sit sepeliendus, missa propria pro defunctis, præsente corpore, celebretur; « dum tamen conventualis missa et officia divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obstet »; vel ut ait (cap. 3, nº 19): « missa, si hora fuerit congruens, ritu

(1) Ità si quis graves patiatur tentationes circa Christi realem præsentiam in SS. Eucharistia, melius erit si alio se divertat, vel in genere eliciat actum fidei dicendo v. g.: *Credo quidquid credit S. Mater Ecclesia,* nam solicite elicere actum expressum fidei circa realem præsentiam, fortasse tentationem augebit.

pro defunctis, ut in die obitus, præsente corpore, non omittatur, nisi obstet magna diei solemnitas aut *aliqua necessitas* aliter suadeat ». Prævidet ergo ipsum Rituale impedimenta, ne missa præsente corpore fiat, sed ex alio loco (l. c., cap. 5) et ex decretis patet mentem Ecclesiæ esse, ut in casu, quamprimum, absente corpore, celebretur missa *de Requie*, quæ ex aliqua necessitate præsente cadavere celebrari non potest vel non potuit; huic autem missæ plura privilegia concedit, quæ aliis missis *de Requie* non competunt.

Missa exequialis, ut privilegiis gaudeat et celebrari possit certis quibusdam diebus, quibus aliæ missæ defunctorum prohibentur, debet esse solemnis vel saltem cantata. Pro paupere tamen defuncto cujus familia impar est solvendo expensas missæ exequialis cum cantu, hæc missa legi potest, sub iisdem clausulis et conditionibus quibus missa exequialis cum cantu conceditur. Ita ex decr. 12 Junii 1899, nº 4024 (1). His præmissis respondetur:

I. Missa exequialis, non præsente corpore, sive hoc sit adhuc insepultum, sive jam sit sepultum *non ultra tamen biduum*, licite celebrari potest eodem prorsus modo ac si corpus esset præsens ac iisdem diebus, quibus corpore præsente permittitur, dummodo « ex civili vetito, aut morbo contagioso, aut alia gravi causa, cadaver in ecclesia præsens esse nequeat » (*Decr. generale* 2 Dec. 1891, nº 3755, ad II; et decr. 13 Feb. 1892, nº 3767, ad XXVI).

Dicitur 1º permitti missam exequialem, *sive corpus sit adhuc insepultum, sive jam sepultum non ultra tamen biduum*. Celebrari ergo valet in casu sive uno die intermedio a morte ad sepulturam, « *insepulto cadavere* » (2), sive ipso die sepulturæ, sive « in altero ex

(1) Vide p. 529 et *Collat. Brug.* 1899, p. 486 et seqq.
(2) Decr. 8 Junii 1896, nº 3903; vide p. 531.

immediate sequentibus duobus diebus » (1), « *sepulto non ultra biduum cadavere* », exclusis tamen diebus vel casibus qui impediunt hanc missam etiam præsente corpore; sed de hoc infra. Perdurat ergo privilegium diei obitus vel depositionis per duos dies immediate sequentes sepulturam, sed non ultra, et corpus toto illo tempore, quamvis materialiter absens « censeri potest ac si foret physice præsens » (2) et dicitur « *moraliter* præsens » (3). « Missa ergo exequialis *de Requiem* in hoc casu assimilatur missæ celebratæ in conditionibus ordinariis præsentiæ cadaveris et in de-

(1) Decr. gen. cit. 2 Dec. 1891 ad II. In hoc decreto legitur: « in altero ex immediate sequentibus duobus *ab obitu* diebus », et in decr. 13 Feb. 1892 cit.: « cadaver... *humatum,* dummodo non ultra biduum *ab obitu,* censeri potest ac si foret physice præsens etc. » Unde concludere quis posset duos sequentes dies seu biduum computandum esse non a die depositionis seu sepulturæ sed a die *obitus* seu mortis. Sed notari potest in liturgia ordinarie diem obitus considerari pro uno eodemque die cum die depositionis; ita quamvis inter utrumque diem habeantur sæpissime dies intermedii, Ecclesia in missæ collecta die sepulturæ orat pro anima « quam *hodie* de hoc sæculo migrare jussisti ». Dein decreta citata conferenda sunt cum aliis decretis et cum Rubrica missalis. Decretum *Aucto* 8 Junii 1896 (cfr. p. 531) concedit in exequiis fieri posse missas privatas « præsente, insepulto vel etiam *sepulto non ultra biduum* cadavere »; Rubrica autem Missalis ad normam hujus decreti reformata (Tit. V, nº 2) eamdem dispositionem habet: « præsente, insepulto, vel etiam *sepulto non ultra biduum*, cadavere ». Jamvero interrogata S. Congregatio Rituum, utrum missæ privatæ *de Requie,* quæ sub expressis conditionibus celebrari possunt (vi decr. *Aucto*), licitæ sint in quibuscumque ecclesiis et oratoriis sive publicis sive privatis, respondit 12 Januarii 1897 (cfr. *Collat. Brug.*, 1897, p. 281): « Affirmative, dummodo cadaver sit physice vel moraliter præsens; sed si agatur de ecclesiis vel Oratoriis publicis, *fieri debet etiam funus cum missa exequiali* ». Unde concludendum, illis diebus, quibus permittuntur missæ privatæ ut in die obitus, a fortiori admittendam esse missam exequialem; missæ autem lectæ in casu dicuntur licitæ per duos dies sequentes sepulturam, « sepulto non ultra biduum cadavere ». Ergo licita est et missa principalis exequialis intra idem biduum. — Conferri etiam potest decretum 28 Maii 1897 (nº 3957), quo ad dubium, utrum eædem missæ privatæ de Requie, « dici valeant cadavere tantum moraliter præsente sed physice absente, licet insepulto vel *sepulto* non ultra biduum », etiam affirmativum datur responsum.

(2) Decr. 13 Feb. 1892 cit.

(3) Decr. 12 Jan. 1897 ad 3 et Decr. 28 Maii 1897, nº 3957 ad 1.

cretis dicitur celebrata *pro die obitus*, sicuti hæc dicitur celebrata *in die obitus* ». (Ill. Vanderstappen *de rubricis missalis* q. 337). Notandum tamen est, missam exequialem in prædicto spatio temporis permissam, non in singulis diebus tanquam privilegiatam celebrari posse, sed semel tantum seu in uno ex præfatis diebus (1).

2° Dicitur missam exequialem in casu licite celebrari *eodem modo ac iisdem diebus quibus præsente corpore indulgetur*. Permittitur ergo in Dominicis et festis duplicibus etiam primæ classis, paucis exceptis, scilicet illis « duplicibus primæ classis *solemnioribus* seu universalis Ecclesiæ seu Ecclesiarum particularium ex præscripto rubricarum recolendis » (2); quæ sunt: festa Paschatis et Pentecostes, Nativitatis et Ascensionis Domini, Annuntiationis, Assumptionis et Immaculatæ Conceptionis B. M. V., S. Joseph, Nativitatis S. Joannis-Baptistæ, Omnium Sanctorum, Dedicationis et Titularis propriæ Ecclesiæ; dies Dominica in quam solemnitas festi infra hebdomadam occurrentis alicubi ex indulto transfertur, scilicet, pro nostra regione Dominicæ Solemnitatis Epiphaniæ, Corporis Christi, SS. Petri et Pauli et Patroni principalis loci. Quibus adjungenda sunt ultimum triduum Hebdomadæ majoris et dies in quibus Eucharistia solemniter exposita habetur, ubi et donec expositio perdurat. Reliquis ergo diebus omnibus, etiam duplicibus primæ classis, hæc missa exequialis permittitur dum tamen, ut monet Rituale, conventualis missa et officia divina non impediantur, quod applicandum est etiam missæ parochiali.

3° Dicitur hanc missam exequialem absente corpore, celebrari posse *dummodo cadaver in ecclesia præsens esse nequeat* a/ vel *ex vetito civili* seu interdicto civilis potestatis ne defuncti vel defunctorum corpora ad ecclesiam deferantur; b/ vel *ex morbo contagioso* propter

(1) Cfr. supra p. 531 et ann. 1899, p. 488.
(2) Decr. gen. 2 Dec. 1891; Cir. supra p. 529.

quem, ad periculum contagionis vitandum, corpus non defertur in ecclesiam vel saltem in ecclesia adesse non potest, tempore quo celebraretur missa exequialis; c/ vel *ex alia gravi causa*. Inter graves causas potest haberi impedimentum liturgicum, quando, scilicet corpus sepeliendum est die aliqua ex solemnioribus, de quibus supra, quæ missam exequialem, etiam præsente corpore, excludunt; v. g. aliquis defunctus sepelitur Sabbato sancto, in quo missa exequialis prohibetur, hæc poterit celebrari absente corpore, non quidem die sequenti seu Paschatis quæ æque impediens est, sed feria secunda Paschatis quæ, quamvis sit duplex primæ classis, non tamen computatur inter solemniores dies exequias prohibentes, et in casu intra biduum a sepultura comprehenditur (1).

II. Si autem, nec in die sepulturæ propter easdem rationes, nec duobus diebus sequentibus sepulturam, præsertim propter impedimentum liturgicum, missa exequialis celebrari valet, hæc in casu permittitur, ut in die obitus seu depositionis, die quæ prima occurrit non impedita festo duplici primæ vel secundæ classis vel a festo de præcepto seu Dominica. Ita, v. g. aliquis defunctus sepelitur feria VI in Parasceve, qua die missa exequialis etiam præsente corpore prohibita est, hæc duobus sequentibus diebus (infra biduum), scilicet Sabbato sancto et festo Paschatis, æque non permittitur propter dierum celebritatem; sed nec celebrari potest feria secunda vel feria tertia sequenti, cum sint duplicia primæ classis, et jam transactum sit biduum a sepultura; unde, ut gaudeat privilegiis, celebranda erit feria quarta infra Octavam Paschatis, quæ est prima dies

(1) *Ephemerides liturgicæ* aliam indicant causam propter quam Parochus posset peragere exequias uno ex duobus diebus sequentibus sepulturam, eodem modo ac si cadaver esset physice præsens, quando scilicet « eadem die plura sepelire debet cadavera, adeo ut pro exequiis agendis tempus illi non suppetat, nec alius ibi præsto sit sacerdos » qui missam exequialem, præsente corpore celebrare possit. (*anno* 1897, p. 170.)

dicto modo non impedita; neque obstat quod Octava Paschatis sit privilegiata et excludat alias missas de Requie præter exequiales. Dies ergo post transactum biduum minus privilegiata est quam biduum, cum missam exequialem, quæ in casu dici potest translata, celebrare non liceat occurrente festo de præcepto, Dominica vel duplice classico, quod, nisi festum solemnius obstet, licet in biduo. Hoc privilegium limitatum primæ diei liberæ post depositionem, supposita rationabili causa translationis, plura decreta agnoscebant, quæ e nova Collectione authentica expuncta fuerunt, sed illud renovat decretum generale jam citatum 2 Decembris 1891 ad 3: « Denique eadem missa *(ex gravi causa absente corpore)* celebrari poterit *pro prima tantum vice* post obitum... die quæ prima occurrat, non impedita a festo duplici primæ et secundæ classis vel a festo de præcepto: quo etiam in casu missa dicenda erit ut in die obitus ». « Igitur, aiunt *Ephem. liturg.* (1900. p. 166), si die infra biduum ab obitu vel depositione missa exequialis celebrari non potest, celebrari potest prima die quæ occurrit non impedita a festo duplici primæ vel secundæ classis vel de præcepto. Hoc significant verba illa, *pro prima tantum vice:* quando nempe nulla missa exequialis celebrata fuit; idcirco quæ celebratur diebus non impeditis dici potest prima quæ celebratur. Regulæ translationis sunt satis claræ. Post biduum ab obitus vel depositionis die *per se* missa exequialis celebrari non potest: sed si adsit impedimentum tunc celebrari potest, prima die libera non impedita etc., ut supra in decreto. » (1)

H. V. D. W.

---

(1) Quando missa exequialis transfertur in primam diem liberam post biduum, ideo licitæ non sunt (in duplice vel æquivalente) missæ privatæ seu lectæ *de Requie,* quæ juxta decretum *Aucto* addi possunt missæ exequiali; cum, juxta rubricam missalis, nonnisi « ut in die obitus seu depositionis, etiam in duplicibus celebrari possunt, præsente, insepulto vel *etiam sepulto non ultra biduum* cadavere, exceptis etc. ». Cfr. supra p. 531.

Pensions de Vieillesse
Allocation annuelle de 65 francs

AVIS IMPORTANT.

Nous appelons instamment l'attention des hommes d'œuvres et de tous ceux qui s'intéressent aux bénéficaires de l'allocation annuelle de 65 francs, sur plusieurs points concernant la rédaction des requêtes et la procédure d'instruction.

D'abord, il convient de rappeler que, conformément à l'art. 7 de l'arrêté royal du 20 Octobre 1900 (1), les demandes d'allocation ne seront désormais recevables que jusqu'au 1 janvier de l'année pendant laquelle l'intéressé désire jouir de l'allocation. En conséquence, toutes les personnes qui sollicitent l'allocation pour l'année 1902, tant celles qui sont nées en 1836 (2) que celles dont la demande a été rejetée l'année dernière, devront adresser leur requête, par l'intermédiaire de l'administration communale, au Président du Comité de patronage des habitations ouvrières de leur circonscription respective, *avant le 1 janvier 1902*.

Notons ensuite (3) que les bénéficiaires qui ont changé de résidence pendant l'année écoulée, c'est-à-dire *se sont fixés dans une autre commune du royaume,* ne peuvent, l'année suivante, jouir de l'allocation que moyennant une nouvelle procédure, c'est-à-dire moyennant une nouvelle requête (à envoyer *avant le 1 janvier*), une nouvelle instruction (4), et une nouvelle décision du Comité de patronage compétent. Toute la procédure

(1) Cfr *Coltat. Brug.*, VI. pp. 80 ss.
(2) *Ibid.*, pp. 537 s.
(3) Art. 13 *Ibid.* pp. 91 ss.
(4) Art. 7 à 12, *Ibid.* pp. 80 ss.

doit être reprise, même dans le cas où le Comité compétent est celui-là même qui a statué l'année précédente sur la demande de l'intéressé en question.

Il importe souverainement de prouver dans la requête que l'impétrant est *ouvrier ou ancien ouvrier* (1) (ou veuve d'un ouvrier ou ancien ouvrier). Il faut donc éviter les termes ambigus p. ex. *agriculteur, (landbouwer)*, au lieu de: *ouvrier agricole (landbouwwerkman)*. Quant à la condition du besoin (2), il faut exposer *l'ensemble de la situation de l'intéressé,* établir le rapport entre le montant des ressources et les charges du ménage. A la rubrique « *salaire* » il ne faut mentionner que le salaire proprement dit payé en échange du travail manuel fourni. C'est ainsi que cette année nombre de requérants ont erronément inscrit à cette rubrique le produit annuel d'une parcelle de terre qu'ils possèdent ou tiennent en location. Il ne faut mentionner que le salaire de l'intéressé, de son conjoint et des enfants *habitant avec lui*, et prendre soin de noter éventuellement si les enfants sont mariés.

Rappelons aussi que l'appréciation du besoin, *pour tous les intéressés*, *même pour les hospitalisés*, est laissée à la décision des Comités de patronage. Quand l'institution qui les a recueillis ne pourvoit pas *complètement* à leur subsistance (en leur procurant le logement, la nourriture, les habillements etc. et éventuellement les soins médicaux), et quand, d'autre part ces hospitalisés n'ont pas les ressources nécessaires pour assurer leur subsistance quant au surplus, ils doivent être considérés comme étant dans le besoin au sens de l'article 6.

Une circulaire ministérielle en date du 21 janvier 1901 adressée aux Gouverneurs, dit textuellement: « Il importe de ne pas perdre de vue que les allocations de 65 francs seront accordées *sans préjudice des secours*

---

(1) Art. 5 *Ibid.* pp. 69 ss.
(2) Art. 6 *Ibid.* pp. [illegible] ss.

ordinaires de la bienfaisance publique. Le législateur n'a voulu d'aucune façon réduire les charges de bienfaisance incombant aux administrations communales ». (1)

Répétons enfin que l'intéressé peut rédiger personnellement sa requête ou en charger un mandataire *qu'il choisit librement*. Il entre dans les vues du gouvernement que les sociétés mutualistes facilitent aux vieillards la rédaction des requêtes, et à cet effet le Ministère de l'Industrie et du Travail tient des formulaires à la disposition de ces institutions. Une administration communale qui voudrait se réserver le monopole de cette rédaction outre-passerait donc évidemment ses droits.

A. C.

Fabriques d'église

Séance légale du mois de Janvier

En vertu de l'art. 10 du décret du 30 Décembre 1809, les conseils de fabrique doivent se réunir le dimanche, 5 Janvier prochain.

Dans cette séance on pourvoira, s'il y a lieu, au remplacement des conseillers ou marguilliers décédés, démissionnaires etc. — Ensuite le conseil s'occupera de tous autres objets portés à l'ordre du jour. Tels seraient par exemple la location des bancs, places et chaises de l'église (voir De Brabandere-Van Coillie, *Jur. Can. Comp.*, ed. 1899, T. II, n. 1115 ss.); le renouvellement des baux échus ou près d'échoir (*ibid.* n. 1107 ss.); pour autant que ces objets rentrent dans les attributions du conseil.

(1) Voir la 2de *édition de notre Commentaire*, p. 21.

Ex S. Congregat. Indulgentiarum

URBIS et ORBIS.

Decretum quo Sodalitates *Viæ crucis viventis* approbantur.

Pietati Christifidelium fovendæ nihil est tam aptum, nihil tam efficax, quam frequens Dominicæ Passionis meditatio, in qua dum ipsi recolunt quanta Verbum Dei Caro factum pro nobis pati dignatum est, eorum corda ad pœnitentiam excitantur, et ad redamandum Christum Jesum vehementer inflammantur.

Jam vero inter plura quæ id præstant pia exercitia, illud procul dubio præ ceteris eminet, quod a *Via Crucis* nuncupatur, a S. Leonardo e Portu Mauritio primitus invectum, et in universa catholica Ecclesia tam salubriter propagatum.

Quoniam vero plures vel occupationibus distenti, vel valetudine laborantes, prohibentur quominus integro hujusmodi pio Exercitio vacent, nonnulli pietatis zelo præstantes viri, ne spiritualium fructum ex eodem Exercitio manantium copia deperdatur, Sodalitates quasdam instituere excogitarunt ex quatuordecim sociis constantes, qui singuli unam quotidie sibi attributam ex quatuordecim stationibus meditando peragant, ad instar Sodalitatum *Rosarii Viventis*.

Hinc S^smo^ D^no^ Nostro Leoni PP. XIII preces humiliter sunt delatæ, ut prædictas Sodalitates, earumque leges approbare, et nonnullas sociis indulgentias tribuere dignaretur.

Has porro preces, relatas in audientia habita die 16 Augusti 1901 ab infrascripto Cardinali Præfecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, Eadem Sanctitas Sua peramanter excepit, Sodalitatesque *Viæ Crucis Viventis* summopere commendans approbavit, earumdemque leges, prout in subjecto schemate prostant, auctoritate sua sancivit, servandasque mandavit, simulque indulgentias omnes in indice huic Decreto inserto contentas in perpetuum benigne concessit, defunctis quoque applicabiles.

LEGES SERVANDÆ
IN ERIGENDIS SODALITATIBUS VIÆ CRUCIS VIVENTIS.

I. Exercitium *Viæ Crucis Viventis* instituitur, ad instar *Rosarii Viventis.*

II. Via Crucis *vivens* nihil aliud est, quam invitamentum atque tyrocinium ad completam Viam Crucis, juxta formam in Ecclesia catholica adhiberi solitam, uberiori ædificationis fructu, atque indulgentiarum ac privilegiorum a SS. Pontificibus concessorum thesauro multo locupletiore ditatam.

III. Quælibet Sodalitas ex quatuordecim sociis constat, et nonnisi in Ecclesiis, vel Oratoriis publicis sive semipublicis, vel etiam in Communitatibus, ubi Stationes Viæ Crucis rite erectæ existunt, constitui debet.

IV. Jus constituendi Sodalitates in toto Ordine, seu ubique locorum, residet in Ministro Generali Ordinis Minorum S. Francisci; inter limites propriæ Provinciæ in Provincialibus; in respectivo districtu in Guardianis eorumque vices gerentibus, sive per se, sive per suos subditos ad id deputatos.

V. Spectat jure primario ad Ministrum Generalem ubique locorum deputare Directorem Sodalitatum religiosum ejusdem Ordinis, et, ubi hic desit, sacerdotem sive sæcularem, sive regularem, qui personarum ad novam sodalitatem pertinere cupientium, catalogum conficiat, atque custodiat. Idem possunt Provinciales, nisi auctoritas Ministri Generalis obstet, intra limites propriæ Provinciæ, et etiam Superiores locales, dependenter tamen a Ministro Provinciali.

VI. Ad Directorem spectat nominare Zelatores et Zelatrices, qui vel quæ personas inscribendas prudenter quærant, eidemque Directori proponant.

VII. Ad exercitium Viæ Crucis viventis rite peragendum et ad indulgentias eidem adnexas lucrandas requiritur meditatio Stationis unicuique per sortem assignatæ, et recitatio trium *Pater, Ave* et *Gloria,* manu tenendo Crucifixum ex materia solida confectum, et ad hoc benedictum, sive a Ministro Generali, sive a Ministro Provinciali in respectiva Provincia, vel a Superiore locali, aut etiam ab ipso Directore, vel alio Sacerdote a Ministro Generali delegato.

INDEX INDULGENTIARUM
SODALITATIBUS VIÆ CRUCIS VIVENTIS TRIBUTARUM.

Omnes Christifideles ab aliquo Directore in Sodalitatem admissi, sequentes Indulgentias lucrari possunt:

I. Primo die festo postquam Sodalitatem adiverint *plenariam indulgentiam,* si eodem die vere pœnitentes confessi, S. Synaxim suscepeiint.

II. Festis Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Corporis Christi, Pentecostes, Sanctæ Trinitatis; item singulis feriis Sextis mensis Martii, nec non festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis, SS. Stigmatum S. P. Francisci, et ejusdem die natali, *plenariam indulgentiam,* dummodo quisque sodalium quotidie sibi assignatam Stationem sedulo sancteque peregerit mense integro, simulque contritus et confessus S. Synaxim sumpserit, et aliquam Ecclesiam diebus supra statutis visitaverit, et inibi aliquamdiu ad mentem Summi Pontificis preces effuderit.

III. Die semel quotannis eligenda item *plenariam*, si quilibet e Sodalibus per annum integrum quotidie stationem sibi propriam peregerit, simulque memorata die vere contritus, confessus et sacra Synaxi refectus, ut supra oraverit.

IV. Pro quotidiano exercitio *centum dies* diebus ferialibus; *septem annorum et totidem quadragenarum* diebus dominicis aliisque per annum festis, nec non per totam majorem hebdomadam.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ, ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 16 Auguti 1901.

S. Card. CRETONI, *Præfectus.*

L. ✠ S.

† Pro R. P. D. Franc. Archiep. Amiden., *Secretario.*
Josephus M. Canonicus Coselli, *Substitutus.*

Consultationes

I

Quæritur. In *In Instructione pro confessariis* diœcesis Brugensis, sub n. 4 legitur : « Confessariis prohibemus, *sub pœna revocationis facultatum sibi concessarum,* ne mulierum confessiones excipiant in sacristia, aut alio ecclesiæ loco secreto, nisi pœnitens præ morbo, vel infirmitate; aut alia gravi ratione in confessionali se sistere non valeat, vel nisi tali surditate laboret, ut confiteri non possit quin ab aliis audiatur ».

Porro postulatur 1°/ utrum *ipso facto* illa pœna incurratur;

2°/ utrum eadem pœna vigeat in confessarium qui *extra ecclesiam* mulieris confessionem excipiat, puta in locutorio conventus;

3°/ quid censendum sit de praxi a quibusdam religiosis confessariis non raro usurpata, confessiones mulierum signanter religiosarum excipiendi in locutorio manasterii vel alio in loco extra ecclesiam.

Respondetur.

Ad 1m respondetur *negando.* Odiosa enim sunt restringenda, adeoque principium juris, « in pœnis benignior est interpretatio facienda » ; ac proinde comminata pœna intelligitur *ferenda* donec expresse statuatur ipso facto incurrenda.

Ad 2m pariter respondemus *negative,* idque eodem nitentes interpretationis principio. Revera non pronuntiatur pœna ferenda nisi in confessarios qui, extra necessitatis casum, mulierum confessiones excipere præsumunt in sacristia, aut alio *ecclesiæ* loco secreto.

Nec officit quod similis imo major forsitan sit abusus mulierum confessiones excipere in locutorio quam in sacristia aut in alio ecclesiæ loco secreto. Uti enim

ratiocinatur Feye, in tractatu autogr. *De Legibus,* n. 181, « in legibus humanis regulariter non fit argumentum a pari, neque a majori ad minus, vel contrà; quia in his quæ pendent a libera voluntate, non concluditur a pari »; quod, uti addit idem Auctor, n. 184, « longe majori jure de legibus odiosis dici debet ». Cf. Van den Berghe, *De Legibus*, n. 122.

Ad 3m: *Regulariter* probari nequit, et multiplici nomine tanquam abusiva reprobanda est praxis de qua quæritur. Nimirum

A/ Lex est generalis Ecclesiæ prohibens quominus regulariter excipiantur confessiones in privatis ædibus, et injungens confessario ut suo munere alibi non fungatur quam in ecclesia, idque in sede confessionali: « quæ sedes patenti, conspicuo, et apto ecclesiæ loco posita, crate perforata inter pœnitentem et sacerdotem sit instructa ». *Rit. Rom.*, Tit. III, cap. I, n. 7-8.

Quam ordinationem non semel in memoriam vocaverunt et successive confirmaverunt varia decreta Romana (1), necnon statuta diœcesana in respectivis diœcesibus. Et ita, in diœcesi Brugensi, in hunc sensum statuitur in *Pastorali Brugensi*, p. 49, in suprà memorata *Instructione pro confessariis,* n. 3, et in Congregatione Prosynodali, 23 Maii 1871, ubi sub n. III additur: « Quæ in Pastorali de sede confessionali in conspicuo ecclesiæ vel sacelli loco posita præscribuntur, etiam ad moniales extendi debent; ita ut harum confessiones in sacristia aut cubiculo excipere non liceat ». *Collectio Epist. Pastor.*, XII, p. 43. (2)

Porro « a præscripto Rit. Rom. excusat levis causa pro confessione virorum; imo ex consuetudine clericorum confessiones etiam extra ecclesiam excipi so-

---

(1) Cf., inter alia, decreta S. C. de Prop. Fide, 26 Juni 1780 et 13 Apr. 1807, apud *Collectan.*, n. 960 et 962.

(2) Cf. etiam decreta Congreg. Prosynod., 1 Junii 1897, apud *Collat. Brug.*, II, p. 431.

lent. Sed pro feminarum confessione requiritur *gravis* causa » (1).

Et sane gravissimæ sunt rationes quæ prudentiam suadent et decentiam in audiendis mulierum confessionibus, non tantùm ne virtus sacerdotis periclitetur, sed potissimùm ne suspicionibus, oblocutionibus, calumniis præbeatur ansa, neque ipsum ministerium sacrum vituperetur populusque fidelis scandalum patiatur.

Quam cæteroquin disciplinam Episcopus Brugensis, ll. cc., respectu fæminarum, expressis verbis urget *sub gravi*, imo, infra terminos suprà assignatos, sub revocationis facultatum pœna.

B/ A descripta lege, in quantum confessiones afficit mulierum, excusat *gravis ratio*, qualis habetur in morbo vel infirmitate, pœnitentem ab accessu ad ecclesiam aut ad confessionale impediente, necnon in surditate, præ qua confiteri non potest pœnitens quin ab aliis audiatur.

Profectò ad hosce, per modum exempli enumeratos, casus non limitatur exceptio inducta, nec ullatenus negandum putamus ulterius peculiaria posse dari adjuncta in quibus prudenter a regula recedatur; et ita v. gr. non esset carpendus modus agendi confessarii, extra ecclesiam excipientis confessionem alicujus mulieris, quæ conscientiæ stimulis graviter anxiatur, et absque infamiæ periculo, vero ac non conficto, hic et nunc ad ecclesiam tendere non valet.

Attamen singulari prudentia est opus, et incaute agit sacerdos, indiscriminatim morem gerendo mulieri pœnitenti, signanter religiosæ, confessionem extra ecclesiam peragere sollicitanti, sub prætextu infamiæ incurrendæ apud alias sorores vel indignationis penes directorem sui conventus, eo vel magis quod his ultimis annis, in gratiam monialium, libertati confessionis efficacius fuerit provisum.

---

(1) Lahousse, *De Pœnitentia*, n. 168.

C/ Quando, gravi de ratione, contingit mulieris confessionem *extra ecclesiam* vel sacellum peragi, jubet et præcipit S. C. de Prop. Fide, 26 Junii 1780, ut id pro posse fiat *in loco patenti et pervio*, « interposita crate ferrea vel alio repagulo inter os confessarii ac mulieris pœnitentis » (1). *Collectan.* S. C. de P. F., n. 960. Quod ultimum monuit eadem S. Congr. gravioribus pœnis ab Episcopo esse urgendum. *Collectan.*, n. 958.

Quodsi observari nequit cum mulieribus infirmis domi confitentibus et signanter in lecto recumbentibus, eo in casu « porta cubiculi patens sit, ita ut confessor et pœnitens sint e longinquo visibiles » (2). S. C. de P. F., 12 Febr. 1821, collato ejusdem Congr. decreto 13 Apr. 1807, apud *Collectan.*, n. 963 et 962.

A. D. S.

II

Quæritur.

In diœcesi Brugensi, omnibus parochis ab Episcopo subdelegatur facultas « dispensandi super occulto impedimento primi, necnon primi et secundi, ac secundi tantùm gradus affinitatis, ex illicita carnali copula provenientis, in matrimoniis contrahendis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium, usquedum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio, absque periculo gravis scandali, differri queat ».

Porro petitur utrum parochus dicta facultate possit uti non tantum cum parte noxia sed etiam cum parte innocente, puta cum sponsa, quæ quoquo modo in cognitionem venit affinitatis à sponso illicite contractæ.

---

(1) Quæ ultima cautela de crate adhibenda vel alio repagulo speciatim afficit confessiones excipiendas in locutoriis vel aliis locis extra ecclesiam ad id electis in monasteriis, conventibus et nosocomiis.

(2) Huc etiam spectat monitum *Pastoralis Brugensis*, p. 52: « Confessarius... caveat ne oculos in cujuspiam, præsertim mulieris, faciem intendat; quare consultum erit ut vultum sudario tegat ».

Respondetur.

Equidem per se sufficit ut in impedimento affinitatis, utpote utrique parti communi, dispensetur cum utravis parte; ast in casu non potest facultas parochis concessa executioni mandari, saltem licite, nisi erga solam partem quæ culpa sua affinitatem contraxit.

Et sane clausulæ in dispensationis executione observandæ circa removendam occasionem peccati, circa absolutionem a censuris et a reatu, et potissimum circa pœnitentiam imponendam salutarem (1), solum afficiunt nupturientem reum: quæ clausulæ, si non requiruntur adimplendæ ad valorem, salva saltem liceitate negligi nequeunt; quod signanter valet pro pœnitentia, uti liquet ex responsis S. Pœnitentiariæ, suprà, p. 382-383, adductis, et p. 554, in nota, memoratis, in quibus, missa quæstione de valore, urgetur ut omnino imponatur pœnitentia, nec ad dispensationem procedatur nisi illa prævie injuncta.

A. D. S.

III

Quæritur. In fasciculo *Collat.*, pro mense Novembri, tom. VI, p. 629-630, solutum inveni casum practicum circa modum agendi cum pœnitentibus, qui Jubilæum quidem lucrari intendunt, nondum autem præcepto annuæ communionis et confessionis fecerunt satis.

Porro in solutione proposita supponitur primam confessionem et primam communionem esse præcepti ecclesiastici impletivas: postulatur autem utrum non posset hujusmodi pœnitens per primam communionem et primam quam instituit confessionem Jubilæum lucrari, et postea iterùm confitendo et communicando duplicem adimplere legem Ecclesiæ.

---

(1) In ipso tenore facultatis impertitæ additur: « remota semper occasione peccandi et... injuncta in quolibet casu pœnitentia salutari »; absolutio vero a reatu et a censuris est elargienda vi principii positi suprà, p. 36, cum nota.

Respondetur.

Profectò securius et magis obvium est ut prius satisfaciat præcepto, cum, juxta vulgatum adagium, nemo liberalis nisi liberatus, et ideo, nisi contrarium expresse velit, communio et confessio erit impletiva præcepti; qua in hypothesi verificatur solutio data in præfato nostro responso.

Attamen non videtur aliquid obstare quominus explicita intentione per priorem confessionem et priorem communionem conditiones intendat explere, pro Jubilæo lucrando præscriptas, cum intentione postea satisfaciendi præceptis; eo vel magis quod confessio annua non obligat *determinato tempore*, et quod ille qui communionem neglexit vel sacrilege instituit per quindenam paschalem, tenetur quidem communicare ante finem anni paschalis, ast non est cogendus ut *quamprimùm* communicet, uti monuimus apud *Collat.*, tom. IV, p. 284, nota 2ª.

Cæterum in hunc sensum afferri potest declaratio S. Pœnitentiariæ. Nimirum, occasione Jubilæi anni 1875, postquam, sub IV°, docuerat, in nostro casu, « ad lucrandum Jubilæum requiri confessionem et communionem a confessione annuali et a communione paschali omnino distinctam » (salva derogatione in contrarium, de qua suprà, p. 630) ad postulatum VIIm, utrum scilicet satisfieri possit præcepto paschali et Jubilæum lucrifieri duabus communionibus et unica confessione, respondit S. Pœnitentiaria: « affirmative; firma tamen remanente obligatione satisfaciendi, si nondum quis satisfecerit, præcepto annuæ confessionis » (1). Unde eruitur prius posse, supposita debita intentione, satisfieri conditionibus Jubilæi, et postea legi ecclesiasticæ.

Qui procedendi modus opportune usurpabitur in gratiam hujusmodi pœnitentium, qui confitentur in or-

(1) Cf. *Acta S. Sedis*, VIII, p. 360.

dine ad lucrandum Jubilæum versus finem temporis pro Jubilæo assignati; favet ulterius quod postea, vi præcepti annuæ confessionis non tenentur secundò confiteri nisi postquam gravem reatum admiserint.

A. D. S.

Libri dijudicati

EENE BELGISCHE BOERENGILDE bij het ingaan der XXe eeuw, Ter-Banck-bij Leuven. — Uitslagen van al hare maatschappelijke werken: Verbruikgenootschap. — Spaar- en Leengilde — Veeverzekering — Brandverzekering — Pensioenkas — Genootschap voor armen en zieken — Christen Werkliedenbond — Verzekering tegen werkongevallen. Met standregelen, wijze van oprichting, al de betrekkelijke wetten en allerhande nuttige inlichtingen enz. enz. — door **Edm. Vandamme**, proost der Gilde — 525 blz. in 8°, Rousselare, Jules De Meester 1901 — prijs 3 fr.

—

M. l'abbé E. Vandamme, le dévoué et zélé fondateur et aumônier de la florissante Ligue agricole de Ter-Banck-lez Louvain, vient de publier dans le présent volume, les remarquables résultats obtenus dans les diverses sections de cette institution prospère. Ces résultats sont une preuve manifeste et palpable des multiples avantages que l'association, sous toutes ses formes, peut procurer aux populations agricoles. Hâtons-nous cependant d'ajouter que l'ouvrage de M. Vandamme n'est pas seulement une étude monographique (1): il est aussi un guide qui mettra sur la

(1) Toutefois, à notre avis, la méthode monographique y domine trop. L'auteur a voulu inventorier avec un soin scrupuleux — auquel nous rendons volontiers hommage — pièce par piéce jusqu'aux moindres

voie ceux qui hésitent encore, et s'imaginent que la création et la direction des institutions sociales agricoles est un problème trop difficile et trop compliqué. Le travail de M. Vandamme leur fournira de nombreuses indications et des renseignements utiles, qui éclaireront le chemin et faciliteront la marche, en montrant le fonctionnement et le mécanisme des principales œuvres sociales agricoles.

Nous avons été heureux de constater que M. Vandamme dans ses différents statuts et règlements donne aux diverses institutions économiques une base foncièrement religieuse. Il importe, en effet, de ne pas oublier ces paroles de S.S. le Pape Léon XIII dans sa mémorable Encyclique *Rerum novarum:* « On doit prendre pour règle universelle et constante d'organiser et de gouverner les corporations de façon qu'elles fournissent à chacun de leurs membres les moyens propres à lui faire atteindre, par la voie la plus commode et la plus courte, le but qu'il se propose et qui consiste dans l'accroissement le plus grand possible des biens du corps, de l'esprit, de la fortune. Mais il est évident qu'il faut viser avant tout à l'objet principal qui est le perfectionnement moral et religieux des membres ».

Puisse M. Vandamme trouver de nombreux imitateurs qui, stimulés par son exemple et guidés par son intéressant ouvrage, fondent et développent, avec une saine intelligence des besoins locaux, les multiples institutions destinées à relever la condition morale et matérielle de nos bonnes populations rurales.

A. C.

---

détails de son organisation locale. S'il avait sacrifié de ci de là quelques détails, intéressants à coup sûr, mais plus ou moins superflus dans le plan général de l'ouvrage, le côté didactique et instructif du travail eût été mis davantage en relief. D'autre part, il est regrettable que la table des matières ne soit pas plus détaillée : Une table analytique plus étendue et une table alphabétique auraient rendu le maniement du volume plus facile.

DE RETICENTIA VOLUNTARIA PECCATORUM in confessione, Conscripsit **Ed. Brahm**, Missionarius C. SS. R. *Editio altera,* aucta et recognita. — Bruxellis, apud Osc. Schepens et Soc. — 1901. — Constat 1,50 fr.

—

In hoc libello quæstionem in titulo positam triplici capite pertractat Auctor:

In 1° capite insistit in frequentia confessionum sacrilegarum, quam testimoniis virorum in praxi confessionalis peritorum longa serie adductis comprobare nititur. pp. 15-36.

In 2° capite causas indicat impugnandi mali, tum a parte pœnitentis, quem potissimum urget verecundia, tum a parte confessarii, quatenus non rarò dictæ verecundiæ periculum creat vel admodum auget, sive nimia sua cum pœnitente familiaritate sive imprudenti et immodica in confessionali duritia.

Præterea pœnitentem a sincera peccatorum confessione impediunt vel retardant Sacerdotis festinatio vel impatientia in confessionibus excipiendis, sed præ cæteris lugenda illa zelotypia, quæ non immerito lepra vocatur sacri ministerii, qua nempe ægre ferunt confessarii non pauci quod pœnitentes confessionale deserant idque signis non æquivocis manifestant pœnitentibus, adeo ut retineantur hi ab accessu ad alium confessarium cui secreta cordis peccata libere pandant. pp. 37-52.

In 3° capite, a p. 53 usque ad finem, remedia subministrat quibus tantæ calamitati efficaciter sit occurrendum, quæ remedia signanter reperiuntur, præterquam in vitandis defectibus modò reprobatis, in prudenti et sagaci interrogatione pœnitentis, animo simul addito, fiducia excitata, necnon industria caute adhibita « qua usum fuisse legimus Ezechielem in explorandis abominationibus latentibus intra templum. Viderat is parvum foramen in pariete: *ecce foramen unum;* jubetur istud a

Deo dilatare: *fode parietem;* quo facto apparuit ostium, ita ut Propheta per illud facile potuerit inspicere abominationes pessimas ». Juxta P. Segneri, *Instructio Confessarii.*

Ulterius commendantur opportunæ circa confessiones sacrilegas instituendæ instructiones et conciones, ac etiam missionis exercitia tempestive renovanda.

Quæ pauca sufficiunt ut innotescat fructuosam fore hujus opellæ lectionem pro sacerdotibus in ministerio sacro laborantibus, non quidem ut ibi nova addiscant, sed ut nota melius percipiant ac digerant et majori cum zelo in praxim deducant.

Non est tamen exaggeranda confessionum sacrilegarum frequentia, quemadmodum apud nonnullos contingere videtur, et forsitan apud laudatum Auctorem, sine ulla restrictione aut nota in confirmationem suæ theseos afferentem, p. 28, testimonium P. Mach, *Thesaurus Sacerdotum*, sane cum grano salis accipiendum: « Paucas missiones tradidi in quibus non inveni per decem confessiones, quinque, sex, septem, et quandoque octo aut novem (!) confessiones generales *necessarie* (propter prævia sacrilegia) faciendas ». Non est enim inauditum quod sacerdotes, præpostero hujusmodi præjudicio præoccupati, pœnitentes, quos non noverint, puta occasione missionis, imprudenter angustient, eosque importune torqueant et urgeant ut sacrilegia fateantur, infausto cum effectu ut, post missionem, disturbati penitus et animo dejecti ad confessarium ordinarium redeant.

A. D. S.

INDEX

Documenta Romana

Pag.

Epistola encyclica SS. D. N. Leonis XIII *De Jesu Christo Redemptore* (1 Nov. 1900) 1

Decretum *Urbis et Orbis* de solemnitatibus 1ª Januarii 1901 celebrandis (16 Nov. 1900). 52

Constitutio Apostolica SS. D. N. Leonis XIII, de religiosorum institutis vota simplicia profitentium (8 Decembris 1900) 97

Constitutio Apostolica SS. D. N. Leonis XIII, qua extenditur Jubilæum ad universum orbem catholicum (25 Decembris 1900). 105

Epistola encyclica SS. D. N. Leonis XIII, *de democratia christiana* (18 Januarii 1901) 153

Breve Apostolicum quo Tertio Ordini S. Francisci novæ conceduntur indulgentiæ ac spirituales gratiæ (17 Septemb. 1901) 607

Ex Secretaria Brevium. — Conceduntur indulgentiæ ad promovendum cultum S. Donatiani. 212

Ex S. R. et Univ. Inquis. — Dubium circa absolutionem a censuris S. Sedi reservatis, in casu urgentiori (5 Sept. 1900) — *(cum adnotationibus)*. 214

Novum dubium circa absolutionem de qua suprà (19 Dec. 1900) — *(cum adnotationibus)* 372

De cautionibus præstandis in matrimoniis mixtis et de ritu eorumdem matrimoniorum 421

Ex S. Pœnitentiaria. — Dubia varia circa Jubilæum (5 Jan. 1901) — *(cum adnotationibus)*. 479

De precibus ad mentem Summi Pontificis pro jubilæo injunctis non commutandis (4 Sept. 1901) — *(cum adnotationibus)* 603

Ex S. Congr. Indulgentiarum. — Conceduntur indulgentiæ ad fovendam consecrationem XXⁱ sæculi SS. Cordi Jesu (9 Dec. 1900) — *(cum adnotatione)* . . 148

Decretum *in Leopolien. Ruthenorum,* 23 Jan. 1901, de indulgentiis altaris privilegiati et in articulo mortis — *(cum adnotationibus)* 376

Decretum *de Guatemala,* 14 Jun. 1901, de piis operibus sodalibus confraternitatis B. M. V. a Monte Carmelo ad assequendum privilegium sabbatinum injunctis — *(cum adnotationibus)* 539

Pag.

Decretum *Clericorum regularium infirmis ministrantium,* 14 Jun. 1901, de consensu Ordinarii requisito ad exercendam facultatem benedicendi coronas, cruces, etc. cum applicatione indulgentiarum apostolicarum et S. Birgittæ. 544

Decretum *Congr. Fratrum S. Vincentii a Paulo,* 14 Junii 1901, de precibus piisque exercitiis indulgentiis jam ditatis ad sacramentalem pœnitentiam explendam impositis 545

Conceduntur indulgentiæ pro recitatione trium *Ave Maria* (8 Febr. 1900) 546

Conceditur generalis sanatio pro confraternitate B. M. Virg. de Monte Carmelo (3 Julii 1901) 547

Rescriptum quo conceduntur speciales favores Tertiariis ægrotis et convalescentibus (13 Aug. 1901) . . 606

Decretum quo exhibetur novum Summarium indulgentiarum privilegiorum ac indultorum sodalibus Tertii Ordinis sæcularis S. Francisci concessorum (11 Sept. 1901) — *(cum adnotationibus).* 611

Ex Sacra Congreg. Rituum. — Decretum generale super festo Titularium in ecclesiis et Oratoriis publicis celebrando (5 Junii 1899) 55

Dubium circa stolam adhibendam à Diacono exponente et reponente SS. Sacramentum (9 Junii 1899) . 56

Decretum *in Brunen.* 7 Decembris 1900 circa conclusionem Litaniarum Lauretanarum, orationem ad S. Joseph in fine earumdem litaniarum adjungendam in mense Octobris; et preces a SS. D. N. Leone XIII in fine missæ præscriptas, immediate recitandas expleto ultimo Evangelio. 375

Dubiorum 24 Maii 1901 circa utramque Orationem pro Ecclesia et pro Papa dicendam, si altera vi Rubricæ, altera ex præcepto Ordinarii præscribatur; quandonam *Pater, Ave,* etc. post Chorale officium stando vel genuflectendo recitari debeant; circa qualitatem secundarii festi Anniversarii Dedicationis omnium ecclesiarum pro ecclesiis non consecratis; quoad duas missas cantandas in festo Exspectationis partus B. M. V., occurrente in feriam IV quatuor temporum; de ordinandis vesperis concurrente festo primario duplici primæ classis cum festo translato Annuntiationis B. M. V.; vel concurrente die Octava Dedicationis propriæ Ecclesiæ cum festo Dedicationis Basilicarum SS. Petri et Pauli; de facienda commemoratione secundarum Vesperarum diei octavæ Dedicationis propriæ ecclesiæ in primis vesperis festi duplicis primæ classis; de non

Pag.

transferendis festis *secundariis* duplicibus minoribus SS. Ecclesiæ Doctorum — *(cum adnotationibus)*. . . . 548

Decretum *Urbis* 27 Junii 1899 de intelligentia verborum « *Nocturnum talis diei* » in sacra Ordinatione et de jure Episcopi injungendi alium a nocturno diei; de non facienda commemoratione festi B. M. V. concurrente cum festo S. Familiæ; de obligatione officiorum quæ conceduntur sub clausulis *fieri*, *recitari posse*, si acceptata fuerint; undenam Antiphona et Versus sumi debeant quando plures commemorationes ex eodem communi sumendæ sunt 550

Decretum *Lauretana* 2 Julii 1901, de non conjungendo hymno Vesperarum cum hymno Matutini quarta die infra Octavam et die Octava Nativitatis S. Joannis-Baptistæ; de Doxologia *Jesu tibi sit gloria* adhibenda in hymno de secundis Vesperis SS. Simonis et Judæ, si facienda est commemoratio sequentis officii votivi SS. Sacramenti vel Immac. Conceptionis B. M. V. . 551

—

Documenta episcopalia

Ordinationes in executionem decreti *Urbis et Orbis* de solemnitatibus 1ª Jan. 1901 celebrandis 53

Acta *Congregationis Prosynodalis* habitæ die 21 Maii 1901, in palatio Episcopali Brugis 386

—

Meditationes theologicæ

Meditationes theologicæ ab Illmo ac Revmo Episcopo Brugensi clero suo dicatæ (sequetur) 165
225, 337, 433, 561, 633.

—

Conferentiarum quæstiones et responsa

Ex S. Script. Veteris Testam.

Exponitur Ecclesiastici XXXIV, 9-12 113
» » V, 4-7 232
» » XXX, 18-20 290
» Genesis XLIX, 8-10 577
» » » 22-26 649

Ex S. Script. Novi Testam.

Pag.

Exponitur 1 Jo. III, 9; V, 18. 25
» Jud. 8-10 174
» » 22 236
Explicatur quid sint angeli septem Ecclesiarum (Apoc. I-III) 349
Exponitur Apoc. II, 20-23. 398
» » XIV, 13 440

Ex Theologia Dogmatica.

Ex Tractatu de Verbo Incarnato.

Explicatur quomodo potuerit Christus toti Trinitati adeoque et sibi quà Deo satisfacere 27
Demonstratur imaginem Christi adorandam esse adoratione latriæ. 115
Determinatur notio cultus absoluti et relativi . . . 179
Exponitur quodnam sit in cultu Sanctorum objectum formale *cui* et cur ille cultus sit absolutus. 238
Explanatur qua ratione ad duliam pertineat Sanctorum invocatio et imitatio 292
Explicatur cur B. M. V. quà Mater Dei honoretur cultu absoluto. 352
Demonstratur cultum hyperduliæ qui B. Mariæ Virgini quà Matri Dei exhibetur esse specifice diversum a cultu duliæ qui cæteris Sanctis tribuitur 402
Exponitur modus quo Christus ut homo operatus sit miracula 443

Ex Tractatu de Ecclesia.

Datur notio potestatis jurisdictionis et potestatis magisterii quæ competunt Ecclesiæ; et quomodo ab invicem discriminentur indicatur 514
Infallibilitatis quæ Ecclesiæ competit in docendo notio datur ejusque objectum generatim indicatur . . 581
Exponitur qua ratione infallibilis sit Ecclesia in disciplina generali 654

Ex Theologia morali fundamentali.

Cur in theologia morali prima et fundamentalis sit consideratio finis ultimi 656

Pag.

Qua ratione beatitudo hominis dici possit finis ejus ultimus 658

Ex Theologia morali speciali.

Ex Tractatu de Matrimonio.

Disputatur de *absolutione* impertienda in concedenda vel exequenda dispensatione matrimoniali 31

Disseritur de *pœnitentia* in similibus imponenda . . 39

Exponitur quinam in foro ecclesiastico censeantur filii legitimi, quinam illegitimi 42

Indicatur quomodo coram foro Ecclesiæ legitimentur proles illegitimæ. 119

Quæritur a quonam executioni sint mandandæ dispensationes matrimoniales tum fori interni tum fori externi 124

Exponuntur præcipua observanda in modo utriusque speciei dispensationem exequendi 128

Determinatur momentum quo ad valorem dispensationis existere debeant causæ allegatæ 181

Exponitur jus circa necessitatem sacramentaliter confitendi ante matrimonii celebrationem. 184

Explicantur præcipua statuta legis civilis Belgicæ circa consensum parentum ante matrimonium requisitum 188

Ex Tractatu de Indulgentiis.

Explicatur notio indulgentiæ 241

Exponitur natura propria indulgentiæ *pro vivis* et indulgentiæ *pro defunctis* 297

Describuntur effectus indulgentiæ 364

Explicatur modus quo indulgentia effectum suum operatur 414

Exponuntur conditiones generales quæ requiruntur ad lucrandam indulgentiam 448

Ex Tractatu de Virtutibus in Genere.

Datur et explicatur *definitio* virtutis moralis supernaturalis 244

Exponitur *relatio* virtutes infusas inter et acquisitas, harumque *utilitas* in ordine præsenti supernaturali ostenditur 248

Probatur *existere* virtutes morales supernaturales . . 300

Pag.

De virtutibus cardinalibus ostenditur quare præ cæteris virtutibus moralibus tales dicantur 305

Exponitur quo sensu virtutes supernaturales dicantur consistere *in medio* 355

Disseritur *de munere donorum Spiritus sancti* in generali œconomia virtutum supernaturalium 359

Disseritur de *connexione essentiali* virtutum moralium per se infusarum 407

Quæritur quatenus virtutes per se infusæ *diminui* possint 411

Ex Tractatu de Fide.

Explicatur quodnam sit *subjectum actus creditivi* in genere sumpti. 455

Exponitur quodnam sit munus proprium *motivorum credibilitatis* et *motivi fidei* in actu creditivo 458

Explicatur quatenus *veritas implicite tantum revelata* possit esse objectum materiale fidei divinæ 516

Exponitur utrum et quare *revelationes privatæ* pertineant ad illud objectum materiale fidei 520

Exponitur an et quomodo objectum materiale fidei catholicæ *augeri* possit sub nova œconomia 524

Explicatur propositio: Actus formalis fidei debet esse *firmus æstimative super omnia* 583

Exponitur undenam illa firmitas proveniat. . . . 586

Exponitur quomodo assensus fidei super omnia firmus possibilis sit *pueris et rudioribus* 589

Exponitur modus agendi confessarii erga pœnitentes qui confitentur se *contra fidem fuisse tentatos*. 663

Ex jure canonico.

An et quasnam incurrant censuras usurpantes aut alienantes bona ecclesiastica 46

An et quare excommunicationi subjaceat mulier prægnans quæ abortum in se procurat 134

An et qualem incurrat censuram, qui sponsos alterius parochiæ sine debita licentia matrimonio jungit aut benedicit 368

An et quamnam incurrat censuram sacerdos infirmo sine parochi licentia, Extremam Unctionem vel Eucharistiam ministrans 461

Describitur indoles jurisdictionis parochialis . . . 594

Ex S. Liturgia.

Pag.

Quænam in administratione Extremæ Unctionis specialiter servanda, tum quoad unctiones, tum quoad preces et ritus præscriptos, casu quo ægrotus in extremis laborat et periculum est ne moriatur, antequam unctiones omnes finiantur? 193

Quænam Sacerdos impertiens Benedictionem Apostolicam in articulo mortis præstare debet, ut infirmus debite eam recipere et indulgentiam consequi valeat . 308

Quibusnam ritibus et precibus impertienda est Benedictio Apostolica in articulo mortis, 1° si immediate post Extremam Unctionem datur; 2° in casu quo mors proxime urgeat? 419

Quibusnam in casibus licet celebrare missam privatam seu lectam *de Requie* in festo duplici vel Dominica? 529

Quibusdam diebus et sub quibus conditionibus licet celebrare missam exequialem corpore non præsente? . 665

—

Dissertationes

Animadversiones quædam de justa mercede seu justo salario opificum; de salario, ut dicunt, familiali, etc., ab *Episcopo Brugensi* conscriptæ 15

De serpente paradisiaco (Gen. III), utrum fuerit verus serpens, actus tamen a dæmone, an verò serpens metaphoricus, seu diabolus . . . . . 138 et 252

De Privilegiis Jubilæi 197
271, 324, 479, 629, 681.

Circa absolutionem a censuris S. Sedi reservatis, in casu urgentiori . . . . . 214 et 372

De Jubilæi indulgentia et conditionibus . 260 et 312
cf. 495, 603.

Circa Onanismum conjugalem. 466

De casu detecti impedimenti publici affinitatis illegitimæ post matrimonium contractum 597

—

Fabriques d'église

Séance légale du 1er Dimanche de Mars 147

Séance légale du 1er Dimanche d'Avril 211

Pag.
Séance légale du 1er Dimanche de Juillet 421
Séance légale du 1er Dimanche d'Octobre 552
Séance légale du 1er Dimanche de Janvier 1902 . . 673

—

Législation civile ecclésiastique

Commentaire de la loi du 24 Avril 1900 relative aux traitements et pensions ecclésiastiques *(fin)* 56

—

Législation Sociale.

Pensions de vieillesse.

Commentaire de l'arrêté royal du 20 Octobre 1900 concernant l'allocation annuelle de 65 francs (d'après les documents officiels). 61
Admissibilité des *ministres des cultes* aux primes annuelles d'encouragement 424
Exécution de l'art. 7 de la loi du 10 Mai 1900 . . 425
Règlement organique des commissions provinciales d'appel 426
Mode de liquidation des allocations de 65 francs. . . 488
Interprétation de l'art. 2 de la loi du 10 Mai 1900 . 535
Interprétation de l'art. 4 de l'arrêté royal du 20 Octobre 1900 537
Avis important concernant la rédaction des requêtes (allocation annuelle de 65 francs) 671

Sociétés de secours mutuels.

Indemnités pour frais funéraires. Assurances . . . 490

—

Jurisprudence des Cours et Tribunaux

Donation à une fabrique d'église ; validité de l'acceptation provisoire par le trésorier non muni de procuration. Arrêt de la Cour de Bruxelles du 11 Février 1901 485

Consultationes

Pag.

Utrum in diœcesi Brugensi confessarii valeant, occasione *Adorationis perpetuæ*, vota simplicia commutare dispensando. Cfr. tamen p. 395 sub III 286

Solvitur duplex dubium circa facultates confessariorum quoad casus reservatos 335

Solvitur dubium circa translationem solemnitatis Patroni loci 429

Solvitur dubium circa quamdam extensionem facultatum Adorationis perpetuæ in diœcesi Brugensi . . 431

Circa stipendium a parocho vi indulti perceptum quatenus operi scholari tribuendum. 494

Varia quæsita de Jubilæo 495

Dubium circa necessitatem consensus parentum ad liceitatem matrimonii 498

Item circa extensionem cujusdam facultatis absolvendi a reservatis in diœcesi Brugensi. 500

Dijudicatur ratio agendi cujusdam confessarii detegentis pridie nuptiarum impedimentum affinitatis ex copula illicita 553

An in ecclesia nuper consecrata, ipso anno consecrationis celebrari debeat Anniversarium omnium ecclesiarum cum octava, Dominica post octavam omnium Sanctorum? 557

An, adoratione perpetua occurrente in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum, licet celebrare missam votivam SS. Sacramenti et missas privatas et cantatam de Requie, cantare officium defunctorum et absolutionem ad tumulum? 624

Utrum confessarius uti valeat facultatibus Jubilæi cum pœnitente qui hoc anno non paschavit . 629 et 681

Circa pœnam *revocationis facultatum* statutam in diœcesi Brugensi adversus confessarium excipientem mulierum confessiones in loco ecclesiæ secreto; — item circa praxim excipiendi earumdem confessiones extra ecclesiam 677

Circa facultatem ab Episcopo Brugensi parochis subdelegatam dispensandi, servatis servandis, super impedimento affinitatis illigitimæ 680

Libri dijudicati

Pag.

Comment. in Evang. sec. Matth., auctore C. Van Ongeval 93

Comment. in Ecclesiasten, auctore C. Van Ongeval . . 95

Prælectiones in geogr. bibl., » » . . 95

Aide-toi, le Ciel t'aidera par Ch. Beyaert 151

Pensions de vieillesse par A. Van der Moere 152

Institutiones Philosophicæ auctore Æm. De Jaegher. . 219

Quæstiones de Justitia auctore A. Vermeersch, S. J. . 223

Recollectieboeksken, auctore D. Lescouhier 288

Tractatus de jubilæo anni sancti aliisque jubilæis, auctore R. P. P. Bastien, O. S. B. 383

La dévotion du chemin de la croix par le R. P. Vincent, F. M. 503

Het heilig jaar door Kan. Duclos 503

Sermons de S. Alphonse par le R. P. Bas. Braeckman, C. SS. R. 504

Le Rosaire de Marie par le R. P. C. De Busschere, O. F. P. 506

Instructions pour les Cathéchistes par Ch. De Weerdt . 510

Le Saint Scapulaire sauvegarde dans tous les dangers. 559

Institutiones theologicæ dogmaticæ, auctore P. Einig . . 558

Memento du Secrétaire-Trésorier des sociétés Mutualistes de retraite par F. Servais et A. Camerlynck 631

Eene Belgische Boerengilde bij het ingaan der XXe eeuw, door Edm. Van Damme 683

De reticentia voluntaria peccatorum in confessione, auctore Ed. Brahm, C. SS. R. 685

GTU Library
3 2400 00271 9577

Collationes Brugenses

v.6 CBPaC
1901

v.6
1901 25284

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709